COMMENTARIUS HISTORICUS IN ROMANUM BREVIARIUM, QUO ... PRÆCIPUE VERO...

Jean Grancolas

Digitized by Google

600016582S

J. Wickham Legg.

Dec. 1921

1382 d. 17

Digitized by Google

Ex libris Johannis Wickham Legg

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS HISTORICUS IN ROMANUM BREVIARIUM

Quo simul aliarum singularium Ecclesiarum, præcipue vero Breviarii Parisiensis ritus explicantur.

AUCTORE

J. GRANCOLAS

THEOLOGIÆ IN FACULTATE PARISIENSI DOCTORE.

Nunc vero è Gallico Latine redditus.

VENETIIS MDCCXXXIV.

APUD SEBASTIANUM COLETI

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS.

Æquum, & rationi consonum videbatur, ut post editas disquisitiones atque origines precum, rituum, & cæremoniarum, quæ in Sancto Missæ Sacrificio observantur, meis voluminibus de veteribus Liturgiis *comprehensas, cuncta pariter; quæ in Divino Officio recitantur; opera mea probe illustrarentur, ad eos saltim, qui illud lege absolvere tenentur; excitandos, ad eorum, quæ ex Ecclesiæ mandato recitare vel canere debent, notitiam sedulo, atque abunde comparandam, majorique animi attentione, ac Religione munus suum implendum.*

Hoc ipsum est hujus operis argumentum, quo cum ea, quæ Ecclesia Filiis suis præscribit, quotidie perspiciantur, omnes ejus mandatis observandis solidioris pietatis sensibus studere poterunt, cum affirmare ausim, rationem Officium suum sæpe nullo pietatis sensu repetendi ab exigua eorum, quibus constat, notitia proficisci.

Dedimus ergo operam, ut omnia ad Breviarii origines, atque ad varias rationes spectantia, quibus omni retro ævo, atque in omnibus Christianis Societatibus recitatum est, pertractarentur. Discrimina præterea precum istarum in universum explicantur; atque per dies singulos omnia, quæ Divino Officio continentur, ut oportebat, adnotavimus, atque observavimus. Egimus quidem præcipue de Romano Breviario, quod per universam late Ecclesiam ab omnibus passim receptum sit; nihilo secius complurium Ecclesiarum mores referre non negleximus, adeo ut Episcopi, qui Ecclesiarum suarum Breviaria emendare optabunt, huic rei rite conficiendæ consilia abunde hic percepturi sint.

Pluribus autem non memorabimus, quæ commoda non tantum Clerus Secularis, sed & Religiosi viri, atque Religiosæ Virgines, immo populi ipsi ex horum liborum lectione haurire possint, & quantum se debere Operi huic, tot disquisitionibus, atque tam vasta eruditione referto profiteri debeant.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Commentarius Hiſtoricus in Romanum Breviarium, Auctore J. Grancolas &c.* non v'eſſer cos' alcuna contro la santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Sebaſtiano Coleti Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 24. Giugno 1732.

(*Alviſe Piſani K. Proc. Ref.*

(*Z. Piero Paſqualigo Ref.*

Agoſtino Gadaldini Secr.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

ALPHABETICUS, & CHRONOLOGICUS.

Præcipuorum Auctorum, qui in hoc Opere laudantur.

A

Adelmus Abbas ſeptimi ſæculi, ſcripſit librum de Virginitate ſtricta, & proſa oratione.

Ado Archiepiſcopus Viennenſis, obiit anno 880. extat ipſius Martyrologium.

Adelredus Abbas in Anglia, obiit anno 1166. ſcripſit Regulam pro Religioſis Virginibus, falſo S. Auguſtino tributam. *Regula ad inclusas, seu Sanctimoniales.*

Æneas Epiſcopus Pariſienſis anno 854.

Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, obiit anno 840. multa ſcripſit in Romanum Antiphonarium, & contra Amalarium.

Aimoinus Monachus S. Germani octavo ſæculo; alius eſt præterea Aimoinus Monachus Floriacenſis decimi ſæculi.

Alcuinus, Diaconus Eccleſiæ Eboracenſis, qui Caroli Magni tempore in Galliam venit, ſcripſit librum de Ritibus pro ſingulis hebdomadæ diebus, *Officia per ferias*, ubi Pſalmi in ſingulos hebdomadæ dies diſtributi ſunt, cum Hymnis, Precibus, & Litaniis; obiit anno 780.

Alcuinus (Pſeudo), liber eſt de Divinis Officiis ſub Alcuini nomine, cujus Auctor ad duodecimum ſæculum pertinet, quod ab eo de Hilperico mentio fiat, qui undecimo ſæculo vivebat.

Amalarius Fortunatus, Epiſcopus Trevirenſis, obiit anno 812.

Amalarius Diaconus Metenſis, Auctor quatuor Librorum de Officio Eccleſiaſtico, atque alterius Tractatus in Romanum Antiphonarium, floruit anno 827. atque primus eſt, qui in Ordinem Romanum commentaria conſcripſerit.

Ambroſius (Sanctus) Epiſcopus Mediolanenſis, obiit anno 377.

Ambroſius Autpertus, Monachus Benedictinus, atque Volturnenſis Abbas, obiit anno 778. Auctor eſt plurium Sermonum, inter alios Sermonis de Aſſumptione, qui decimus octavus eſt inter ſermones S. Auguſtini in Sanctos.

Anaſtaſius Bibliothecarius, putatur eſſe Auctor vitarum Romanorum Pontificum, quæ Pontificalis Romani inſcriptionem præferunt: florebat ſæculo nono.

Anſelmus (Sanctus) Abbas Becenſis. an. 1078. & Archiepiſcopus Cantuarienſis an. 1093.

Anthologia, Liber precum Græcorum.

Arcudius, Græcus, Corcyræus decimi ſeptimi ſæculi.

Athanaſius (Sanctus) Epiſcopus Alexandrinus quarti ſæculi.

Auguſtinus (Sanctus) Epiſcopus Hipponenſis obiit an. 420.

Aurelius (Petrus) Ordinis Auguſtiniani, inde Archiepiſcopus, tempore Gregorii XI. Papæ, Ordinem Romanum conſcripſit.

B

Baronius, Cardinalis creatus anno 1596.

Baſilius (Sanctus) quarto ſæculo.

Beda, obiit an. 734. Tribuuntur ipſi plures ſermones, qui ejus non ſunt, ejus quoque Martyrologium intercidit, atque illud ipſius nomen præferens

Digitized by Google

sens ; compositum est ex pluribus Martyrologiis.
Benedictus (Sanctus) an. 543.
Benedictus, Canonicus S. Petri Romæ Ordinem Romanum conscripsit ante an. 1143.
Bernardus (Sanctus) Abbas Cisterciensis an. 1115.
Berno Augiensis, Monachus S. Galli, Tractatum scripsit in Missam, & Divinum Officium, obiit an. 1048.
Bonaventura (Sanctus) decimi tertii sæculi.
Bona, Fulliensis, & Cardinalis 17. sæculi.
Bonifacius (Sanctus) Moguntinus 9. sæculo.
Burchardus Episcopus Vormatiensis an. 996.

C

CAbasilas, Archiepiscopus Thessalonicensis an. 1350.
Cœlestinus I. Papa an. 420.
Cæsarius (Sanctus) Episcopus Arelatensis, obiit an. 379.
Cæsarius Monachus 13. sæculi.
Carus (Josephus Maria) idem qui Thomasius, Auctor Italus, qui an. 1683. collectiones dedit Precum, Hymnorum, Antiphonarum, & Responsoriorum, ex vetustis Romanis Ordinibus sumptas.
Cassander (Georgius) 16. sæculo scripsit Tractatus in Divinum Officium, & commentaria in Ordinem Romanum.
Cajetanus (Jacobus) cardinalis, Nepos Papæ Bonifacii VIII. scripsit Ordinem Romanum, a Mabillonio editum, quem Guidoni de castello inscripserat, qui deinde Papa fuit sub cœlestini XI. nomine, an. 1443.
Cassianus, Monachus, & Abbas, obiit an. 430.
Cencius, cardinalis, & a cubiculis Papæ clementis III. an. 1192. scripsit in cæremonias, & in Divinum Officium.
Chromatius Aquilejensis an. 401.
Chrysostomus (Sanctus) 4. sæculo.
Claudianus Mamertus, Presbyter Viennensis. Frater S. Mamerti, 5. sæculo.
Chrodogangus Episcopus Metensis, 8. sæculo.
Clemens (Sanctus) Alexandrinus, 3. sæculo.
Clemargis (Nicolaus) cantor Bajocensis, an. 1416.
Columbanus (S.) Abbas Lexoviensis, an. 620.
Cornelius (S.) Papa, an. 250.
Cyprianus (S.) Episcopus carthaginensis, an. 252.
Cyrillus (S.) Hierosolymitanus, an. 350.
Cyrillus (S.) Alexandrinus, an. 440.

D

DIonysius Alexandrinus 3. sæculo.
Dionysius Exiguus, an. 606.
Diurnus Pontificum, liber Formularum Paparum conscriptus, circa annum 715.
Dunstanus, Episcopus cantuariensis, an. 961.
Durandus (Wilelmus) Episcopus Mimatensis, Tractatum scripsit de Divino Officio, 13. sæculo.
Dacerius, Monachus S. Germani Prætensis, obiit 17. sæculo.

E

EGbertus Eboracensis, an. 731.
Eghinardus, ab epistolis Caroli Magni 9. sæculo.
Ennodius, an. 500.
Epiphanius (Sanctus), an. 376.
Ephrem (S.), an. 310.
Eucherius (S.), an. 450.
Eulogius Cordubensis, 9. sæculo.
Eusebius Cæsareensis, an. 324.

F

FAcundus, an. 550.
Ferrandus, Diaconus, an. 533.
Fiodoardus, canonicus Remensis, an. 966.
Florus, Diaconus Lugdunensis, an. 850.

For-

Digitized by Google

Fortunatus Pictavienſis, an. 565.
Fulbertus Carnutenſis, circa an. 1000.
Fuldenſes, Annales, 9. ſæculo.
Fulgentius, an. 504.

G

Gaudentius (Sanctus) Epiſcopus Brixienſis, an. 410.
Gennadius Presbyter Maſſilienſis, an. 498.
Godefridus Vindocinenſis, an. 1093.
Gratianus, Monachus, an. 1150.
Gregorius (S.) Nazianzenus, an. 378.
Gregorius Turonenſis, an. 574.
Gregorius (S.) Papa, an. 590.
Guibertus, Abbas Novigentinus, an. 1104.

H

Hermannus Contractus, ob tibias contractas ſic appellatus, Monachus Richenovienſis, an. 1040.
Hilarius (S.) Epiſcopus Pictavienſis, an. 350.
Hilarius (S.) Arelatenſis, an. 429.
Hadrianus I. Papa, 8. ſæculo.
Hadrianus II. Papa, 9. ſæculo.
Hadrianus, Abbas Floriacenſis, 9. ſæculo.
Hildebertus, Epiſcopus cœnomanenſis, an. 1098.
Hincmarus Remenſis, 9. ſæculo.
Honoratus Maſſilienſis, 5. ſæculo.
Honorius Auguſtodunenſis XII. ſæculo.
Hugo de S. Victore; tribuuntur huic tres libri de Diviniis Officiis, qui ſunt Roberti Paululi Presbyteri Eccleſiæ Ambianenſis, qui florebat an. 1120.
Humbertus, cardinalis, an. 1049.
Hieronymus (S.), 4. ſæculo.

I

Ildephonſus an. 658.
Iſidorus (S.) Hiſpalenſis, primus haberi poteſt, qui latius de Divino Officio ſcripſerit. Extant ejus libri duo *De Divinis*, & *Eccleſiaſticis Officiis*. Opus ſuum ad Fulgentium Fratrem miſit. Nonnulli an ipſius eſſent, ſubdubitarunt; verum Braulio, & Ildephonſus illud inter ejus opera annumerant, atque Iſidori nomine a Beda, & Ivone Carnutenſi in teſtimonium adducitur, an. 630
Joannes (S.) Damaſcenus an. 730.
Joannes Belethus, Doctor Pariſienſis, ſcripſit in Divinum Officium an. 1162. juxta alios vero an. 1328.
Joannes Abrincenſis, ejuſdem Urbis Epiſcopus, inde Archiepiſcopus Rothomagenſis 12. ſæculo.
Jeſſe Epiſcopus Ambianenſis an. 802.
Jonas Aurelianenſis an. 820.
Julianus Toletanus an. 680.
Juventius an. 330.

L

Lanfrancus an. 1060.
Leander [S.] an. 583.
Leo [S.] 5. ſæculo.
Lupus Ferrarienſis an. 842.

M

Micrologus. Difficile eſt dicere ſi ne hoc Auctoris, vel Operis nomen propter ejus brevitatem. In nonnullis exemplaribus inſcribitur, *Micrologus Joannis*, in aliis vero Joannes iſte Epiſcopus appellatur, *Joannis Epiſcopi*; verum ignoramus, Joannes iſte cujas Epiſcopus eſſet. Al qui exiſtimant, eum Gallum fuiſſe, quod cap. XI. Orationem referat, quæ in Gallia recitabatur *juxta Gallicanum Ordinem*. Cum vero Guido Aretinus opus ſuum Muſicum Micrologi nomine inſcripſerit, quidam Opus, de quo agimus ipſi tribuunt, ſed nulla ratione. Illud ſolum conſtat, Auctorem iſtum Gregorii VII. atque Anſelmi Lucenſis mentionem facere. Quare cum in Opere iſto de hoc Pontifice agatur, qui an. 1085. obiit, neceſſe eſt poſt annum 1080 compoſitum fuiſſe. Nonnulli Bernoni Augienſi tribuunt.

O

Odilo, Abbas Cluniacenſis an. 991.
Ordo Romanus; Collectio eſt rituum

tuum Ecclesiæ Romanæ circa Divinum Officium, sive Rituale, & collectio omnium eorum, quæ in Ecclesia ista 8. sæculo servabantur. Ejus Auctor ignoratur; existimant tamen, eum circa annum 730. floruisse. Amalarius in eum Commentaria conscripsit, & Carolus Magnus inde testimonium petit, atque præterea in regnis suis suscipi, atque servari jussit; Cassander vero anno 1561. Coloniæ Agrippinæ formis excudi curavit, atque paulo post cum aliis Auctoribus de Ritibus Ecclesiasticis curante Melchiore Hittorpio rursum impressus fuit.

P

Pamelius, 16. sæculo.
Photius, Episcopus Constantinopolitanus anno 858.
Petrus Damianus, ita a fratrum uno appellatus, quem Patris loco diligebat, Cardinalis, & Episcopus Ostiensis creatus fuit anno 1057.
Petrus Venerabilis, anno 1123.
Petrus Blesensis, anno 1200.

R

Radulphus de Rivo Decanus Tongrensis anno 1390. scripsit in Divinum Officium.
Rabanus Archiepiscopus Moguntinus anno 847.
Ratherius Veronensis, anno 931.
Regino 9. sæculo.
Remigius Archiepiscopus Lugdunensis anno 853.
Remigius Altissiodorensis, anno 882.
Riculphus Suessionensis 9. sæculo.
Robertus Paulus Presbyter Ambianensis 12. sæculo.
Rocca (Angelus,) 16. sæculo.
Rupertus Abbas Tuitiensis anno 1135.

S

Sigebertus anno 1115.
Smaragdus (Ardo) 9. sæculo.
Sophronius Hierosolymitanus, anno 626.
Stephanus, Episcopus Augustodunensis, anno 1113.
Stephanus Tornacensis, anno 1160.

T

Theodulphus Aurelianensis anno 744.
Theodorus, 9. sæculo.
Theodemarus, Monachus, 9. sæculo.
Theophylactus, anno 1070.
Thomasius, vide *Carus*.

V

Valafridus Strabo, anno 847.
Usuardus, Monachus, 9. sæculo.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS HISTORICUS IN BREVIARIUM ROMANUM.

Quo simul aliarum singularium ecclesiarum, præcipue vero Breviarii Parisiensis ritus explicantur.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM

Definitio, ac appellatio Breviarii, sive Horarum Canonicarum.

BReviarium sive horæ Canonicæ sunt quædam preces vocales, & quædam piæ lectiones ab Ecclesia institutæ, ut quotidie statis horis a clero, Religiosisque viris recitentur atque proferantur.

Quamvis autem essentialis religioni oratio sit, Christique de ea præceptum omnibus fidelibus datum latissime pateat, Breviarii tamen appellatione oratio dumtaxat intelligitur, quatenus vocalis est, atque mentalis, & ab ecclesia statuta, ut quotidie statis horis a clericis tam sæcularibus, quam Regularibus recitetur. In hoc sensu Breviarium tanquam oratio in genere, mentis, & cordis ad Deum elevationem requirit; ut autem vocalis, exigit ut articulatim proferatur diebus & horis ab ecclesia statutis: quare differt a precibus cuique fidelium mandatis. Licet enim hi Dominicis, festisque diebus sacris officiis interesse debeant, tamen Breviarii lege teneri censendi non sunt, quod nullibi illis mandata fit sacrorum Officiorum, quibus intersunt, recitatio. Possunt enim, quod suarum est partium, implere, quemadmodum revera implent, si meditentur, dum sancta officia peraguntur, licet ad ecclesiæ mentem propius accedat, magisque deceat, ab iis, qui adsunt, officium divinum recitari.

Cum vero Breviarium nil aliud proprie sit, quam laudatio, quæ Deo præstatur, in hoc sensu dici potest, morem psallendi laudes Deo æqualis esse cum ipsa Religione antiquitatis. Deus enim ab ipsa usque æternitate se laudat; Angeli a primo beatitatis suæ exordio perpetuo concinere non desinunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est terra gloriæ ejus.* Psalmista quoque vix creatum Adamum ita loquentem exhibet: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hic vero prout ab ipsomet Deo ad se laudandum edoctus fuerat, sic etiam liberos suos instituit. Abel & Cain sacrificia offerentes, laudes & preces illis adjunxerunt, atque sensim precum & peculiarium divini cultus Cæremoniarum formulæ sunt institutæ. Credibile est, id ab Enoch præstitum

fuisse, quem omnium *primum nomen Domini invocasse* ferunt. Noe obtulit Deo sacrificia. Mentio in Scripturis satis frequens sit precum Abrahami, Isaaci, & Jacobi, eorumque, qui ab his geniti fuere. Moyses Cantica in Dei honorem elucubratus est, quorum unum ad nos pervenit, compositum, cantatumque ab illo post Erythræi transfretationem, *Cantemus Domino*; atque alterum, antequam moreretur, perfectum, *Audite Cæli quæ loquor*. Idem Israelitas ad Dominum laudandum Hymnos, & Cantica docuit. David vero Psalmos complures scripsit, cantum instituit, ut Hymni coram Altari concinerentur, & modulos invenit, ad quos verba erant recitanda. Studium autem hoc laudes Deo psallendi, deinde apud Dei populum obtinuit. Refert enim David, septies in die se Deum laudasse, ac præterea sub mediam noctem somno relicto Creatoris laudes celebrasse. Daniel ter quotidie ad orandum genua flectebat. Esdræ ævo Judæi quater per diem Dominum laudabant. Totus denique Veteris Testamenti Codex refertus est Sanctorum virorum exemplis, qui Psalmis, & Canticis concinendis unice studebant.

Nova lex autem cum Veteri pene certavit de cultus hujus assiduitate, atque solemnitate. Jesus Christus ipse illius specimen præbuit, noctes totas orando traducens, atque Hymnum post Cœnam recitans. Videre etiam licet Apostolos singulis diei horis orantes. Sanctum enim Spiritum, dum orationi vacarent, hora Tertia accepere. Paulus, & Silas sub noctis medium Dominum in carcere laudabant. S. Petrus hora diei sexta in superiorem domus partem ad orandum ascendit. S. Petrus, & S. Joannes hora Nona ad Templum ibant.

Lucianus Christianis exprobrat, quod noctu ad canendos Hymnos vigilarent. Plinius Junior Trajano Imperatori scribit, quod illi ante lucem convenirent, atque carmina in Jesu Christi, tamquam Dei, honorem canerent. Ammianus Marcellinus meminit cœtuum a Christianis noctu ad orandum habitorum. S. Justinus in Apologia ait, Christianos in suis cœtibus rerum omnium Patrem in nomine Filii, & Spiritus Sancti laudare. Tertullianus mentionem sæpe facit cœtuum Christianorum, precum in iis habitarum, jejuniorum usque ad Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas; & quomodo horæ istæ penes Synagogam, atque Ecclesiam orationi semper dicatæ fuere. Tertullianus eas Horas Apostolicas vocat, quasi ab Apostolorum more originem traherent.

S. Cyprianus de Orat. Domin. Tertiæ, Sextæ, & Nonæ Horarum meminit, pluresque earum rationes etiam mysticas reddit. Morem hunc vero ait, sub horas illas orandi, servatum fuisse ad Danielis, & trium puerorum exemplum, qui, dum captivi essent, tribus horis istis orabant; figura item ut exhiberetur Mysterii Trinitatis, quod ultimis temporibus erat revelandum: *Sacramentum fidelium Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat*. Præterea, ut honos haberetur mysterii sub eas horas secuti; Sanctus enim Spiritus hora Tertia descendit: Sanctus Petrus hora sexta divinitus admonitus fuit, ut Gentiles participes salutis esse finetet; sive quod Dominus noster hora sexta Crusi affixus fuisset, mortemque hora Nona obeundo vitæ suæ, nostræque saluti coronidem imposuisset. Præter tres horas istas, ait Sanctus Cyprianus, orandum esse mane ad celebrandam orationi ista Jesu Christi resurrectionem: atque vespere, cum Sol occidit, quia cum Jesus Christus sit verus Sol, & vera lux animarum nostrarum, quando sub Solis occasum divini luminis reditum ab eo petimus, postremum ejus adventum postulamus, quo æternæ lucis participes efficiemur: noctu quoque orandum esse, quod semper in Jesu Christo, ideest, in vero lumine simus.

Origenes contra Celsum mentionem facit cœtuum Christianorum, eorumque Agapes. S. Clemens Alexandrinus in Stromatum libris loquitur de Tertia, Sexta, & Nona. In Constitutionibus Apostolicis jubentur Christiani orare mane, Tertia, Sexta, & Nona diei horis, vespere etiam, & ad Gallicinium. Harum horarum meminerunt, quotquot deinde scripsere, usque ad S. Benedictum

Digitized by Google

dum dicentem in ſua Regula c. 6. jubere ſe, quo Davidis ſequeretur exemplum, qui nocte ad orandum ſurgebat, atque ſepties per diem orabat, ut Officium abſolvatur horis Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperarum, & Completorii: *Ut ait Propheta: ſepties in die laudem dixi tibi, qui ſeptenarius ſacratus numerus a nobis ſic complebitur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completoriique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus, quia de diurnis horis dixit, Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait, Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Ad impendum ergo ſeptenarium hunc numerum S. Benedictus Completorium addidit.

Eccleſia vero Officium in varias diei horas diſtribuit, ut Eccleſiaſticos viros ad munus ſuum revocaret; quod quidem aliud non eſt, quam laudandi Deum, ratione ſtatus eorum, ac profeſſionis, Eccleſiæ nomine, quæ Sponſa eſt Jeſu Chriſti Filii ſui; ita ut ſi per exteriora negotia aliorſum mens diſtrahatur, ſive vitæ neceſſitatibus, ſive proximorum charitati inſerviendo, Eccleſia ſtata quædam tempora deſignavit, ut tempus ipſum, præſcriptaque hora muneris ſui illos admoneret, atque efficeret, ut ad orationis exercitationem redirent, quam numquam intermittere deberent juxta S. Hieronymum in Ep. ad Euſtoch. *Quamvis Apoſtolus ſemper nos orare inbeat, tamen diverſas orandi horas debemus habere, ut ſi forte aliquando fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium opus admoneat.*

CAPUT II.

Quis fuerit primum Horarum Canonicarum numerus? an ubique ea ſervarentur; deque hujus diviſionis ratione.

EX hactenus dictis ſatis conſtat, Tertiam, Sextam, & Nonam, cum a primis uſque temporibus, & ab ipſis etiam Apoſtolis ſervatæ ſint, quemadmodum in Actis traditum eſt, non immerito a Tertulliano Horas Apoſtolicas appellatas fuiſſe.

Verum ſi Therapeutæ, de quibus Philo, erant Monachi Chriſtiani, quæ eſt Euſebii ſententia, ex ipſo Philone apparet, eos bis dumtaxat per diem Deum oraviſſe, præter preces illas, quas antequam cibum ſumerent, eoque ſumto recitabant. Affirmare præterea non dubitamus, morem orandi, canendique Pſalmos horis Tertia, Sexta, & Nona non ubique in univerſum a Chriſtianis obſervatum fuiſſe. S. Clemens Alexandrinus eum nonnullis dumtaxat tribuit. Teſtatur quoque Caſſianus, Ægyptiſolitarios Horas Canonicas non obſervaſſe, nulloque temporis diſcrimine per totum diei ſpatium Pſalmos recitaſſe, nullos apud eos adorandum cœtus habitos, exceptis veſpertino, nocturnoque officiis præter Sabbathum, & Dominicam diem, quibus Hora Tertia ad Communionem convenebant. In Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. cap. 14. mentio fit ſextantum horarum: *Preces veſtras facite diluculo, tertia, ſexta, nona hora, veſpere, & in Galli cantu.* Apud S. Cyprianum de Orat. Domin. videre eſt, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, mane, veſperi, & noctis mentionem. S. Hieronymus in Epiſtola ad Lætam, ad ejus filiam probe educandam, illam inſtitui jubet, ut noctu ad orandum, Pſalmoſque recitandos conſurgat, mane hymnos canat, tertia, ſexta, Nona hora ſtet in acie quaſi bellatrix Chriſti, accenſaque lucerna, reddat ſacrificium veſpertinum. In Epitaphio S. Paulæ de exercitationibus agens, quæ in Virginum Monaſterio Bethleemi a ſancta illa muliere conſtructo fiebant, ait, Virgines illas Pſalterium continenter cecinifſe mane, Tertia, Sexta, Nona, veſpere, & ſub mediam noctem, nullique Pſalterium ignorare, aut veſpiem unam exigere, quin aliquid e Divina Scriptura ediſſerent, licuiſſe: *Mane, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio, per ordinem Pſalterium cantabant . . . .* Hinc facile intelligitur, ad Sanctum uſque Benedictum ſex dumtaxat horis Officium conſtitiſſe, neque id ubique ab omnibus receptum fuiſſe ſatis probari poteſt: lau-

des enim olim, cum a Matutino distinguerentur, mane recitabantur, additaque postea fuit Hora Prima.

Quod ad divisionis Officii in plures Horas rationes attinet, mysticas nonnullas supra ex S. Cypriano attulimus: alii alias reddunt. Verum cum Scriptores illi inter se non satis conveniant, inde perspicere possumus, illas satis pro arbitratu adinventas fuisse. Firma vero, atque ab ipsa rei natura petita ratio est ex diei, & noctis in quatuor partes divisione, quarum singulæ ternas horas continebant. Veterum, recentiorumque Scriptorum mystica ratio ea vulgatior est, ut Mysteriis Jesu Christi passionis honos habeatur. Constitutionum Apostolicarum Auctor lib. 8. cap. 34. ait, matutinam orationem fieri ad Christo honorem habendum, qui æterna lux est, quæ morte sua peccati tenebras dissipavit; hora Tertia vero, quod nunc Pilatus eum condemnarit; Sexta Cruci affixus fuerit; Nona mortuus sit; atque Vespere in monumento conditus. Auctor Libri de Virginitate S. Athanasio tributi, easdem rationes reddit, quemadmodum & S. Joannes Chrysostomus super Psal. 118.

CAP. III.

De nominibus Breviario, sive Officio Divino tributis.

DIvinum Officium, sive preces vocales, quæ singulis diebus a Clero recitari debent, *Horarum Canonicarum* nomine appellantur, quod preces hæ a Canonibus, sive a *Regulis*, atque *Legibus* Ecclesiæ (ea est enim vis Græcæ vocis *Canon*) præscriptæ sint, seu quod Officium istud horis ab Ecclesia statutis recitandum sit. Hinc ii, qui peculiari quadam ratione Officio addicti sunt, *Canonici* appellantur; utpote qui arctiori lege ad orandum horis a Canonibus designatis constricti sint: *Ideo Canonici appellati estis*, ait Ivo Carnutensis ep. 693. *quod Canonicas Regulas vos velle observare ceteris arctius devovistis*. Seu quia antiquitus eorum nomina catalogo inscripta essent eorum, qui cujusque Ecclesiæ Clerum constituebant, quibusque pro alimentis portio quædam dabatur, quam *Præbendam*, sive *Sportulam* appellabant. Qui huic Catalogo inscripti erant, *in Canone Ecclesiæ*, nil præter pensionem singulis mensibus solvendam habebant. Hinc S. Basilius in Reg. retrib. 147. ait: *Si quis non occurrat Canoni Psalmodiæ*.

Patrum complures preces has Divinum Officium appellant, sive quod Deo præstare, atque persolvere debemus: *Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad cœnam properabitis*, ait S. Hieronymus in vita S. Pacomii. Ecclesiæ oratio est debitum quoddam, atque officium, quod Deo persolvit, preces suas illi dicando. Paria habet Joannes Moschus in Prato Spirit. cap. 40. scribens, eas modum esse tributi, quod singulis diebus Deo persolvere debemus, quemadmodum Coloni certas tritici mensuras Dominis solvunt pro agris sibi locatis.

Nonnumquam officium Divinum appellatur etiam *Opus Dei*, quod propter Deum laborem illum sanctum subeamus, tamquam homines servituti ejus devoti; atque juxta aliorum loquendi rationem, officium servitutis nostræ erga Deum, *Tepsum servitutis*. In Regula S. Benedicti semper *Opus Dei* appellatur.

Græci Canonem sive Synaxin illud vocant, quod juxta Cassianum ad canendos Psalmos convenirent. Eodem sensu in Regula S. Pacomii *Collecta* dicitur. In compluribus Conciliis *Agenda* appellatur, quasi unum esset ex gravioribus Ecclesiæ muneribus. In Concilio Agathensi Can. 3. *Missæ* nomine illud designari deprehendimus, quod sub ejus fine, ut adhuc fit sub Sacrificii finem, facultas abeundi populo daretur. *In conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum*. A S. Paulino *Quotidianus sapienter Psallentium per frequentes Ecclesias & Monasteria concentus*, dicitur.

S. Columbanus in sua Regula cap. 47. illud *Cursum* appellat, propter solis cursum, qui orationis horas dirigit; & Gregorius Turonensis lib. 1. de Glor. Mart. ait, opus a se conscriptum fuisse de Cur-

de Curſibus Eccleſiaſticis inſcriptum; quod & alio loco repetit : *Exurgente Abbate cum Monachis ad celebrandum Curſum*. Fortunatus in vita S. Germani Pariſienſis ait de illo . *Iter agens ſemper nudo capite Curſum recitavit* . Hinc obſervare licet Breviarium ſingillatim , extra chorum , atque etiam per viam recitatum . S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus Clericis ſuis ep. 17. mandans , ut officium horis ab Eccleſia ſtatutis recitarent , eodem nomine illud appellat : *Speciales horas & Curſum Eccleſiæ cuſtodiant* . In Vita S. Alberti Abbatis ſub medium VII. ſæculi , Sanctique Sereni ci ſcriptum invenimus , eos quotidie Romanum Officium recitaſſe : *Romanum Curſum quotidie decantabat* . Sæc. 3. Benedict. & Sæc. 2.

Quod ad *Breviarii* appellationem attinet , quæ hactenus viget , quaque Divinum Officium hodie deſignari ſoler, inde fortaſſe exorta eſt , quod temporis ſucceſſu valde contractum fuerit præcipue apud Monachos . Teſtatur S. Benedictus, ſe illud ad breviorem formam redegiſſe ; antea ſiquidem totum Pſalterium quotidie recitabatur , ipſe vero ita rem compoſuit , ut ſemel tantum in hebdomada abſolveretur : In Epiſtola Epiſcoporum , qui Lugduni convenerant, ad S. Robertum e Ciſtercienſi ad Moleſmienſem Abbatiam reſtituendum , ſcriptum eſt , omnia , quæ ille e Moleſmienſi Monaſterio attulerat , Ciſtercienſi relinquenda eſſe , præter Breviarium quoddam , quod Ciſtercienſes , poſtquam tranſcripſerint , reddere debebunt . *Breviarium* dictum eſt , quaſi *breve Orarium* , ſive precum Epitome . Hoc Breviarii nomen adeo pervulgatum erat Mictòlogi ævo , qui circa an. 1180. vivebat , ut non ſolum cum de Divino ſuorum temporum Officio ageret , ſed et de antiquis Eccleſiæ libris , eos *Breviarios* , quemadmodum & nos hodie ſolemus , appellet . *Sicut in antiquis Breviariis ordinarium reperimus* c. 28. In ſtatutis Abbatum Provinciæ Narbonenſis anno 1222. promulgatis , ſancitum eſt ut *Monachi in Sacris Ordinibus conſtituti , in longo itinere profecturi , ſine Breviario vel Pſalterio non mittantur* . Spicileg. Tom. 6. Concilium Toloſanum anno 1229. habitum can. 14. Laicis uſum Sacrorum librorum interdicit, præter Pſalterium & Breviarium : *Ne libros veteris Teſtamenti aut novi Laici permittantur habere , niſi forte Pſalterium vel* Breviarium *pro divinis Officiis* .

Itaque per hactenus dicta facile conficitur , *Breviarii* appellationem inditam fuiſſe collectioni precum , ex quibus Officium conſtat , quod in Eccleſia variis diei & noctis horis recitatur ; atque ſequiori ævo *Breviarii* nomen illi impoſitum , ſive quod totus officium contractum fuerit , ſive quod hæc Collectio ſit quædam omnium precum Epitome . Appellatio hæc Romano deinde Breviario indita fuit , quod Franciſcani Fratres in Papæ Sacello recitabant , a Sixto V. adoptatum , atque a Pio V. & Clemente VIII. quanta potuere contentione , ut ab omnibus Eccleſiis ſervaretur , propoſitum : Olim Monachi *Breviarium* appellabant Officium , quod iter facientes extra Chorum recitabant , quod e ſolis lectionibus Officii , quod in Choro canebatur , contractis , quaſque ſecum portabant , conflatum erat .

Breviarium conſtat hodie Pſalmis , Lectionibus e Scriptura excerptis , ſive Patrum Homiliis , aut Sanctorum Hiſtoriis , Hymnis , Antiphonis , Reſponſoriis , & Orationibus Feſtis diebus , aut horis congruentibus . Cum autem Eccleſiæ ſingulæ Officia , quæ apud illas vigebant , in quamdam formam digeſſiſſent , hinc Breviariorum differentia exorta eſt .

CAPUT IV.

De Breviarii Romani præſtantia , ſi cum cæterarum Eccleſiarum Breviariis conferatur , quantamque commendationem jure promereatur .

QUemadmodum Romana Eccleſia ceteras omnes ordine , nobilitate , dignitate , atque loco antecellit ;

cellit ; ita & ejus Eccleſiæ Breviarium principem locum obtinet inter ceteras omnes rationes, quibus Officium in reliquis Orbis Eccleſiis recitari conſuevit. Si quis vero comparationem inſtituat hoc inter, atque Gallicanum, Mediolanenſe, Hiſpanicum, Mozarabum, Græcorum, & reliquarum Chriſtiani Orbis Eccleſiarum Breviaria, facile meliorem longe hujus ordinem admirabitur, minoremque in eo eſſe in Officiorum diſpoſitione, in Collectarum compoſitione, atque in Pſalmorum, & Lectionum diſtributione perturbationem.

Hinc Pipinus, Caroluſque Magnus hujus Officii pulchritudine illecti, id in Regna ſua introduci voluerunt, rationeſque ceteras, licet antiquas, aboleri, quibus ad eam diem ſervitium divinum fuerat celebratum. Carolus Calvus vero hoc illi teſtimonium perhibuit, ſe poſt ſpectatas rationes omnes apud Græcas & Latinas Eccleſias uſurpatas, nihil ordine Romano ſapientius diſtributum inveniſſe : *Celebrata ſunt coram nobis ſolemnia more Hieroſolymitarum, & more Conſtantinopolitano, & ſicut in Gallia, in Italia, & Toleti ; ſed nos ſequendam judicavimus in omnibus Romanam Eccleſiam.* Quod ſi Breviarium Romanum nono Sæculo adeo laudari promeruit, ut omnium Eccleſiarum reliquis præponeretur, majori ſane ſplendore nituit, poſtquam Pius V. illud emendari mandavit. Jure igitur affirmare poſſumus ab eo tempore omnes ſingulares Eccleſias id adeo adoptaſſe, ut quæ ſub Romani Breviarii nomine illud non receperint, totum fere tamen Breviariis ſuis inſerverint, id ſuis Ritibus accommodando ; atque in ſingularibus Diœceſibus, variiſque Monachorum, Canonicorum, & Religioſorum hominum Congregationibus ſolum Breviarium Romanum recitari, harum Eccleſiarum conſuetudini, rituique adaptatum.

Atque eo magis Breviarium hoc ab omnibus Eccleſiis ſuſcipi promeretur, quod, cum unica ſit Fides, æquum etiam videatur, unam eamdemque orandi rationem in Eccleſia eſſe oportere, quemadmodum dixit Carolus Magnus ; ſeu quemadmodum Innocentius I. in ep. ad Deodat. animadvertit, ſi Eccleſiæ omnes, conſuetudines ab Apoſtolis traditas ſervaſſent, eandem omnes Divina officia recitandi rationem habituras fuiſſe ; diſcrimen enim, quod in iis reperitur, inde duntaxat proficiſci, quod ab Apoſtolorum Traditione diſceſſerint. Quo fit, ut Italiæ, Africæ, Galliarum, Hiſpaniæ, atque Siciliæ Eccleſiæ, utpote ab Epiſcopis, a S. Petro, ejuſve Succeſſoribus miſſis conſtitutæ cum Eccleſia Romana omnino convenire deberent.

Concilium Vaſionenſe in Gallia habitum anno 529. monet, ut S. Sedis, quæ Romæ eſt, mos in Officii precibus ſequatur, atque ſingillatim Papæ nomen recitetur ; ut poſt *Gloria Patri* ſubjungatur *Sicut erat*, quemadmodum Romæ fit ; idque Hæreticorum cauſſa, Arianorum ſcilicet, Dei Filium in tempore incœpiſſe dicentium, qui iis in Provinciis graſſabantur.

Refert Ruffinus hiſt. l. 1. c. 19. Frumentium Æthiopiæ Apoſtolum, quarto Sæculo florentem, cum Chriſtianos quoſdam inter Romanos mercatores, qui ad negotiationem exercendam in Æthiopiam venerant, iis in locis invenniſſet, porectatem eis dediſſe Eccleſias in eius Regni regionibus erigendi, Deumque in commune orandi, juxta uſum atque morem Romanorum, eumque ipſum ceteris exemplo præviſſe.

Viros autem laudatiſſimos, ſi perpendamus, qui illi componendo ſtuduerunt, nemo diffitebitur illud ſumma veneratione eſſe dignitſſimum. S. Gregorius lib. 7. c. 19. ait, Damaſum Papam quoſdam Græcorum mores Auctore S. Hieronymo illi inſeruiſſe. Cæleſtinus Papa in Epiſtola ſua ad Epiſcopos Galliæ mentionem facit orationum ſolemnium, quæ tunc uſurpabantur, acceptæque fuerant ab Apoſtolorum traditione. S. Leo ſerm. 3. de Epiphan. de Evangeliis propriis. Solemnium dierum, Feſtorumque martyribus Sacrorum loquitur. S. Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii ait, Pontificem hunc operam ſuam impendiſſe libris officiorum, a Gelaſio compoſitis, eoſque in unicum volumen contraxiſſe, quod *Librum Sacramentorum* inſcripſit. Vi-

Digitized by Google

Vigilius Papa Eccleſiæ ſuæ in Officio recitando rationem ad Profuturum Epiſcopum Bracharenſem miſit, ut in tota illius Provincia recitaretur, idque in ſecundo Concilio Bracharenſi anno 563. habito receptum eſt, ubi can. 4. decretum fuit, ſervandum deinceps fore Officii ordinem, quem Profuturus a Sancta Sede acceperat. S. Gregorius præ omnibus Deceſſoribus ſuis Divino Officio inſudavit; Sacramentarium enim ejus nomine inſcriptum inſtituit, atque Antiphonarium, omneſque libros ad officium, & Myſteriorum celebrationem ſpectantes. Hadrianus Papa I. hoc opus ad Carolum Magnum miſit eum rogans, ut id in Imperio ſuo ſervari mandaret. Nono demum Sæculo nondum ineunte Ordo Romanus in lucem editus fuit, atque in Capitularibus anni 806. (*tom. 3. Concil. Gallic.*) ſtatutum fuit, ut Liber hic ſervaretur: *ut ſecundum ordinem & morem Eccleſiæ Romanæ fiat*. S. Benedictus in ſua Regula mentionem facit officii Romani, teſtaturque cap. 13. in illo quotidie ad Laudes Canticum quoddam Prophetarum recitari conſueviſſe, quod Monachis ſuis ſervandum præcepit: *Canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallis Eccleſia Romana*. Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Gregorii Papæ III. ait, Pontificem hunc Abbatem, & Monachos in Eccleſia Sancti Chryſogoni ſtatuiſſe, ad celebranda in ea diu noctuque Divina officia, quemadmodum in Eccleſia S. Petri fieri ſolebat: *Ad perſolvendas Deo laudes diurnis atque nocturnis temporibus, inſtar Officiorum Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli*. Amalarius noni Sæculi Auctor, Commentarios conſcripſit in Breviarium Romanum, atque poſt illum Rabanus, Valafridus Strabo, Alcuinus, pluresque alii.

Itaq; poſtquam Officium a S. Damaſo, S. Leone, S. Gelaſio, S. Gregorio, Hadriano I. Gregorio III digeſtum fuiſſet, Gregorius VII. poſtremam illi manum impoſuit. Officium iſtud a Micrologo Pontificis illius contemporaneo Scriptore deſcribitur; idemque Pontifex, ut in Hiſpania Romanum Officium reciperetur, effecit, quemadmodum ex ejus Epiſtolis ad Sanctum Arragoniæ, atque ad Alphonſum Caſtellæ Reges datis conſtat. Idem Simeoni in Regnis illis Epiſcopo per litteras mandavit.

Quod vero Angliam ſpectat, cum S. Gregorius illuc S. Auguſtinum miſiſſet, Romanos libros eo perferri curavit, Romanumque officium illic ita conſtitutum fuit, ut cum nonnulli Ritus quoſdam ſingulares inducere voluiſſent, reſtitit illorum conatibus Concilium Cloveshovienſe habitum anno 748. vetuitque aliis quam Romanis Antiphonariis, Miſſalibus, Ritualibus, & Martyrologiis uti: *ut uno eodemque modo Dominicæ Diſpenſationis in carne Sacroſanctæ Feſtivitates in omnibus ad eas rite competentibus rebus, id eſt, in Baptiſmi officio, in Miſſarum celebratione, in cantilena modo celebrentur, juxta exemplar quod ſcriptum de Romana habemus Eccleſia. Itemque ut per gyrum totius anni Natalitia Sanctorum uno eodemque die juxta Martyrologium Romanæ Eccleſiæ, cum ſua ſibi convenienti pſalmodia, ſeu cantilena veneretur*. Ex hoc Canone colligere licet, exciſſe tunc Miſſale, Antiphonarium, & Martyrologium Romanum, quæ ab omnibus Eccleſiis pariter ſervanda erant. Feſti dies Domino noſtro dicati, *Sacro-Sancta Feſtivitates* in eo appellantur. Valafridus Strabo ait, Officii Romani originem a S. Petro repetendam eſſe, Romanos ea, quæ re re eſſe ſibi viſa ſunt, illis, quæ a S. Petro acceperant, addidiſſe; horum conſuetudines a tot populis eſſe receptas, quod illuſtres ii ſint, utpote a S. Petro Apoſtolorum principe imbuti; quodque nulli Orbi Eccleſia, ut Romana, ab Hæreſum labe immunis fuerit. Haito Baſileenſis Epiſcopus in ſuis ſtatutis anno 824. editis, Presbyteris ſuis Breviarii Romani recitationem commendat Can. 24. præterea, ut Horis Canonicis die noctuque, juxta Eccleſiæ Romanæ morem adeſſe non negligant.

Omnes denique Apoſtolici viri, atque a Pontificibus tam prioribus, quam conſecutis ſæculis ad Evangelium propagandum miſſi, Romanum Officium ſecum ferebant, inducebantque in loca illa, ubi Chriſti Fidem, atque Religionem conſtituebant.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De additamentis, contradictionibus, & correctionibus Romani Breviarii.

EX iis, quæ de Sancto Gregorio diximus, satis constat, eum Officium a Gelasio plus æque productum contraxisse, atque diu esse, quod Romani Breviarii contractio instituta est; quare Officium contractum, sive Breviarium appellatum fuit. Verum præcipue post Gregorii VII. tempora, hoc nomine appellari merito potest hujus quippe Pontificis ævo longius multo erat illo, quo nunc utimur. Perlegebantur enim per anni cursum omnes fere novi veterisque libri: Psalterium universum per hebdomadam recitabatur; idque Festorum occursu minime interturbabatur, Horis singulis preces multæ addebantur, quæ hodie jejunii dumtaxat diebus, atque plurimum contractæ recitantur; ut Breviarium Epitome tantum sit majoris illius Officii. At tertio decimo sæculo longe aliter contractum fuit, ut Radulphus Tongrensis Decanus de Can. observ prop. 22. refert. In Pontificio Sacello vetus Officium primum contractum fuit, Officiumque quod peragebatur, *Officium Breviarium Curiæ Romanæ*, appellabatur. Radulphus ait, olim cum Pontifices in Laterano Palatio degebant, Romanum officium in eorum Sacello haud ita absolutum, ut in aliis Ecclesiis, fieri consueviſſe, quod Pontificii Sacelli Clerici, sive S. Patris justu, sive sponte sua Officium semper contraherent, ut negotiis suis vacare possent; additque Radulphus hujus Officii Ordinarium vidisse se post Innocentii III. tempore collectum. Cum ergo S. Franciscus Assisiensis Sodalibus suis mandasset, ut Divinum Officium juxta Romanum Ritum peragerent, *secundum ordinem Ecclesiæ Romanæ*, viri hi Religiosi existimantes, aut si mavis, existimare volentes, Ecclesiæ Romanæ morem illum esse, qui in Pontificis Sacello servabatur, & cum præterea Missionibus obeundis distinerentur, ideo contractum Breviarium, quod in illo usurpari solebat, susceperе, præcipue quod illud contrahere Apostolicis Missionariis concessum fuisset. Breviarium vero istud cum pessime esset digestum, Haymo Franciscanorum Generalis in id incubuit, *Officiumque* quod *Romanum* dicitur, ad eum pene statum, qui hodie viget, perduxit. Gregorius Papa IX. novam hanc Breviarii formam calculo suo confirmavit; Nicolaus III. vero mandavit, teste Radulpho, ut impositerum in singulis Romanæ Urbis Ecclesiis servaretur; eaque de causa antiqua omnia Antiphonaria, Lectionaria, Gradualia, aliosque cantus libros tolli jussit: *Sciendum est, quod Nicolaus Papa III. natione Romanus de genere Ursinorum, qui cæpit anno 1277. & Palatium apud S. Petrum construxit, fecit in Ecclesiis urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios Libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cetero Ecclesiæ urbis uterentur Libris, & Breviariis Fratrum Minorum, quorum Regulam etiam confirmavit.* Universæ urbis Ecclesiæ Nicolai III. mandato paruere, atque ita Fratrum Minorum Breviarium, quo nomine a Radulpho appellatur, susceperе: *Hodie Romæ omnes libri sunt novi, & Franciscani.* Idem conqueritur de multitudine Festorum viris Sanctis e Franciscana sodalitate sacrorum, quibus suo ævo Breviarium hoc scatebat. S. Franciſci Natalis dies in eo solemnis erat cum octava, Sanctaque Clara, S. Antonius Patavinus, pluresque alii, quos Pius V. amoveri jussit. Wadingus in Historia Fratrum Minorum hæc omnia ad annum 1244. refert, additque hunc ipsum Haymonem ad Missale quoque animum adjunxisse, quod Nicolaus III. confirmavit, recipique ab omnibus Ecclesiis curavit circa annum 1280. Sola S. Petri Ecclesia servavit, servatque ad hanc diem, aliquam saltem veteris sui Officii partem, quod ea de causa valde ab ipso distat, quod *Romanum* appellamus.

Immo multo antea Abailardus de varia

ria in Divino Officio recitando, quæ Romæ ſervabatur, ratione conqueſtus eſt, ſolamque fuiſſe S. Joannis Lateranenſis Eccleſiam, ubi Ordo Romanus ſervaretur, nequaquam autem in cæteris urbis Eccleſiis, neque in ipſo Pontificio Sacello. Ait enim, epiſtola quinta ad D. Bernardum ſcripta: *Sola Eccleſia Lateranenſis antiquum tenet Officium, nulla Filiarum ſuarum in hoc eam ſequente, nec etiam ipſa Romani Palatii Baſilica.* Breviarium iſtud ita a Fratribus Minoribus contractum, brevius adhuc redditum fuit a Franciſco *Quignonio* Cardinali S. Crucis, Clementis VII. & Pauli III. juſſu, quorum poſtremo illud dicavit circa annum 1550. inſcripſitque: *Breviarium Romanum ex Sacra potiſſimum Scriptura, & probatis Sanctorum Hiſtoriis.* Perlegebatur in eo Pſalterium ſingulis hebdomadis, ſingulis annis vero univerſa Scriptura: tres dumtaxat Pſalmi ſingulis diei noctiſque horis recitabantur, ad Matutinum autem Lectiones tres, quæ in dies mutabantur. Quoniam autem plurimi hoc propere reciperent, atque ita Franciſcanorum Breviarium penitus rueret, Pius V. novum Romanum Breviarium elaborari curavit, Quignoniani vero uſum interdixit: *Plurimi ſpecie Officii commodioris allecti, ad brevitatem novi Breviarii a Franciſco Quignonio Cardinale compoſiti confugerunt.... Auctoritate præſentium tollimus, & abolemus Breviarium Romanum a prædicto Cardinali editum.* Quignonii Breviarium editum fuit anno 1536. Romæ, atque inde alibi.

Radulphus iniquo animo tuliſſe videtur reformationem iſtam ab Haymone Generali in Romanum Breviarium inductam, atque approbationem, quam illi Papa largitus fuerat. Præcipua autem rario, qua movetur, ea eſt, quod nimis multa Sanctorum Officia illi inſerta fuiſſent, atque magnus Feriarum numerus abolitus. Vetus eſt querela iſta, videripue inter cereros poteſt Nicolaus de Clemangis, qui de hoc negotio dicere ſolebat, Deum pelli, ut ejus loco Sancti inferantur, atque Cæremoniarum libros corrumpi, ut ſedes advenis iſtis concedatur.

Quod ad correctionem, ſive reformationem Breviarii Romani ſpectat, ex Agobardi Libro de Correctione Antiphonarii intelligimus, a nono uſque ſæculo viros doctos complures, ut hoc præcipue Orbis Eccleſiæ Officium exactius eſſet, magiſque elaboratum, deſideraviſſe. Agobardus enim in libro de Pſalmodia mores Eccleſiæ ſuæ Lugdunenſis a Romanis diverſos tuetur; ſtatuitque, minime condemnandas eſſe peculiares quarumdam Eccleſiarum conſuetudines, ſi ad Lugdunenſis exemplum iis novos Pſalmos, atque Hymnos ſæpe flocci faciendos non inferant, Poematiiſque in Divino Officio uti nolint, in eoq; nil niſi e Scriptura depromptum recitetur. Hac Amalarium impetit, oſtenditque in libris Romani Officii plura haberi veteri Eccleſiæ Ritui adverſa. Rationem quoque reddit cur Antiphonarii correctionem inſtituerit, aitque, omnia, quæ e Scriptura petita non erant, reſecaſſe, quaſdam præſertim Antiphonas, quæ veritati adverſabantur, aut inſcitia, aut ſimplicitate hominum irrepſerant, reſecare. Quibus fit, ut Amalarius eorum, qui Romanum Breviarium immutarunt, primus habendus ſit. Rem denique Agobardus ita claudit, ut quemadmodum Eccleſia Miſſale habet, cujus doctrina ab omni labe immunis eſt, ac Lectionarium ex Lectionibus a Divina Scriptura petitis compoſitum; ita æquum eſſe, ut Antiphonarium quoque habeat ab omnibus mendis, hominumque inventis liberum; atque ex Sacrorum Librorum locis compoſitum. Hinc colligere licet, animadverriſſe Agobardum, quod nobis quoque licet hodie animadvertere, Miſſale Breviario purius perduraſſe, quod pauciora longe in eo immutata fuerint, Libroſque illos, qui puriſſimi, atque exactiſſimi ab Auctorum manibus exierant, veteris accurationis plurimum amiliſſe, cum privatorum hominum arbitrio permiſſi fuere. *Sicut in diebus ad*

Missas nonnisi divina generaliter eloquia decantantur, ita & in nullibus ad Sacras Dei Vigilias exhibendas, ex procni Lex debet observari. Correctio ista Antiphonarii, cujus Agobardus meminit, ad Antiphonarium illud spectasse videtur, quod Carolus Magnus in Galliam induxerat, in quo multa immutata fuerant, cui Amalarius quoque insudaverat, non autem ad Officium istud, in puritate sua, quemadmodum Romæ vigebat, constitutum. *Antiphonarium correximus, amputatis quæ superflua, levia, falsa, blasphema, ridicula, phantastica multa videbantur*, ait Amalarius in Opusc. de Correct. Videre est in Agobardo plurimam adversus Amalarium acerbitatem, atque præjudicatam in eum opinionem: verum tanti non fuit hujus censura, ut posteritas Amalarii opera magni non fecerit.

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis queritur quoque in Epist. 30. de ineptis illis Poematiis, quæ aliquando in Officium inducebantur, aut quod Historiæ mendacibrum plenæ legantur; aitque, se haud dudum in Ecclesia Hymnum quemdam in S. Benedictum cantari audivisse viginti, ut minimum, mendaciis refertum, præter peccata alia adversus Latinitatis, & metri leges, quæ res eum impulit ad alium Hymnum in Sancti illius honorem conscribendum.

S. Bernardus agit de instituendo virorum delectu ad Breviarii reformationem elaborandam. Scribens enim Guidoni Monti-Ramensi Abbati, Religiosisque ejus, qui ab eo petierant, ut Lectiones, atque Hymnos pro Sancti Victoris Natali die conscriberet, cujus ossa apud se esse existimabant, ait Pater iste, non audere se opus, ipso judice, vires suas adeo exsuperans, suscipere, & quod hominem poscit majori auctoritate præditum, vitæ præterea sanctioris, sublimioriisque styli laudibus insignem. Data autem occasione hæc addit, recitandas non esse in Officio novitias preces exiguæ auctoritatis, sed authentica, priscaque Scripta, quæ Ecclesiam ædificare apta sint, Ecclesiasticamque gravitatem redoleant. Quod si quis novi aliquid habere cupiat, idque res ipsa postulet, ea scripta erunt seligenda; quæ auditorum venerationem styli sublimitate, atque Auctoris sanctitate conciliant. Sententiæ vero illis contextæ veritatis esse debent quam testatissimæ, justitiam inspirare, humiliratem docere, pietatem imprimere, sensuum motus moderari, cantumque gravem esse, non effœminatum, aut rusticum oportet, ut Ecclesiæ cantus suavis quidem sit, haud tamen justo mollior, aures delectando corda commoveat, tristitiam soletur, iram mitiget, verborumque intellectum non impediat, sed foveat. Neque enim contemnenda est in spiritualibus vita jactura, cum cantus venustas nos sententiis minus attentos efficit, atque cum voci rite modulandæ studemus magis, quam ut fideles res ipsas melius percipiant.

Sæculo decimoquinto omnes Sæculares Potestates, Breviarii Reformationem petierunt, ut ex reformationis articulo 12. constat ab Imperatoris Legatis proposito. *Breviaria, & Missalia expurganda, resecandaque omnia, quæ non ex divinis sint sumta litteris*, tollendumque nimium Psalmorum numerum, qui justo longiori Officiorum prolixitate tedium dumtaxat, ac fere nauseam pariunt, instituendumque accuratiorem eorum delectum, qui servari, aut precum, quæ inseri debeant. *Resecent ea omnia, quæ non ex divinis Litteris, & tædiosam prolixitatem Psalmorum, & Orationum habito delectu contrahendam.*

In Commentario Cardinali Lotharingiæ dato, cum e Gallia discederet ad Tridentinum Concilium iturus anno 1562. Regis, universorumque Regni Ordinum nomine ei demandatum est, ut peteret, urgeretque; quo Divina Officia pure, ac rite peragerentur, resciscisque superstitionibus cæremoniæ, precesque emendarentur.

In propositione a Carolo V. Augustæ Vindelicorum anno 1548. exhibita, sancitum est, Breviarium *in formam precum, & orationum ab antiquis Ecclesiæ Patribus, & Rectoribus traditam, præscriptamque* redigendum. *Apocrypha parumque ad sinceram cultum pertinentia a Breviariis resecanda, a viris doctis, & piis emen-*

emendanda ; Ceterum Concilium Tridentinum Patribus, quibus Catechismi cura demandata erat, præcepit, ut Missale, & Breviarium æque reformarent. Complures, ut uniusmodi in tota Ecclesia essent, optabant ; alii vero Diœceseon suarum peculiares ritus tuebantur. Quare Legati ejus rei definitionem vix anno haberi posse perspicientes, ut ea Papæ permitteretur, auctores fuere. His Præsules aliquot minime assensi sunt, quos inter Herdensis Episcopus longam orationem habuit, ut ostenderet, quantum interesset Breviariorum, & Ritualium emendatio ; palamque professus est, opus esse ad eam rem exquisitam antiquitatis, Provincialiumque consuetudinum notitiam, scientiam vero hanc in Romana Curia minime obviam esse, quæ viris careat in hoc studiorum genere exercitatis ; facilius vero tantum opus a Concilio, quam a privatis Doctoribus expectari posse. Attamen orationi exitus non respondit : absolutum enim Concilium fuit, Ritualibus, & Breviariis non emendatis, quod demum præstitit Pius V. Quoniam vero, qui Breviarium reformari petunt, eo omnes collimant, ut quam simillimum primæ institutioni reddatur, videamus sane, quale fuerit vetus Romanum Officium.

Gallonius Oratorii Romani Presbyter, qui anno 1605. obiit, in suo de Monachatu S. Gregorii Tractatu, Constantino Cassinati Monacho respondens; qui Pontificis illius Monachatum ex Breviarii Romani Lectionibus comprobare volebat, ait, Romanam Ecclesiam, non omnia, quæ in ejus Breviario sunt, pro divinis, & canonicis habere, sed Lectiones dumtaxat e Scriptura depromptas. Addit Breviarium hoc non omnino ab omnibus mendis immune esse, cum a Sixto V. & Clemente VIII. correctum sit.

CAPUT VI.

Quæ Romæ fuerit vetus Divini Officii recitandi ratio.

VAlafridus Strabo, Durandus in Rational. lib. 5. cap. 2. plurefque alii tria tempora Romani Breviarii distinguunt : primum ab Ecclesiæ exordiis, usque ad annum 420. ajuntque per ea tempora Officium Oratione Dominica, Apostolorum Symbolo, certoque Psalmorum numero absolutum fuisse, quæ in Cleri, & Fidelium conventibus ad orandum in commune institutis recitabantur, juxta S. Pauli 1. Cor. 14. 26. monita : *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant.* Singuli juxta animi sensum, atque motum orabant ; nulla ea de re lex lata erat ; atque ad Episcopi, aut ecœtus Illius principis arbitrium preces illæ durabant.

Referunt vero hi Scriptores circa annum 420. Theodosio Imperatore petente, quod precum illa diversitas confusionem in Ecclesia pareret, atque Hæretici Catholicorum officia ludibrio haberent, Papam Damasum S. Hieronymo mandasse, ut Psalmorum in diei, & noctis horas distributionem institueret pro Dominicis, ceterisque hebdomadæ diebus, atque itaiis, quæ ex Vetere, Novoque Testamento legenda erant, digestis, Epitomam quamdam precum composuisse, *Lectionarium Hieronymi* appellatam. Damasus Operi huic calculum suum addidit, atque per universam Ecclesiam recitari jussit.

Tertium Romani Breviarii tempus est, juxta Durandum, quod post Damasum Papam fluxit, quo Psalmorum, & Lectionum distributioni Collectæ, sive Orationes additæ fuere, quod a S. Leone, & S. Gelasio præstitum est ; S. Gregorius vero Antiphonas, & Responsoria inseruit.

Optandum sane esset, ut omnia hæc aptis veterum testimoniis firmata essent;

neque enim ex priorum ſæculorum hiſtoria apparet, S. Hieronymum Officium digeſſiſſe, aut Lectionarium, quod illi tribuitur, quidquid Bona Cardinalis de rebus Liturg. lib. 2. cap. 6. moliatur, ut illius revera eſſe evincat. Licet enim vetus mos quarumdam Eccleſiarum eſſet, Divinam Scripturam poſt Pſalmodiam legendi; ut in Laodiceno Concilio ſtatutum eſt: *Plures pſalmos continenter recitandos non eſſe, ſed inter ſingulos Pſalmos lectionem prælegendam*; attamen an mos iſte Romæ illico receptus fuerit, ignoro.

Affirmare quoque non dubito, Pſalterium per hebdomadam diſtributum, vetus eſſe Romanum Officium, cujus inſcriptio ſervata fuit in Breviarii fronte: *Pſalterium diſpoſitum per hebdomadam*: atque veluti Judæorum Breviarium Pſalterio conſtabat, ita & Eccleſia initio nil nisi Pſalmis, & Oratione Dominica utebatur. Certus erat ſingulis diei horis Pſalmorum numerus, quibus decantatis, *Pater* recitabatur; hinc in ſingulis Matutini Nocturnis poſt *Pater* Abſolutio ad hanc diem uſurpatur, cujus rei ratio alia non eſt, niſi quod *Abſoluta pſalmodia Pater* recitaretur. Nullæ quippe Lectiones Romæ cognitæ erant in Officio, aut Hymni, Collectæve, ſed Pſalterium pro Eccleſiæ ſolemni oratione adeo habebatur, ut S. Auguſtinus eum Presbyteri nomine indignum eſſe pronuncier, qui Pſalterium ignoraret: *Vix nomen Sacerdotis mereatur, qui pſalterium ignorat*. Septimo Concilio Toletano can. 10. cautum eſt, ne ad Sacros Ordines ii admittantur, qui Pſalterium, & Cantica ignorarent. S. Gregorius lib. 4. ep. 49. Epiſcopum initiare noluit hominem, qui Pſalterium memoria non tenebat; erat enim *illud* communis, & quotidiana Clericorum oratio.

Quod ad Lectiones attinet, hæ diu nonniſi Miſſæ tempore fiebant, vel tunc expliciri ſolebant; S. Juſtino teſte in Apolog. 2. *Dominicis diebus Chriſtianorum cœtus celebrantur: prælegitur ſæpe ex Scripturis, quantum licet: poſt lectionem Epiſcopus exhortationem incipit, inde offerimus.*

Tertullianus in Apolog. c. 39. ait: Ad Divinas Scripturas legendas convenimus. Quemadmodum autem apud Hebræos univerſum Divinum Officium, Sacrificiis exceptis, ſolo Pſalmorum cantu conſtabat, atque ii Sacrificium ipſum Pſalmorum cantu comitari ſolebant, ſolaque Sabbathi die legebant, & concionabantur, licet ſæpius per diem ad orandum convenirent; idem quoque diu in Eccleſia ſervatum, Romana præſertim, quæ quam minimum e veteribus inſtitutis immutavit, teſte Stephano Papa: *Nihil innovetur, præter quod traditum eſt*. Quare univerſi Officiorum Libri a S. Gregorio, ejuſque Succeſſoribus in Galliam, atque alio miſſi præter Miſſalia aliud non complectebantur, quam Pſalmorum, Antiphonarium, & Reſponſoriorum eantum, qui Antiphonarii, aut certe *Pſalterii* nomine appellabantur.

Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui lib. 2. cap. 57. de variis horis orationi deſtinatis agit, de lectione non niſi Miſſæ tempore meminit, quamgeminam fuiſſe ait, ex Veteri unam, ex Novo alteram Teſtamento. Lectoris erat eas prælegere. Presbyterorum vero in vices ſermonem, ſive ſuaſoriam ad populum habere.

Primi mortalium Monachi Lectiones officio inſeruere, ut negotium ſibi, & varietatem in Officio compararent. S. Hieronymus de Monaſterii Bethleemitici Officio agens, ait dumtaxat, *Pſalterium canebant*, eratque diſtributio quædam Pſalterii per varias horas orationi ſacras, nullaque Virgo illuc admittebatur, quæ Pſalterium memoria non teneret. Auctor Epiſtolæ ad Virginem Demetriadem horas ad precandum præſcribens, aliam ad Scripturas legendas deſignat: *Præter pſalmorum, & orationum ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte, & mane ſemper eſt exorandum; ſtatue quos horis Sacram Scripturam legere debeas*. S. Gregorius Nyſſenus in Vita Sanctæ Macrinæ de Pſalterio dumtaxat loquitur, quod variis diei horis in Monaſteriis recitabatur: *Aſſidua pſalmorum decantatio, quæ nec die, nec*

Digitized by Google

nec nosse intermittebatur. S. Joannes Chrysostomus populo suo suadens, ut noctu ad orandum surgeret, de Psalmis tantum loquitur, qui decantabantur. Auctor Libri de Virginitate inter Athanasii opera Psalmis *Pater* jungit: *Volo psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas voce*. Gregorius Turonensis in Vit. Patr. c. 5. dicere volens, se nondum Officium suum recitasse, Psalmos se nondum persolvisse ajebat: *Quod necdum Domino psalmorum decantationem debitam exsolvisses*. Cassianus Nocturnum Officium Palæstinæ Monachorum describens, ait tantum, post duodecim psalmos orationem eos recitavisse, duasque Lectiones dominica tantum die habuisse. S. Benedictus Divini Officii ordinem Monachis suis præscribens, palam pronunciat, fidelium, qui ante se fuerunt, pietatem tantam fuisse, ut Psalterium universum quotidie decantarent; sibi vero satis esse, si Monachi sui id semel per hebdomadam recitent; tot Psalmorum autem loco Hymnos, & Lectiones inseruit.

Hinc Theodemarus Montis Cassini Abbas in Epistola ad Carolum Magnum scripta apud Paul. Diac. circa dubitationem per ea tempora exortam, cur S. Benedictus nullas Lectiones per æstatem nocturno Officio præscripsisset, ait, ante S. Gregorium Papam nullas Lectiones Romæ recitari consuevisse, eumque Pontificem primum illis usum fuisse: *In Ecclesia Romana Sacras Scripturas legi mos non fuerit ante B. Gregorii Papæ* . . . . .

Ut igitur totam Romani Breviarii historiam ab origine repetamus, aliud ab initio non erat, quam Psalmorum distributio; vigetque ad hanc diem prisca ejus inscriptio: *Psalterium ordine dispositum*: Sequiori tantum ævo Pontificii Sacelli Breviarium appellatum fuit, *Breviarium Curiæ Romanæ*; aut quemadmodum Quignonius Cardinalis suum inscripsit, *Breviarium ad usum, & ritum Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ*; aut, quo modo a Pio V. appellatum fuit, *Breviarium Romanum*.

Psalterium ergo essentialis quodammodo erat ejus pars; huic Oratio Dominica, & Apostolorum symbolum superaddita fuere, quæ publicæ erant Cleri, & fidelium preces. Damasus Papa fortasse S. Hieronymo hortante Psalmorum distributionem ratam habuit; sed nulla extat ejus rei satis firma probatio. Credibile autem est, Strabonem, qui ejus epocham sub Imperatore Theodosio ponit, Scriptorem cetera satis accutatum, id sine auctore non affirmasse. Nono sæculo monumenta fortasse extabant, quibus probari posset, Damasum Papam Theodosio Imperatore petente, atque præterea ad uniformem in fidelium precibus rationem procurandam, S. Hieronymo, qui in Hierosolymitano recessu cum S. Paula degebat, negotium dedisse, ut Psalmorum distributionem in diei, noctisque horas institueret, tam pro Dominicis, quam pro aliis hebdomadæ diebus. Quod si is Lectiones inseruerit, hæ Evangeliis, & Epistolis dumtaxat ad Missarum usum per anni circulum constabant; quæ ratio esse potuit, cur *Lectionarium* illud *Hieronymi*, sive *Comes Hieronymi* appellatum fuerit. Dicebatur autem *Comes*, sive *Socius*, quod Ecclesiastici viri illud præ manibus semper habere deberent, sæpeque numero vocatur tantum *Liber Comes*, seu *Liber Comitis*.

Hæc princeps omnium Officii distributio Romæ instituta; inde ad populos, qui per varias mundi regiones christi fide imbuebantur, officium illud perlatum est. S. Augustinus Angliæ Apostolus secum in eam Insulam Breviarium tulit; Pipinus & Carolus Magnus in Gallium suscepterunt; deformatum vero fuit in Provinciis procul ab urbe dissitis, additamentis aut mutationibus factis; aut contractionibus in Papæ Sacello, cum in Lateranensi Palatio degeret, institutis. Facile ergo intelligimus, cur Commentariis in illud ab Amalario, Valafrido Strabone, Micrologo, aliisque, conscriptis adeo dissimile hodie deprehendatur.

Itaque S. Gregorius Antiphonas, & Repertoria addidit; Gregorius VII. eo loco statuit, quem refert Micrologus; Gregorius IX. contractionem a Fratribus

Digitized by Google

bus Minoribus factam approbavit; Nicolas III. anno 1280. veteres omnes Libros aboleri mandavit, solumque Breviarium, ut a Fratribus Minoribus contractam erat, servari jussit. Clemens VII. operam hanc Quignonio Cardinali delegavit; Paulus III. novum hoc Breviarium confirmavit; Pius II. ejus usum interdixit; Pius IV. anno 1563. a Patribus Tridentini Concilii petiit, ut illud reformarent, quo eadem esset in tota Ecclesia Officii peragendi ratio; Pius V. ratam esse jussit reformationem tunc institutam, vetuitque aliquid addi, vel immutari, *Nihil in eo mutandum, addendum, & detrahendum*. Anno 1607. Clemens VIII. id retractari, restitui, & reformari curavit, quod plura in eo a Pii V. temporibus immutata fuissent: *Ita ut nulla jam reperiantur Breviaria, quæ a prima editione ejusdem Pii in multis non discrepent, neque dissentiant, & aliqua recognitione indigeant: Mandavimus nonnullis piis, & eruditis viris, ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent, atque examinarent, & ea quæ depravata esse, & recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina, & pietate restituerent*. Anno 1631. Urbanus VIII. denuo Breviarium reformavit; Hymnos emendari curavit, facultatem tamen concedens veteres recitandi, quæres duo veluti Breviarii genera constituit, novos videlicet & veteres Hymnos habentia; quartam Antiphonam in Laudibus Purificationis, *Revertere*, sustulit, ejusque loco, *Lumen*, substituit. In Lectione S. Fabiani Novatianorum Historia Apostatas ad Pœnitentiam non admittentium resecata fuit; Quinta Dominica post Epiphaniam S. Ambrosii in Epistolas S. Pauli expositionis loco, S. Augustini sermonem collocavit; a Feria quarta vero temporum Quadragesimæ S. Augustini homiliæ aliam S. Ambrosii substituit: plures Lectiones Communi Sanctorum, aliaque his similia addi, atque præstari curavit. Breviarium itaque, quo hodie utimur, trium Pontificum nomina præfert, Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII. *Pii V. Pontif. Max. jussu editum, & Clementis VIII. primum, nunc demum Urbani PP. VIII. auctoritate recognitum*. Alia addidere posteriores Pontifices. Paulus V. Gregorius XV. ante Urbanum VIII. deinde Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. Alexander VIII. Clemens XI. aliique, novos Sanctos illi inseruere.

Ex oratione Dom. Servini in Parisiensi ut ajunt Parlamento Advocato Generali adversus Episcopum Juliomagensem, qui Breviarium Romanum in Ecclesia Collegiata & Parochiali Trinitatis Juliomagensis servari mandaverat, colligere licet, Breviarium Romanum neque receptum, neque impressum in Gallia fuisse ante annum 1580. Henricum III. Romanum Breviarium formis excudi ad Jesuitarum preces fivisse; Regisque hujus Aulicorum nonnullos omnem lapidem movisse, ut per Galliam universam reciperetur. Ea autem arte id assecuti sunt, ut primum illud excudendi veniam impetrarent; inde in Ecclesias aliquot inductum fuit, atque anno 1583. in Regis Sacellum, ubi nullis nisi Parisiensibus Missalibus, & Breviariis, quemadmodum & in Sacris aliis Gallia Sacellis usmquam locus fuerat.

Ii, qui mordicus Breviarium Romanum tuentur, Pii V. Bulla utuntur, cujus est hoc initium: *Quod a nobis postulat ratio*, ut Diœcesanis omnibus Breviariis abjectis, solum Romanum per universum orbem suscipiatur. Illis vero hæc sunt reponenda, id nequaquam Pontificis illius consilium fuisse, cum Bullam suam non ad omnes orbis Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos direxerit, ut Romæ fieri mos est, ubi Pontifex universam Ecclesiam alloquitur, a Pontifex Breviarium corrigendo id tantum præstat, quod Tridentini Concilii Decreta Sess. 22. statuerant; illud autem minime jussit Breviarium fieri, quod a toto orbe servandum esset, immo singulis Episcopis præcipitur, ut pravos usus tollant, qui in Ecclesias ipsorum curæ commissas irrepsissent. 3. Si Pii V. consilium fuisset, omnes Ecclesias ad suum Breviarium servandum cogere, Nationes singulas, ut Gallicam, Hispanicam, aliasque, im-

Digitized by Google

mo Reges ipſos, ſummoſque Regionum Principes, ad mutationem hanc in exteriori Religionis uſu rite introducendam in anteceſſum conſulere oportuiſſet. 4. Pontifex hic non uno loco ait, *ſe iis mandare, ubi dici conſueverit, aut debere*; quod de Eccleſiis, quæ ſitæ ſunt in locis Pontificis Imperio parentibus intelligendum eſt. 5. Pontifex per Bullam ſuam minime abolere voluit Breviaria Benedictinorum, Ciſtercienſium, cæterorumque Religioſorum, & Religioſarum, qui poſt hanc ipſam Bullam Breviaria, atque inſtituta ſua ſemper ſervaverunt; nullam enim eorum mentionem Pontifex hic facit. Cur igitur Eccleſiarum Cathedralium totius Eccleſiæ Breviaria abolere voluiſſe cenſendus eſt? quemadmodum enim poſt Bullam iſtam, Regulares ſui Officii morem retinuerant, ita & Cathedrales Eccleſiæ mores ſuos mutare non debuerunt. 6. Idem Pontifex ait, nihil ſe illis præcipere, qui ex conſuetudine Officium habeant ducentis annis antiquius. Denique nullius Ordinis Breviaria abolevit, atque Romæ ne S. Petri quidem; ejus itaque conſilium numquam fuit Officia Eccleſiarum Cathedralium abolere.

Epiſcoporum quoque, atque Regum agitur negotium, ſi apud eos Romanum Breviarium non introducatur; precum enim fructu carerent, quas pro illis Clerus, atque populus fundere debent, quod in Romano Officio nulla ſit pro Diœceſeos Epiſcopo, neque pro Rege oratio; in Diœceſanis vero precibus recitatur: *Oremus pro paſtore noſtro*, atque collecta ab ea, quæ pro Pontifice ſit diverſa: dicitur quoque, *Oremus pro Rege noſtro*. Quibus ſit, ut Senatus Pariſienſis Decreto cautum ſit, ut qui Romanum Miſſale in Gallia formis exeudunt, in Miſſæ Canone inſerant, *& Rege noſtro* N. quod mandandum quoque fuiſſet pro die Paraſceves in ſolemnibus precibus, atque pro Cerei benedictione, quæ ſit Sabbatho majoris hebdomadæ. Decretum hoc latum eſt, ubi Miſſale Romanum in Gallia excudi cœpit.

Poſtquam Henricus III. Romani Breviarii uſum in Sacellum ſuum induci paſſus eſt, per plures alias Eccleſias ſenſim uſurpari cœpit. Anno 1610. cum D. de Baliſac Epiſcopus Noviodunenſis theſaurarius eſſet, feria quarta Cinerum in Sacro Pariſienſi Sacello acceptum eſt. Idem paulo poſt in S. Sacello Vincennenſi præſtitum eſt, quod per Erectionis Leges Officium Divinum in eo ad S. Sacelli Pariſienſis morem ſit celebrandum.

Complurium eſt Theologorum ſententia, eum, qui in Diœceſi, ubi peculiare eſt Breviarium, nullum Beneficium habeat, poſſe Romanum Breviarium recitare, quia Romana Eccleſia *Mater eſt omnium Eccleſiarum*.

CAPUT VII

Diſtributio Officii apud Judæos.

Judæi preces publicas, & peculiares habent, putantque ſe ſub ipſam lucem ad orandum ſurgere teneri. Antequam orare incipiant, manus, & faciem lavant, atque propere ad Synagogam convolant. Eſdram illi exiſtimant preces matutinas, atque ſerotinas inſtituiſſe, Feſtiſque præterea diebus nocturnam orationem. Singuli centum Benedictiones quotidie recitare debent. In Synagogis vero, Lectionibus, e Scriptura excerptis, Benedictiones iſtas identidem miſcent, adduntque ſententias e Pſalmis petitas, præceſque alias complures. Sedentes plerumque orant, & capite ad terram prono. Ubi vero humiliori præter morem ratione orare volunt, humi ſe ſternunt, manibus, pedibuſque extentis, altumque vociferantes. Miniſter præit Antiphona *Kaſdich* appellata, qua a Deo petitur ejus nominis ſanctificatio. Poſt Antiphonam recitabatur olim Decalogus; hodie locus aliquis Deuteronomii legitur, quo perlecto ſurgunt omnes, ſtantesque, ac ſubmiſſa voce orant; inde Miniſter decem orationes recitat, atque Antiphonis orationem claudit.

Poſt meridiem preces aliæ renovantur, atque aliæ ſub veſperam.

Ho-

Digitized by Google

Horum preces fere contextæ ſunt ex variis Scripturæ locis, laudes Dei continentibus, atque a Catholicorum precibus haud multum differunt. Sunt & varia illis officia, quæ noſtris Officiis reſpondent Duplici, Semiduplici, & Simplici, Communi, Proprio, & Commemorationibus. Sunt præterea ſui cuique Synagogæ ritus, Hiſpanicæ, Germanicæ, Italicæ, atque aliæ. Modeſtus orantium habitus, atque animi ſumma attentio ſimulum ad pietatem addunt. Habent quoque in precum Formulariis peculiares preces pro Principibus, quibus parent. Ad cujuſque orationis finem, populus reſpondet *Amen*. Sacræ Conciones vulgari lingua fiunt, ut ab omnibus percipiantur; at Scripturæ loci Hebraice recitantur, quos Concionator vulgari lingua ſubinde interpretatur. Singulis concionari fas eſt, unde facile intelligitur, cur Dominus noſter, ejuſque Apoſtoli, cum Synagogas ſubirent, concionarentur, & quo pacto Jeſus Chriſtus duodecim annos natus Doctores audiret, atque interrogaret. Sabbathis dumtaxat, feſtiſque majoris celebritatis diebus concionantur. Circa Synagogam ſcamna ſunt ad ſedendum parata, in medio vero lampades pendent, atque candelabra ad tenebras pellendas. Capſula ad januam ſita eſt ad colligendas pro egenis eleemoſynas. Ad Synagogæ latus locus eſt cancellis, cratibuſque concluſus, mulieribus ad orandum deſtinatus, ex quo cuncta quidem ipſæ proſpiciunt, videri vero ipſæ nequaquam poſſunt.

Ubi conventum eſt, Cantor pulpitum aſcendit, preces præcinit, quas alii proſequuntur. Harum precum forma pro regionibus varia eſt. Germani altiori quam alii voce canunt; Græci, atque Aſiatici Turcarum fere in morem; Italici vero lugubri quadam ratione. Omnes vero pari conſenſu mane Pſalmos a 145. *Exaltabo te Deus* incipiunt, ceteroſque deinceps recitant, *Alleluia* ſingulis præmittentes. Ad finem vero lectio fit, & gratiarum actio. Feria ſecunda, & quinta alias addunt Benedictiones. Preces pomeridianæ ab *Exaltabo* pariter initium ducunt. Veſpere laudes Deo noctem adducenti recitantur; inde Lectiones tres Decalogum continentes, *Audi Iſrael*.

Philo de Vita Cont. hunc in modum Therapeutarum preces deſcribit. Bis per diem orant, mane atque veſpere. Lectiones ſunt e Sacris Libris. Hymnos & Cantica conficiunt, variis metris atque cantu. Sabbathis in communem Proſeucham conveniunt, quam trium cubitorum murus ſecat, ut mulieres a viris diſcretæ concionem, quin videantur, audire poſſint. Aſſident ibi juxta ætatis ordinem, tectis manibus, dextera ad pectus admota, ſiniſtram vero ſub illam applicantes: Cantica complura in Dei honorem canunt, alternis modo, modo univerſorum vocibus. Interea geſtiunt manibus, ſaltant, atque furore quodam correpti videntur pro cantus canticive partium ratione; demum unicam ſimul choream agunt ad illius imitationem, quæ poſt Erythræi tranſfretationem inſtituta eſt. Graves virorum voces mulierum acutis commixtæ gratum concentum efficiunt. Hos Philo *Therapeutas* appellat, quod contemplationi unice vacarent, animique peculiarem curam habentes Deo perfectiori quadam ratione inſerirent. Judæi erant cujuſque Nationis, qui Alexandriæ convenerant; veroque ſimile eſt S. Marcum, qui in Urbe illa frequentiſſimam Eccleſiam fundavit, Therapeutarum plurimos ad ſe pertraxiſſe. Euſebius maximam ſimilitudinem cernens inter horum mores, eorumque qui primi Chriſtianum nomen profeſſi ſunt, Chriſtianos fuiſſe opinatus eſt. Hujus ſententiæ S. Hieronymus, S. Epiphanius, Caſſianus & Sozomenus adſtipulati ſunt; ſed ex Philone ſatis conſtat, eos Chriſtianis antiquiores fuiſſe, neque Chriſtianos appellat, aut ſi Chriſtiani fuiſſent, cum ipſe Hebræus eſſet, laudibus non exornaſſet. Præterea illorum choreæ nihil ſimile Chriſtianorum inſtitutis habent; atque licet quædam eſſet inter vivendi rationem ſimilitudo, oſtendendus ad hæc eſſet peculiaris aliquis Chriſtianorum character, aut aliquod doctrinæ vel diſciplinæ caput, quod a Chriſto accepiſſent. Obſer-

Digitized by Google

ſervatio enim Sabbathi, panis fermentati, ſalis hyſſopo mixti ſuper Templi menſam propoſiti mores ſunt, qui Judæorum magis quam Chriſtianorum ritum ſapiunt. Quare Secta fortaſſe fuerit Ægyptiorum aliquot Judæorum, contemplationi vacantium.

Idem fere judicium eſto de Eſſeniis, quorum meminit Joſephus de Bello Judaic. l. 11. c. 12. qui in Paleſtina vitam in commune agebant. Sabbathis conventus fiebat; Legem eorum aliquis legebat, alter explicabat; mane ſummo ante Solis ortum orabant, atque priuſquam cibum ſumerent, eoque pariter ſumpto Oblationes ad Templum mittebant, ſacrificiorum exoſi; neminem niſi Deum, qui ipſis præeſſet, agnoſcebant, atque omnia potius pati, quam hominibus parere voluiſſent. Fato omnia, nihil libertati tribuebant. Qualeſcunque vero illorum virtutes fuerint, plurimum a Jeſu Chriſti Diſcipulorum excellentia diſtabant.

Infideles omnes ceteri, qui verum Deum agnoſcunt, habent quoddam Officii genus, ſive ſtatas preces & tempora ad orandum. Mahumetani juxta ipſorum Legem quinquies per diem orare tenentur, ſub auroram, ſub meridiem, poſt prandium, ad Solis occaſum, atque nocte adveniente. Sunt quidam in foris atque templis, *Moſchees* ipſi appellant, publice conducti, qui orationis tempus inſtare monent, ſingulique, poſtquam loti ſunt, ad templum procedunt. Miniſtrorum aliquis preces agere incipit, ceteri vero quæ ille canit, agitque, ſeu manus tollat, demittatque, ſeu ſedeat, ſive ſtet, eadem omnino præſtant. Qui Templum adire non poſſunt, domi orant, quemadmodum mulieres, quibus cum viris Templum ſubire non licet. Feria Sexta, qui dies illis Feſtus eſt, viri Nobiles ad Templum ſolenni ritu procedunt. Idem mos eſt Conſtantinopolitani Imperatoris, qui prima Lunæ cujuſque Feſta die ad Templum apud ipſos maximum accedere conſuevit. Præter ſtatas preces *Corollas*, quas nos roſaria vulgo dicimus, manibus quoque tenent, granis pluribus conſtantes, ad quodlibet vero granum unum ex Dei nominibus pronunciant, puta, *o unice*, *o incomparabilis*, *o miſericors*.

CAPUT VIII.

De Eccleſiarum Orientalium Breviario.

VEteres videre eſt Officii recitandi rationes tam in Oriente, quam in Occidente. S. Gregorius Papa lib. 7. ep. 63. ritus Hieroſolymitani meminit, quem Romana Eccleſia alicubi imitabatur, ex gr. *Alleluia* poſt Paſchatis tempus recitando: adfirmatque, *Damaſum Papam eum morem iuxta Hieroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudinem a S. Hieronymo propoſitam Romæ ut ſervaretur auctorem fuiſſe*. Id unicum fere de Officio a Damaſo diſtributo, & S. Hieronymi ex de re conſilio, compertum habemus. Pſalterii enim diſtributio per hebdomadæ dies, atque ſacrorum librorum per anni curriculum perlegendorum, quam nonnulli Officiorum Eccleſiaſticorum Scriptores illi tribuunt, nititur dumtaxat epiſtola quadam ad S. Hieronymum data, perperam Damaſo adſcripta, Hieronymique ad eam reſponſione. Illarum utraque in Conciliis referuntur; verum, præterquam quod ſtylo utriuſque Sancti diſſimillimo conſcriptæ ſunt, inania præterea, falſaque plura continent, veluti S. Hieronymum ab Alexandro Sacerdotio initiatum, cum conſtet, eum a Paulino ordinatum fuiſſe. In altera vero fingitur, S. Hieronymum Damaſo ſuadere velle, ut *Gloria Patri* ad cujuſque Pſalmi finem recitari jubeat, juxta Nicæni Concilii decreta; atque Orientis conſuetudinem: Caſſianus autem teſtatur l. 2. inſtitut. c. 8. id in Oriente minime ſervari conſueviſſe.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 14. agit de Pſalmiſtis, ſive Eccleſiæ ſuæ Cantoribus, atque de nocturno, diurnoque officio, quod in illa peragebatur. Conſtitutiones Apoſtolicæ, preces fieri volunt mane, hora diei tertia, ſexta, & nona, Veſpere præterea, &

ad galli cantum. S. Athanasius in sua Apologia Synaxium meminit, vigiliarum, & noctium, quæ orando traducebantur, itemque S. Basilius in Regulis suis, atque Monasticis institutionibus. S. Pacomius Regulam suam, atque Psalmodiam, sive Officii peragendi rationem ab Angelo accepit. S. Antonius in Monasteriis suis choros Monachorum instituit, qui laudes Deo canerent. Testis quoque est S. Gregorius Nazianzenus, morem ævo suo viguisse, noctu laudes Deo canendi alternis modo choris, modo universis simul canentibus. S. Ephrem Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum, & Matutini meminit. S. Gregorius Nyssenus Psalmorum cantum potissimam Religiosarum mulierum exercitationem reputat, atque singillatim Vesperarum, & noctis preces designat. Cæsarius quoque ait, Christianos ter per diem orare. S. Epiphanius in Monasterio suo Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas recitari curabat. Palladius ait, hora Nona Monachos Nitrienses Psalmos, & Cantica in Monasterio canentes exauditos fuisse. Auctor Libri Hierarchiæ de Ecclesiastico cantu Psalmorum, Hymnorum, Lectionum, & Canticorum agit. S. Joannes Chrysostomus Homil. 1. in David in illos invehitur, qui Divinum Officium deserunt, ut spectaculis intersint, aitque perneccessarium esse, Christianos Divinis officiis adesse. De illis etiam in Psal. 48. conqueritur, qui post concionem discedebant, dicebantque: *Domi etiam orare, Concionem vero nonnisi in Templo audire possumus. Vos ipsos egregie fallitis*, inquit Orat. 3. de incompr. Dei nat. *licet enim domi quoque orare possitis, illa tamen oratio tantam vim minime habet, quantum illa, quæ in Ecclesia facta est, ubi tot adsunt Sacerdotes pro vobis orantes, ubi una omnium voce exclamamus, Deique misericordiam imploramus. Communis oratio est mirus quidam concentus, qui ex charitatis consensu proficiscitur. Huc adde Presbyterorum preces, qui Conventui præsunt, ut populorum oratio vi suapte infirmior, ministrorum Ecclesiæ precibus innixa robur accipiat.*

Quod ad Officii apud Orientis Ecclesias distributionem attinet, ex hactenus dictis satis constat, illud e Psalmorum cantu præcipue compositum fuisse, qui in dies, noctisque horas singulas distributi erant. Concilium Laodicenum anno 360. habitum singulare ejus rei specimen præbet. Can. 15. de Choro agit, deque Canonicorum exedris, quos Cantores Canonicos appellat, qui in Ecclesia canebant, atque e scripto prælegebant. Can. 17. plures Psalmos continenter recitari non vult, sed singulis Lectionem interponi. Can. 18. easdem preces hora Nona fieri jubet, quæ Hora Vesperarum fieri solent. Can. 51. ait, Martyrum Festa Quadragesimæ tempore non esse celebranda. Can. 59. peculiares Psalmos, aut Libros minime Canonicos in Ecclesia recitari non oportere, sed eos dumtaxat, qui in Veteris, Novique Testamenti Codicibus leguntur.

CAPUT IX.

Distributio Officii apud Græcos.

ORientis Ecclesiæ, sive Græci, Officium suum ita fere distribuunt. Psalterium in viginti quatuor stationes partiuntur, quas bini stantes recitant, dum ceteri sedent. Psalterium singulis hebdomadis plerumque absolvunt, easdemque, ac Latini, horas habent. Nocturnum Officium peculiari oratione ordiuntur: *Benedictus Deus noster nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen*, aut alia quadam huic simili. Inde Trisagion recitant, scilicet: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis*, atque ter *Gloria Patri*; & pias quasdam ad Deum aspirationes cum *Kyrie* & *Gloria Patri*, & quodam Invitatorii genere: *Venite adoremus Regem nostrum, Deum venite adoremus Christum, procidamus coram ipso*. Monachi montis *Athos* omnium diligentissime Officium peragunt. Apud S. Basilii Ordinem accipitur primum Præpositi benedictio; dicitur deinde: *Benedictum Regnum Patris & Filii & Spiritus Sancti nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen*. Chorus vero respondet.

Glo-

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus . . . atque inde, *Domine labia mea aperies*, poſt tres vero Pſalmos *Gloria Patri*, ter *Alleluia*, ter *Gloria tibi Domine*, atque denuo ter *Alleluia*. Poſt Pſalmos preces plures recitantur, dein illius Evangelium, Pſalmus 50. *Miſerere*, dicuus Dominicis novem præterea Lectiones; ante nonam vero *Magnificat* cum *Gloria Patri*, atque inde *Gloria in excelſis Deo*, & *Triſagion*. Dein horas incipiunt, alta voce *Pater noſter* recitando, uſque ad quoniam *tuum eſt Regnum*, quod Celebrans pronunciat. Ter canunt, *Venite adoremus, & procidamus Chriſto Regi & Deo noſtro.*; poſtea tres Pſalmos, atque ſub exitum ter *Alleluia*, *Gloria tibi Domine*, preces quaſdam, *Triſagion*, *Pater noſter*, atque dein illius orationem.

Græcorum Eccleſia omni ævo peculiares ſibi Officii recitandi rationes habuit. Dies Dominica magna apud eos ſolemnitate celebratur, quemadmodum & Domino Noſtro, Sanctæque Virgini Sacri dies. Sex Jeſu Chriſto, ſex B. Virgini ſacros feſtos dies numerant, ſunt autem hi. Conceptio J. C. ſive Annunciatio, Natalis J. C. dies, Præſentatio J. C. in Templo facta, ſive Purificatio B. V. Epiphania, Baptiſmus Jeſu Chriſto a Joanne collatus. Transfiguratio, Reſurrectio Lazari, Palmarum Feſta dies, Crucis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis J.C. Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. Additæ poſtea fuere Nativitas, Mors, & Conceptio B. V.

Dominica dies, quæ apud Latinos primæ hebdomadæ dies habetur, apud Græcos poſtrema reputatur; hinc Latini hebdomadas Dominicarum præcedentium, Græci vero ſequentium nomine appellant. Ea propter Paſſionis hebdomada apud Græcos ea eſt, quæ præcedit Dominicam Palmarum diem, & majorem hebdomadam, quæ Paſſionis a Latinis appellatur. Excipe tamen hebdomadas poſt Paſcha uſque ad Pentecoſtem, quæ a Dominica præcedenti, non ſubſequenti numerantur.

Dominici dies appellantur omnes *Anaſtaſticæ*, quod iis Reſurrectionis memoria recolatur. Hebdomas poſtremæ ante Quadrageſimam proxima *Apocreos* vocatur, quia poſt Dominicam diem carnibus vetici non licet: ſequens vero hebdomada *Tirophagia* dicitur, quia caſeum atque ova edere fas eſt. Poſt hanc Dominicam Jejunium Quadrageſimale a Feria prima incipit: & cum Sabbatho atque Dominica die jejunare non conſueverint, quinque tantum jejunii dies in ſingulas hebdomadas habent. Prima, quæ in Quadrageſima occurrit, Sabbathi die, S. Theodori Martyris feſtum celebrant. Sequens vero Dominica *Orthodoxias* appellatur, utpote qua reſtitutarum imaginum memoria recolatur. Ea die Fidei Profeſſionem emittunt, quam falſo Septimo Concilio OEcumenico tribuunt: eaque condemnant Barlaamum & Alcindinum; Palamitarum ſententias tuentur, atque Photium & Ignatium Patriarchas pari ratione collaudant. Quarta Quadrageſimæ hebdomas Crucis adorationi ſacra eſt. Feria quinta hebdomadis quintæ magnum Canonem canunt, ſive Cinticum ab Andrea Hieroſolymitano compoſitum; eſt autem totius veteris Novique Teſtamenti Hiſtoriæ Epitoma. Palmarum hebdomada Imperator atque Patriarcha magnas liberalitates in populum exercebant: Monachi vero, qui ſub Quadrageſimæ initium in ſolitaria loca receſſerant ad duriorem vitam ducendam, in Monaſteria redibant. Sabbatho Lazari Reſurrectio celebratur, Dominica vero Palmarum Solemnitas. Major, & Paſchalis hebdomadæ feſtæ ſunt. Prima poſt Paſcha Dominica nova appellatur: altera, mulierum Dominica, quæ aromata ad J.C. monumentum tulerunt, ſive Juſti Simeonis Dominica: reliquæ Dominicæ proprias appellationes habent. Aſcenſionis Feſtum a vigiliæ veſpere incipit, perduratque ad Feriam uſque ſextam quæ Pentecoſtem præcedit. Dominicæ Pentecoſtem ſubſequentes Matthæi Dominicæ appellantur, atque earum prima omnium Sanctorum Feſtum celebrant. A Dominica poſt Crucis exaltationem uſque ad Natale Dominicæ dies a S. Luca appellationem ſumunt, quod per id tempus ejus Evangelium legatur. Dominica quæ Natale Domini

Digitized by Google

præcedit, & quæ proxime subsequitur, ab eodem Festo appellationem sumunt. Quæ Epiphaniam vero præcedit, Dominica ante lumina vocatur.

Evangelium per anni cursum ita legunt: Evangelium S. Joannis a Paschate usque ad Dominicam post Pentecostem; secundaque post eam feria S. Matthæi Evangelium incipit usque ad Exaltationem per decem & septem hebdomadas. Undecim prioribus quotidie legitur, subsequentibus vero, Dominicis dumtaxat & Sabbathis, quinque autem reliquis S. Marci Evangelium legitur. Secunda feria post Exaltationem, S. Lucæ Evangelio initium datur, idque per duodecim hebdomadas servatur. Tertia decima vero ineunte D. Marcus denuo præ manibus sumitur, S. Lucas autem Sabbathis tantum & Dominicis legitur, quadque hujus superest, Sabbathis & Dominicis Quadragesimæ absolvitur.

Græci Lectiones habent ex aliis Novi Testamenti Libris depromptas. Apostolorum a Paschate usque ad Dominicam, qua omnium Sanctorum Festum celebratur (est ante illa octava post Pentecosten dies) leguntur; ceteris vero anni partibus septem Epistolæ Catholicæ, S. Pauli quatuordecim, atque Apocalypsis. Idem *Menologium* habent, quod Sanctorum nomina, atque Epistolam pro diebus singulis continet: alium præterea librum, quo Lectiones e Veteri Testamento excerptæ continentur, quem ipsi *Librum officii Ecclesiastici* vocant, atque alium adhuc, ubi Patrum Homiliæ leguntur.

In Psalterio singulos Psalmos in plures Sectiones partiuntur, ad quarum finem addunt *Gloria Patri*, & propriæ singulis per annum diebus adscriptæ sunt. Librum quoque habent, Cantica & Antiphonas, quæ per annum canuntur, complectentem. *Menæon* Sanctorum officium eorumque Hymnos in singulos anni dies continet; *Triodion* ea, quæ post Septuagesimam usque ad Pascha; *Pentecostarium*, quæ a Paschate ad Pentecosten cantantur. *Horologium* liber est, quo dici officium continet: respondetque Diurno nostro. Liturgiarum Liber, S. Joannis Chrysostomi, S. Basilii, & Præsanctificatorum Liturgias complectitur, estque ipsorum Missale. *Euchologium* præter Liturgias, preces eiam & Ritus pro Sacramentorum administratione, & pro benedictionibus continet. *Menologium* Martyrologio nostro respondet, continetque Sanctorum Vitas.

Quælibet Ecclesia, præcipue vero Patriarchales, peculiare *Typicum*, sive officii Librum habet; Sancti Sabæ vero typicum omnium celeberrimum atque frequentissimum est. Liber iste *Taticus* in plerisque Monasteriis appellatur. Eorum *Anthologia* collectio est plurium Domini Nostri, Virginis, Sanctorumque officiorum, in eo inveniuntur etiam quædam officia Communia Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Pontificum, & Confessorum; sed nihil in eo est, quod in *Menæis*, ceteriisque Ecclesiasticis Libris non occurrat. Arcudius ejus epitomen excudi curavit anno 1598. in itinerantium commodum; at eo pauci dumtaxat in Italia Græci utuntur, in universum vero tamquam inutile opus rejectum est. Leo Allatius, qui de hoc libro egit in Dissertatione sua *de Græcorum libris Ecclesiasticis*, Arcudium reprehendit, eum, quæ veteres erant, mutavisse accusans, nova etiam plura ab eo addita, atque plura insulse immixta, quæ Græcis non penitus Literarum rudibus probari non possent.

CAPUT X.

De Veterum Occidentis Ecclesiarum, præcipue vero Mediolanensis Breviario.

VEteres Occidentis Ecclesiæ suos peculiares ritus habebant, antequam Romanos usus recepissent. Mediolani S. Ambrosius Officio ad optimam formam redigendo studuerat, in epist. ad Marcellam Soror. Lectionarii meminit, ubi descripræ erant Lectiones in Officio recitandæ: *Hodie Librum Job legi, qui solemni more est decursus & tempore*. Job autem, atque Jonas majori hebdomade

made legebantur. Annua initiationis ejus die, quæ ſeptima erat Decembris, Deuteronomium legebatur, ut ipſe teſtatur lib. 7. in Luc. *Pulchre mihi hodie legitur initium Legis, quando mei natalis eſt Sacerdotii.* In Eccleſia ſua cantus per choros inſtituit. Hymnos Officio inſerendos compoſuit, conſtanſque eſt Mediolani opinio, officium, ut ad hanc diem recitatur, a Sancto hoc Doctore diſtributum fuiſſe. Pſalterium in duas partes dividitur: prima Pſalterii pars uſque ad Pſalm. 109. *Dixit Dominus* Nocturno officio inſervit, ſequentes vero pro diei Horis, qua in re Romano penitus eſt ſimillimum. Priores 109. Pſalmos intra duas hebdomadas abſolvunt, ſive ut ipſi loquuntur, intra decem decurias totidem noctibus deſtinatas. Prima Decuria pro Feria ſecunda, ſeptem & decem priores Pſalmos complectitur; ſecunda pro Feria tertia, Pſalmos habet quatuordecim; reliquæ octo dumtaxat conſtant uſque ad Feriam ſextam; Sabbatho enim, & Dominicis, Feſtiſque Domini Noſtri diebus, peculiaria Cantica decantant. Sanctorum Feſtis, quæ in hebdomadam incidunt, Feriarum Pſalmi non mutantur, ſex Feriis ante Natale exceptis, quas de *Expectato* appellant, aliiſque ſex Feriis Majoris hebdomadæ, quæ proprios Pſalmos habent. In Pſalterio veterem Septuaginta verſionem, non ſecus ac Romæ in Eccleſia S. Petri, ſequuntur.

Ante Nocturnas preces recitatur *Pater*, *Ave*, *Deus in adiutorium*, Hymnus, Canticum Puerorum *Benedicite*, cum Antiphona, terque *Kyrie Eleyſon*, poſtea Pſalmi, & Cantica pro diei ratione. Inde tres Lectiones cum benedictione, quæ plerumque propriæ ſunt. Dominicis diebus tres Lectiones ſunt Homilia quædam in Evangelium; Feriarum diebus e Scriptura ſunt petitæ, Feſtis autem tertia Sancti viri hiſtoriam, ſive in Feſtum illud ſermonem aliquem continet. Tres Nocturni, Novemque Lectiones Natalis tantum, & Epiphaniæ temporibus dicuntur. Poſt priores duas Lectiones Reſponſorium cuilibet additur, atque poſt tertiam *Te Deum*, ſi tempus illud recitari poſtulet, alias nullum eſt Reſponſorium.

Laudes a *Deus in adjutorium* incipiunt, ſequitur poſtea Canticum Zachariæ *Benedictus*, Adventus Dominicis, Natalis, Circumciſionis, & Epiphaniæ diebus exceptis, quibus *Benedictus* loco *Audite Cœli* dicitur cum Antiphona, ter Kyrie eleyſon, atque Collecta. Deinde Moyſis Canticum, *Cantemus Domino*, cum Antiphona. *Kyrie* ter, aliaque oratione ſubmiſſa voce recitata. Tandem trium Puerorum Canticum *Benedicite*, ſi Dominica dies ſit; nam Sabbatho Pſalm 117. *Confitemini* dicitur, Feriarum vero diebus 50. *Miſerere*, poſt Kyrie, atque oratio alta voce recitanda. Succedunt his ſub unico *Gloria Patri* Pſalmus *Laudate Dominum de Cœlis*, cum duobus ſequentibus, & *Laudate Dominum omnes gentes*, Capitulum, Antiphona, ter *Kyrie*, Pſalmus, Hymnus, duodecies *Kyrie*, preces nonnullæ, *Dominus vobiſcum*, & Collecta. Singulis diebus commemoratio fit B. Virginis, S. Ambroſii & Eccleſiæ Patroni, niſi ſit ſolemne Feſtum.

Ad Primam dicitur *Pater*, & *Ave*, *Deus in adiutorium*, Hymnus *Jam lucis orto ſydere*, *Deus in nomine*, *Beati*, & *Retribue* ſine Antiphona, inde *Alleluia*, & in Quadrageſima, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, Lectio quædam Epiſtolella appellata, breve Reſponſorium, Symbolum S. Athanaſii, quod quotidie recitatur, Capitulum, preces quædam, quæ ſolemnibus diebus prætermittuntur, atque tres orationes, quæ numquam mutantur. Legitur deinde Martyrologium, atque ſub finem *Exultabunt Sancti in gloria*, cum brevi quadam oratione.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, Hymnus, & Pſalmi iidem, qui Romæ, at abſque Antiphona, additque ſolum ad Pſalmorum finem *Alleluia*, vel *Laus tibi*; Lectio præterea, breve Reſponſorium, preces, & oratio. Dominicis, Feſtiſque ſolemnibus, Hymni loco ad Tertiam dicitur, *Jam ſurgis hora tertia*.

Ad Veſperas poſt *Pater*, & *Ave*, initium fit per *Dominus vobiſcum*, ſequitur inde Reſponſorium, *Lucernarium* appel-

Digitized by Google

latum, quod ter repetitur; dicitur etiam *Dominus vobiſcum*, Antiphona, inde *Dominus vobiſcum*, & Hymnus, quartum *Dominus vobiſcum*, & Reſponſorium, quintum *Dominus vobiſcum*, poſtea quinque Pſalmi. Pſalmi hi quotidie iidem ſunt, qui Romæ, majoribus Domini Noſtri Solemnitatibus exceptis, quibus ſub pſalmo proprio cum Antiphona, *Ecce nunc benedicite*, & *Laudate Dominum omnes gentes*, recitantur. Poſt Antiphonas ter canitur *Kyrie*, deinde *Dominus vobiſcum*, & *Magnificat*, cum Antiphona, quæ ante, & poſt recitatur, atque alia Collecta, ſeu Oratio. Quadrageſimæ tempore non dicitur *Magnificat*, ſed ejus loco repetitur duodecies *Kyrie eleyſon*.

Ad Completorium poſt *Pater*, *Ave*, *Converte nos*, *Deus in adiutorium*, quotidie recitatur, *Te lucis ante terminum*, præter quam in Quadrageſima, intra quam *Chriſte qui lux & dies* cantatur. Poſtea ſine Antiphona, pſalmi *Cum invocarem*, *In te Domine*, *Qui habitat*, unicuique *Gloria Patri*, *Ecce quam bonum*, *Ecce nunc benedicite*, *Laudate Dominum omnes gentes*, *Alleluia*, ſive *Laus tibi*. Quadrageſima, aliiſque temporibus, Lectio cum Reſponſorio, *Nunc dimittis*, cum precibus, deinde Antiphona ad B. Virginem cum oratione, ſimulque recitato *Confiteor* imponitur.

Miſſale vero Mediolanenſe ita diſtributum eſt. Natali die tres Miſſæ celebrantur, in tertia vero duæ epiſtolæ leguntur, veteris una Teſtamenti Iſai. 7. Novi altera *Multifariam*: Collecta *Da nobis in hac die Incarnationis Verbi & Partus Sacra Mariæ Virginis pium celebrare conſortium* . . . . S. Stephani, S. Joannis, & Innocentium Miſſæ alias a Romanis Collectas habent. Decembris 30. S. Jacobi Minoris eſt Feſtum: *Ordinatione B. Jacobi Alphæi Apoſtoli*. Prima deinde Dominica poſt Nativitatem; die ejus octava, Collecta eſt ex jejunii precibus: *Omnipotens* . . . . *qui tua menſæ participes a diabolico jubes abſtinere convivio, da pio tuæ . . . guſtu mortiferæ prophanitatis abſtello puris mentibus ad epulas æternæ ſalutis duci*. De Circumciſione autem mentio fit in Præfatione, atque in precibus *Super Syndonem*. Epiphania vigiliam habet, ipſoque die Diaconus poſt Evangelium diem Paſchatis annuntiat: *Noveris charitas veſtra* . . . . Collectæque omnes, atque Præfatio ſunt peculiares. Quinque ſunt Dominicæ poſt Epiphaniam, ſcilicet poſt octavam: inde Feſti dies ſequuntur Sanctæ Agnetis, S. Vincentii, Converſionis S. Pauli, S. Agathæ, & S. Matthiæ. Sequuntur Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, poſt eas vero *Dominica in capite jejunii*, & Collecta *Concede* . . . *præſidia Militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis*. Altera Dominica *de Samaritana* appellatur, quod Samaritanæ Evangelium legeretur. Tertia *de Cæco*. Quarta de *Lazaro*. Quinta de *Abraham*. Sexta de *Ramis olivarum*. Hac die duplex Miſſa celebratur, *in Eccleſia minori* una, altera *in Eccleſia majori*. Harum Eccleſiarum mentio fit in Epiſt. 33. S. Ambroſii. Major hebdomada *Authentica* appellatur; Feria quinta ejuſdem *in Cana Domini*. Feria ſexta, Paſſio ſecundum Matthæum legitur, Crux adoratur, preces ſolemnes peraguntur, nullaque fit communio. Die Sabbathi poſt Eoſtum benedictionem, Baptiſmus confertur, atque Miſſa pro *baptizatis* celebratur, atque alia in majori Eccleſia: Miſſa hæc *Annuntiatio Reſurrectionis Domini* vocatur. Incipit autem ter verbis his repetitis, *Chriſtus Dominus reſurrexit*. ℟. *Deo gratias*. Paſchatis die prima Miſſa *pro baptizatis* eſt, altera de Reſurrectione, atque ita per totam hebdomadam. Octava Paſchatis Dominica *in Albis depoſitis* dicitur. Quinque ſunt poſt Paſcha Dominicæ, atque Feſti dies S. Marci, SS. Vitalis, & Valerii, S. Jacobi, S. Philippi, & Inventionis Crucis.

Aſcenſio vigiliam non habet: Penteceſte vero vigiliam habet, ipſaque Feſta die duæ Miſſæ celebrantur; prima *pro baptizatis*; caret autem octava. Hujus temporis præcipui Feſti dies ſunt S. Barnabæ, S. Cantiani, S. Viti, S. Gervaſii cum vigilia, S. Joannis cum vigilia, atque etiam S. Petri, SS. Naboris, & Felicis, S. Mariæ Magdalenæ, illius ſci-

Digitized by Google

ſcilicet, quæ ad Crucis pédem ſtetit, & cui Chriſtus apparuit, S. Jacobi Apoſtoli, SS. Nazarii, & Celſi, cum vigilia S. Hippolyti, Aſſumptionis cum vigilia; Vigiliæ vero Collecta hæc eſt: *Subvenias . . . . quam ciſi pro conditione carnis migraſſe cognovimus . . .* In Præfatione autem hæc ſunt: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, & in hujus diei Feſtivitate, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus . . . .* Feſti vero Collecta: *Omnipotens . . . qui terrenis corporibus Verbi tui veritatis Filii Unigeniti per venerabilem, & gloriſam ſemperque Virginem Mariam ineffabile Myſterium conjungere voluiſti, petimus immenſam clementiam tuam, ut quod vere in ejus veneratione depoſcimus, te propitiante conſequi mereamur; per Dominum.*

Feſtidies reliqui ſunt S. Bartholomæi, S. Geneſii, Decollationis S. Joannis, S. Euphemiæ, S. Matthæi, Dedicationis majoris Eccleſiæ 3. Octobris, S. Lucæ, S. Simeonis, S. Martini. Sex Dominicæ ante Natale, quarum prima *Dominica proxima poſt Martini* Feſtum dicitur.

CAP. XI.

De Breviario Eccleſiarum Hiſpaniæ.

CUm ſingulæ Eccleſiæ peculiare Officium haberent, mandavit Concilium Gerundenſe anno 517. can. 1. ut in univerſa Tarraconenſi Provincia in celebranda Miſſa, atque Divino Officio Ordo, qui in Metropolitana Eccleſia vigeret, ſervaretur. Concilium Bracharenſe can. 1. eamdem ubique ſervari vult in officio matutino, & veſpertino decantando rationem, moreſque Monaſteriorum ſingulares minime cum Eccleſiæ ritibus commiſceri.

Ante Gregorium VII. proprium erat in Hiſpania officium, quod a Pontifice illo abolitum eſt, ut Romanum induceret. Officium illud *Mozarabicum*, ſive *Mozarabum* appellabatur, Chriſtianorum ſcilicet cum Arabibus commixtorum. Concilium Toletanum XI. anno 675. habitum jubet can. 3. omnes ejuſdem Provinciæ Epiſcopos eoſdem Ritus, eaſdemque cæremonias in publico officio ſervare, moreſque Eccleſiæ Metropolitanæ ſequi, a qua Conſecrationem accipiunt. Abbates quoque vult Eccleſiarum Cathedralium inſtituta ſervare.

Ex S. Iſidori Hiſpalenſis Libris *de Officiis* inſcriptis, in quibus de officii Divini partibus, atque cæremoniis agit, videre eſt, quale fuerit vetus Hiſpaniæ Eccleſiaſtum officium. Hoc a cantu exorditur, qui per ea tempora non adeo ſimplex erat, ac in primitiva Eccleſia: tunc enim preces ſimplici vocis inflexione, ad pronunciationem magis quam ad cantum accedente recitabantur. De Hymnis agit, aitque, S. Hilarium primum hymnos conſcripſiſſe, atque poſt eum S. Ambroſium plures compoſuiſſe, qui in Eccleſia Mediolanenſi recitabantur, atque ab illa ad alias Occidentis Eccleſias pervenerunt. Ait præterea, S. Ambroſium primum quidem fuiſſe, qui Antiphonarum uſum inſtituerit, atque Reſponſoria in Italia adinventa fuiſſe. Hinc officium, hymnos, Pſalmos, Antiphonas, & Reſponſoria complectebatur. Agit de officio Horæ Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperarum, Completorii, vigiliæ noctis, & Matutini ſub lucis ortum. Ait, Scripturæ libros juxta S. Hieronymi interpretationem perlectos fuiſſe; *Alleluja* per totum anni curſum dici conſueviſſe, Quadrageſima, & jejunii diebus exceptis, ob quamdam Eccleſiaſtum Hiſpaniæ traditionem. Officium hoc a S. Leandro S. Iſidori fratre digeſtum Felicis, & Elipandi tempore immutatum fuit, qui ex illo preces in teſtimonium adducebant ad errores ſuos propugnandos. Poſtquam autem a Cardinali Ximenio recognitum fuit, hunc fere in modum eſt diſtributum.

Horæ omnes a *Kyrie eleiſon, Chriſte, Kyrie, Pater*, & *Ave* ſubmiſſa voce recitandis incipiunt. Nocturno officio additur, *Ave Regina Cœlorum* cum verſiculo, & oratione, ac deinde alta voce dicitur: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti lumen tuum pace*; & reſpondetur:

Deo

Deo gratias. Ad cujuſque Horæ finem *Pater* alta voce recitatur, ad quamlibet autem petitionem reſpondetur *Amen*, præterquam ad *panem noſtrum*, cui reſpondetur, *Quia Deus es*. Poſt laudes, & Veſperas oratio fit pro cujuſque generis neceſſitatibus, atque Benedictio datur; ante illam vero Diaconus ait: *Humiliate vos Benedictioni*, atque Sacerdos tres orationes recitat, finiſque imponitur in hæc verba: *In nomine D.N.J.C. perficiamus cum pace*; atque reſpondetur, *Deo gratias*.

Officium hoc olim duodecim Horis conſtabat; quatuor autem abolitæ fuere; ſcilicet *In principio noctis*, *Ante leſtum*, *Media nocte*, & in *Surrectione leſti*. Nocturnum officium breviſſimum eſt; recitatur enim *Miſerere*, tres Antiphonæ cum Reſponſorio, & tres orationes. Dominicis diebus prioris Antiphonæ loco Hymnus *Æterne rerum* dicitur cum oratione, tres Pſalmi cum Antiphonis, & tria Reſponſoria cum orationibus; Dominicis poſt Paſcha uſque ad Pentecoſten, Feſtiſque ſolemnibus loco *Miſerere* dicitur *Domine, quid multiplicati ſunt*.

Ad Laudes poſt recitatum *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, Antiphona decantatur, atque Canticum vel novi, vel veteris Teſtamenti. In B. V. Feſtis, Naſciſque nocte *Magnificat* dicitur; in Feſto S. Joannis Baptiſtæ *Benedictus*: reliquis vero diebus varia adhibentur Cantica, poſtea *Benedicite*, Reſponſorium, *Laudate Dominum de Cœlis*, Lectio ex Prophetis excerpta, *prophetia* appellata, Hymnus, & Collecta, *pater*, & Benedictio. Pſalmorum doxologia eſt *Gloria*, *& honor Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum*. *Amen*. Non dicitur autem, *ſicut erat*.

Inter Laudes, & Primam officium eſt, *Aurora* dictum, quod Feriis dumtaxat recitatur. Quatuor pſalmis conſtat, Antiphona, Hymno, verſiculo, atque precibus aliquot. Pſalmi ſunt *Deus in adjutorium*, *Beati immaculati*, *In quo corrigis*, *Retribue*.

Primæ initium datur dicendo *Dominus ſit ſemper vobiſcum*: ſeptem pſalmi recitantur, *Deus miſereatur*, *Exaltabo te Deus meus Rex* bipartitus, *Laudate pueri*, *Adhæſit*, *Legem pone*, & *Venias*: Antiphona, Reſponſorium, Prophetia, Epiſtola, Hymnus, Verſiculus, atque deinde *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis*, quod in Adventu, & Quadrageſima prætermittitur, Symbolum Apoſtolorum, *Pater*, & Benedictio.

Tertia, Sexta, & Nona, ut prima incipiunt, & pſalmos quatuor habent, Reſponſoria, prophetiam, Epiſtolam, Hymnum, preces, Capitulum, *Pater*, & Benedictionem.

Ad Veſperas nulli ſunt pſalmi, ſed poſt ſalutatum populum, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*, Verſiculi recitantur, quos *Laudes* appellant, Hymnus, preces, Capitulum, *Pater*, & Benedictio. Alia etiam *Laus* recitatur, quæ dum peragitur, ſit thurificatio per Eccleſiam, demum ſub exitum collecta cujuſque diei propria.

Completorium incipit: *Signatum eſt ſuper nos lumen tui*, *Domine*, inde ter *Alleluja*, atque in Quadrageſima *Laus tibi*, Pſalmus, ter *Alleluja*, alius pſalmus cum Hymno, pſalmus *Qui habitat*, cum alio pſalmo, alioque Hymno, preces, *Pater*, & Benedictio, clauditurque officium per *Salve Regina* cum verſiculo, & oratione.

Magnificat non recitatur niſi B.V. Feſtis, *Benedictus* vero feſto S. Joannis. Ad cujuſque Horæ finem datur Benedictio, præterquam ad Matutinum, quod a Laudibus non ſejungitur. In Lectionibus, cum Lectionis Titulus legitur, reſpondetur, *Deo gratias*, atque ad Lectionis finem *Amen*. Ante orationem non dicitur *Oremus*. Hiſpani officium ſuum in Dominicas, Ferias, & Feſta diſtribuunt. Diſtinguuntur feſta per quatuor, vel ſex *Plurialia*. In Sancti cujuſdam officio alterius non fit commemoratio, cum vero eos ſimul incidere contingit, per translationem dividuntur. *Ave*, & *Salve Regina* ſunt Cardinalis Ximenii additamenta.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

Vetus Eccleſiæ Anglicanæ, & Germanicæ Breviarium.

NUllum ad nos pervenit monumentum, quo officium in Anglia uſurpatum cognoſcere poſſimus ante S. Gregorium, qui Evangelii Præcones ad Chriſtianam Religionem reſtituendam illuc miſit. Tradidit autem iiſdem officii Romani libros; atque in Dialogis Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis anno 747. ſcriptum eſt, Papam miſiſſe ad eos Antiphonarium, & Miſſale, illud ſcilicet a S. Gregorio compoſitum, quod Auguſtino tradiderat, ut iis in locis ſervaretur. Beda lib. 4. Hiſt. cap. 18. ait, Papam Agathonem Cantores Romæ ad eos miſiſſe, ut officium Romæ inſtar peragerentur. D. Bernardus in Vita S. Malachiæ tradit, ſanctum hunc Epiſcopum Hiberniæ populos edoſuiſſe officii celebrationem, prout Romæ peragebatur. Concilium Cloveshovienſe anno 747. can. 13. mandat, ut Ritus Romanus in Miſſa, & Officio ſervetur. Quare Anglicana Breviaria, cum a Romano differant, hujus ſunt dumtaxat immutationes.

Poſt ſchiſma novum ſibi officii corpus Angli digeſſere. Pſalmorum liber ſemel per menſem legitur; menſes autem æquales cum non ſint, atque Januarius, & Martius diebus 31. Februarius vero 28. tantum conſtet, Pſalmorum liber, qui Februario legendus eſſet, pridie Kalendas Februarias legi incipit, atque Kalendis Martii abſolvitur; menſium vero Maii, Julii, Auguſti, Octobris, & Decembris poſtrema die iidem pſalmi leguntur, qui præcedente perlecti fuerant. Pſalmi hi ſunt juxta Hebraicum Textum, non juxta Vulgatam interpretationem. Vetus Teſtamentum legitur in prima Lectione precum matutinarum, & veſpertinarum, Novum autem in ſecunda. Vetus Teſtamentum ſemel per annum perlegitur, Novum ter. Iſajas legitur poſt Adventus initium uſque ad Septuageſimam; tunc vero incipit Geneſis uſque ad V. Dominicam Quadrageſimæ, qua leguntur Exodus, Numeri, & Deuteronomius uſque ad Dominicam Trinitatis. Inde Joſue leguntur, Judices, Libri Regum, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & prophetæ minores uſque ad Adventum: Sunt etiam Lectiones ſingularum per annum Dominicarum propriæ, Aſcenſionis præterea, & Feriæ ſecundæ, & tertiæ Paſchatis, & Pentecoſtes, atque ceterorum Feſtorum. Feſta vero hæc ſunt. *Januarii* Circumciſio, Epiphania, S. Lucianus, S. Hilarius, S. Priſcilla, S. Fabianus, S. Agnes, S. Vincentius, Converſio S. Pauli. *Februarii* Purificatio, S. Blaſius, S. Agatha, S. Matthias. *Martio* S. Ceadius Epiſcopus, S. Perpetua, S. Gregorius, S. Eduardus Rex, S. Benedictus, Annunciatio. *Aprili* S. Richardus, S. Ambroſius, S. Georgius, S. Marcus. *Majo* S. Philippus, Inventio Crucis, S. Joannes P. L. S. Dunſtanus, S. Auguſtinus Angliæ Apoſtolus. *Junio* S. Bonifacius, S. Barnabas, S. Eduardus, S. Joannes Baptiſta, S. Petrus. *Julio* Viſitatio, S. Martinus, S. Sturmius, S. Margarita, S. Maria Magdalena, S. Jacobus, S. Anna. *Auguſto*. S. Petrus in vinculis, Transfiguratio, Nomen Jeſu, S. Laurentius, S. Bartholomæus, S. Auguſtinus, Decollatio S. Joannis. *Septembri*, S. Ægidius, Nativitas B. V. Exaltatio Crucis, S. Lambertus, S. Matthæus, S. Cyprianus, S. Michael, S. Hieronymus. *Octobri*, S. Remigius, S. Fides, S. Dionyſius, S. Eduardus, S. Ethelredus, S. Lucas, S. Criſpinus, S. Simeon. *Novembri*. Feſtum omnium Sanctorum, S. Leonardus, S. Martinus, S. Bricius, S. Marculphus, S. Hugo, S. Edmundus, S. Cæcilia, S. Clemens, S. Catharina, S. Andreas. *Decembri*, S. Nicolaus, Conceptio, S. Lucia, S. Thomas, Natale, S. Stephanus, S. Joannes, Innocentes. Licet autem Sancti hi omnes ſint in ipſorum Calendario, officia tamen non peragunt, niſi Feſtorum D. N. & B. V. ut Purificationis, & Annunciationis. Aſſumptio vero ne in Calendario quidem ipſorum invenitur.

nitur. Pro Feſtis aliis nullum officium eſt, ſi duodecim Apoſtolorum Feſta excipias, Converſionis S. Pauli, S. Barnabæ, S. Marci, S. Lucæ, S. Stephani, & S. Joannis Baptiſtæ. Quare Reformata hæc Religio ex ſeptem Horis Canonicis, Matutinas tantum, & Veſpertinas græces ſervavit. Multa ex Romanis Ritibus ſumſere, atque Anglice interpretati ſunt, Collectas, Litanias, ſine invocatione Sanctorum tamen, diſtributionem Epiſtolarum, & Evangeliorum per anni curſum, Preces, Verſiculos, *Te Deum*, *Benedictus*, *Magnificat*, *Pater*, *Kyrie eleiſon*, *Domine labia mea aperies*, *Gloria in excelſis*, Præfationes, *Quicumque*. Quod Collectas Sanctorum ſpectat, quorum officia celebrant, eas dumtaxat ſervaverunt, quæ mera conſtant hiſtoria, quibuſque nulla ſit interceſſionis, aut invocationis mentio, quales ſunt S. Stephani, s. Petri, &c. Presbyteri hæc omnia in Templis decantant per anni curſum, ſuperpelliceo, pluviali, & caſulis induti. Puerorum choros quoque habent, cantores, & organa.

Lutherani eodem fere pacto officium recitant. Calviniſtæ 150. pſalmos intra duos dies decantant, quibus conventus habetur; Dominica ſcilicet, & Feria quinta. Dominica 100. Feria quinta 50. canunt. Dominica ſcilicet die, 25. ante Matutinam concionem, & poſt eam 25. rurſus 25. ante Veſpertinam concionem, & 25. ea abſoluta. Feria quinta ſemel tantum conveniunt, pſalmoſque 25. ante concionem, & 25. ad ejus finem recitant. Ordinem vero pſalmorum non ſervant, ſed alium a Calvino præſcriptum.

At Germania nullum unquam officium habuit præter Romanum illuc a Bonifacio Moguntino Epiſcopo, & Germaniæ Apoſtolo allatum, cum populos illos ad Chriſti fidem convertit; ita ut Germaniæ officium, ipſiſſimum Romanum ſit. Hinc Amalarius, Valafridus Strabo, ceterique Germanici Scriptores, qui de Divinis officiis egere, Ordinem dumtaxat Romanum Commentariis explicaverunt.

CAP. XIII.

De Veteri Galliæ Eccleſiarum Breviario, præcipue vero Pariſienſis.

NUſquam fere Divini officii ſtudium, ut in Gallia, floruit. S. Hieronymus de s. Hilario agens ait, conſcriptum ab eo fuiſſe Hymnorum Librum, atque Myſteriorum alium. Refert Gennadius de Vir. Illuſtr. Muſæum Presbyterum Maſſilienſem Lectiones e Scriptura depromptas in dies ſingulos per annum diſtribuiſſe, & nonnullas Feſtorum proprias, certumque pſalmorum, & Lectionum ordinem inſtituiſſe pro variis anni diebus, atque temporibus: *Excerpſit e Sacris Scripturis Lectiones totius anni, feſtivis aptas diebus, Reſponſoria pſalmorum, & Capitula, tempori, & Lectionibus congruentia.* Hæc ad annum 450. ſpectant. Auctor eſt idem Gennadius, Salvianum Maſſilienſem Presbyterum opus huic ſimile conſcripſiſſe. In Vita s. Cæſarii Arelatenſis legitur, collectionem ab eo inſtitutam Homiliarum e ss. Patribus excerptarum, quas dierum, & ſolemnitatum per annum proprias eſſe voluerat. Concilium Veneticum anno 461. habitum magnam in officio recitando varietatem eſſe ſentiens, eamdem, atque unicam per totam Provinciam, Turonenſem ſcilicet, rationem ſervari præcipit can. 15. Concilium Agathenſe anno 572. celebratum, eumdem hunc conſenſum poſtulat, ideoque præſtat Epaonenſe can. 27. anno 517. habitum, pluraque alia.

Quod veteris hujus Gallicani officii diſtributionem attinet, hæc comperta habemus. Concilium Agathenſe jubet, pſalmos per alternos choros decantari, eos per collectas abſolvi, Hymnos officio matutino, & veſpertino aptos interſeri, atque ad finem cujuſque officii poſt Hymnos, & capitula e pſalmis petita orationem eſſe recitandam, populumque cum Epiſcopi benedictio-

Digitized by Google

dictione dimittendum. Concilium Vasionense statuit, ut ad Romæ, Italiæ, atque Orientis imitationem *Kyrie* in officio dicatur, addaturque *Sicut erat*, ad *Gloria Patri*.

Concilium Turonense II. anni 567. duodecim psalmos cum sex Antiphonis per æstatem præscribit; atque toto Augusto mane esse surgendum, quod sanctorum haberentur Festa, & Missæ; mane autem dicebatur Missa, ut populus deinde messi vacare posset. Septembri ut septem Antiphonæ ad duos psalmos dicerentur. Octobri octo ad tres psalmos, scilicet viginti quatuor psalmi: Novembri viginti septem: Decembri triginta cum decem Antiphonis. Januario autem, & Februario usque ad Pascha duodecim psalmi quotidie ad Vesperas recitabantur, & sex ad sextam. Idem Concilium vetat, pauciores psalmos quam duodecim ad Matutinum recitari: *Quicumque minus quam duodecim psalmos ad Matutinum dixerit, jejunet*. Per Matutinum intelligendum est hoc loco officium nocturnum, quia nocte Vigiliæ non fiebat nisi in majoribus solemnitatibus; Dominicis vero diebus, atque Feriis satis habebant summo mane surgere.

Ex Conciliis istis satis apparet, Gallicanum officium certum psalmorum numerum in horas singulas habuisse, eos alternis choris decantatos fuisse: Hymnos, & Antiphonas, sive capitula e psalmis excerpta (*Capitella de psalmis* appellabant veteres) inserta fuisse; postremus vero psalmi, sive primus, Versiculus Antiphonæ loco habebatur, quemadmodum multæ hujus generis in Romano ad hanc diem inveniuntur; ita Dominica ad Vesperas *Dixit Dominus*. Antiphona est in capite psalmi. scriptura, & Patrum Homiliæ legebantur, ad finem collecta recitabatur, & Benedictio. Litaniæ, sive breviores preces, & *Kyrie* ad Romanorum exemplum singulis horis dicebantur.

Eadem apud Gregorium Turonensem invenias, qui nocturnum describens officium, quod Lugduni in Ecclesia ss. Justi a Gundebaudo Burgundionum rege consecrati Episcopi ad officium die ejus sancti Festo recitandum celebrarunt, ait: Noctem eos transegisse super s. Justi Monumento, accidit autem id circa annum 500. Prima Lectio e scriptura facta fuit, quæ in eam diem *secundum morem* cadebat ex libris Moysis excerpta: *Cum Lector secundum morem inciperet Lectionem a Moyse*, Tom. 5. spicileg. Inde psalmi decantati fuere, post eos Isajas lectus. Mox alii psalmi decantati, & lectum Evangelium, post allos vero psalmos, s. Pauli Epistolæ lectæ. Hi sunt juxta nostram loquendi rationem quatuor Nocturni. In primo psalmi recitabantur, & Moyses legebatur: in secundo Prophetæ, in tertio Evangelium, in quarto Epistolæ s. Pauli. Hæc sunt quatuor Lectionum genera, quæ plerumque fiebant. Scriptura continenter, atque ordine perlegebatur, initiumque ab eo loco ducebatur, quo priori die desierat. Licet autem S. Justi Festum, atque Ecclesia esset, ac super ejus monumento hæc agerentur, ejus vitæ Acta, aut Patrum Homiliæ minime perlectæ fuere.

Hic scilicet est vetus Lugdunensium mos, qui ad Agobardi usque tempora servatus fuerat, nihil in ea Ecclesia recitandi, quod e Scriptura petitum non esset. Nulli erant Hymni, nulla Cantica, adfirmatque Agobardus, Concilia aliam ab hac Officii recitandi rationem ratam habitora non fuisse: *Sed ne veterenda Concilia Patrum decreverant, nunquam plebejos psalmos in Ecclesia decantandos, nihil poetice compositum in divinis laudibus usurpandum*.

Idem Agobardus institutum suum tuetur argumento ex ipsis Romanis Missalibus petito, ubi nihil ad eam diem infertum fuerat, quod in Scripturis non extaret; adfirmatque in lib. de Psalmodi idem in Nocturno Officio præstandum, rem Ecclesiæ, & Divini Officii majestate magis dignam esse ratus, si nihil inferatur, quod ipsis Spiritus Sancti verbis non constet, atque si quælibet hominum inventa excludantur: *Non ergo cujuscumque figmentis, sed Spiritus Sancti eloquiis Majestas Divina laudanda est*. Mos iste, cujus meminit Agobardus, diu Lugduni servatus est.

Nulli adhuc Hymni apud eos habentur, neque diu eſt, quod Completorio inſertum eſt, *Te lucis ante terminum*, atque Lectiones Sanctorum propriæ additæ. Nulla ibi deaurata opera, nullus Muſices, aut Organorum ad hanc diem uſus, minuſque quam alibi novitatis admiſſum, quæ laus eſt a S. Bernardo per ea tempora Eccleſiæ illi tributa ep. 174. *Eccleſiæ Lugdunenſi neſcit novitates*.

Breviarium, quod hodie Lugduni recitari ſolet, Pſalmos eadem ratione, ut Romanum, diſtributos habet. Ad primam Feriarum diebus, tres tantum Pſalmi recitantur, atque novem Dominicis, qui ſunt ſex illi Romæ per Feriias diſperſi. Laudes eodem modo, & prima poſt Septuageſimam uſque ad Paſcha dicuntur. Matutinum ita incipit: *Spiritus Sanctus adſit nobis gratia, Domine labia, Deus in adiutorium*: poſt nonam Lectionem ſequitur *Te Deum*, quod Pſalmorum inſtar cum *Gloria Patri*, atque Antiphona decantatur. Hymni vero nulli ſunt, niſi ad Completorium.

In pluribus vero aliis Galliæ Eccleſiis Hymnorum cantus receptus eſt, diuque de variis hiſce conſuetudinibus diſputatum fuit. Concilium Laodicenum, & Bracharenſe primum Agobardi ſententiæ favent. Concilium Toletanum IV. Agathenſe, & Turonenſe III. Hymnos S. Ambroſii, & complurium aliorum e Sanctis Doctoribus ratos habent.

S. Cæſarius Arelatenſis in Regula, quam pro Monaſterio a ſorore ſua erecto conſcripſerat, ſingularem quamdam officii recitandi rationem præſcribit. Decem & octo Pſalmos legi mandat; additis brevioribus Antiphonis, Hymno, atque breve Capitulo pro officio Nocturno. Singulis Dominicis Evangelium eſſe legendum jubet, omneſque adſurgere debere, inde quinque alias Lectiones, atque ex more ſedendum. Feſtis Martyrum diebus primam Lectionem Evangelii futuram, alias ex Actis Martyrum. Feriarum diebus Libros Veteris, & Novi Teſtamenti ordine perlegendos. Hyeme tres Lectiones ſuaveas, ſingulas autem non duabus vel tribus paginis longiores; atque ſi forte accidat, ut paulo ſerius electo ſurgatur, unica dumraxat pagina legetur. Ad Tertiam alios Pſalmos ponit cum *Alleluia*, Antiphonas, tres Lectiones, & Hymnum, *Jam ſurgit hora tertia*. Ad ſextam ſex Pſalmos cum Antiphonis, Hymnum, & tres Lectiones. Ad Nonam ſex Pſalmos, Hymnum, & Lectionem. Veſpere ad Lucernarium decem & octo Pſalmos, Antiphonas, Hymnum *Chriſtus qui lux eſt & dies*, Lectiones duas, Apoſtoli unam, Evangeliſtæ alteram.

S. Aurelianus Epiſcopus Arelatenſis anno 530. demortuus in Regulis ſuis, Officium fere, ut S. Cæſarius diſtribuit. In Officio noctis duo tantum ſunt Nocturni, & Lectiones ſaris longæ, trium ſcilicet, aut quatuor paginarum. *Tres aut quatuor paginas*; ad Laudes vero *Magnificat*, & *Gloria in Excelſis* dicebatur.

Habemus etiam in Gallia accuratiorem officii deſcriptionem in Regula S. Chrodogangi Epiſcopi Metenſis pro Clericis, ſive Canonicis Eccleſiæ ſuæ an. 743. officium Divinum *opus Dei* appellat, aitque, noctu ad Deum laudandum ſurgentem Crucis ſignum facere oportere, & Sanctam Trinitatem invocare illis Verbis, *In nomine Patris*: dicendum, *Domine labia mea aperies, & os meum* cum Pſalmo integro *Deus in adiutorium*, & *Gloria Patri* ad finem. Dum in chorum itur, dicendum Pſalmum, *Ad te levavi animam meam*, poſtremo vero ſigno pulſato, omnibuſque ſuo loco conſtituris, officium horæ ſecundæ incipiendum. In Nocturno Dominicarum officio duodecim ſunt Pſalmi, tria Cantica, duodecim Lectiones ex veteri, & novo Teſtamento, & Patrum ſermonibus. Feriarum diebus duodecim tantum ſunt Pſalmi, atque tres Lectiones per hyemem, per æſtatem vero unica, quod noctes breviores ſint. Quatuor Horæ diurnæ tres tantum Pſalmos habent, Lectionem, Verſiculum, & *Kyrie*: ad Veſperas quatuor Pſalmos. Completorium vero poſt cœnam ante cubitum. Mandat ut ſingulis diebus poſt Primæ officium in Capitulum

Digitized by Google

eatur, atque ut ibi diebus Dominicis, Feria quarta, & sexta monita quædam ab se conscripta, vel Homiliæ quædam perlegantur, & jussa, atque correptiones sive Episcopi, sive Archidiaconi excipiantur. Statutum etiam est, ut Clerici iter facientes Officium recitare debeant. Quæ de Divino Officio hac in Regula præscribuntur, adeo congruunt iis, quæ in s. Benedicti Regula statuta sunt, ut Chrodogangus eamdem officii celebrandi rationem, quam s. Benedictus descripserat, adoptasse videatur.

Ex testimoniis hisce illud conficitur, Officium in Gallia constitutum fuisse ex Psalterio in hebdomadæ dies singulos, atque in noctis horas distributo; noctu Feriarum diebus non minus, quam duodecim Psalmos decantatos fuisse; Dominicis vero plures alios cum canticis superadditos; Lectiones e Scripturæ libris fieri consuevisse, nonnullis in Ecclesiis vero Homilias Patrum lectas, Antiphonas quoque, & preces officiis hisce insertas fuisse.

Quod Ecclesiæ Parisiensis Officium attinet, eosdem usus ab eo servatos fuisse existimandum est. Ut nonnulla vero singillatim attingamus, sunt qui adfirment, s. Dionysium, primum hujus urbis Episcopum, a quo Ecclesia constructa, Cleruſque instítutus fuit, Divinorum Officiorum ordinem, atque rationem illi præscripsisse: *Novam constituit Ecclesiam, ac Officia ſerviensium Clericorum ex more conſtituit.* Act. s. Dionys. apud Bosq. Horum Actorum Scriptor fatetur, se a s. Dionysii ævo valde esse remotum, atque ea, quæ a se narrantur; non ex Commentariis, Libriſque veterum acceptisse, sed ex iis dumtaxat, quæ fama comperta habebat. Fieri etiam potest, solius famæ testimonio niti, quod quidam perhibent, eam Ecclesiam, quæ hodie sub s. Benedicti titulo est, a s. Dionysio Parisiensi extructam, Divinaque Officia eo curante ibi celebrata fuisse. Inde fortasse etiam peti ratio potest, cur in sacello s. Dionysio in eodem Templo sacro verba hæc insculpta fuerint: *Hic capis invocare nomen Trinitatis*; quasi vero s. Dionysius Trinitatis nomini eam Ecclesiam dedicasset; habetur illud pro Titulo Altaris Parochialis, atque bis per annum Officium, atque Festum Trinitatis celebratur, prima, atque postrema Dominica post Pentecosten. Hæc omnia tamquam idonea destituta testimoniis præterire non dubitamus.

Divini Officii Parisiis celebrati mentio sæpius apud Gregorium Turonensem occurrit. Refert ille l. 4. hist. c. 6. de se ipso, quod cum Parisiis prope S. Juliani Ecclesiam esset, (est autem illa, quæ *S. Juliani pauperis* appellatur) singulis noctibus Officio, quod ibi celebrabatur, adfuerit: *Nos media nocte ſurgentes ad reddendas Domino gratias ingreſſi ſumus explorare curſum.* Fortunatus in Vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis scribit, eum in adolescentia inter juniores Clericos, sive hujus Ecclesiæ Lectorem fuisse, atque Officio, quod ibi celebrabatur, intentum: *Marcellus Divino addictus Cultui, Eccleſiæ Lector effectus eſt*, Deo tamquam Lector deserviens; tamquam Cantor vocis suæ dulcedine laudes Dei præcinens: tamquam Subdiaconus vero Episcopo suo ad Altare ministrans, atque aquam ad manus lavandas præbens. Hinc videre est, a quarto usque sæculo Officium Parisiis digestum, atque decantatum fuisse. In Vita S. Germani Episcopi Parisiensis a Fortunato conscripta, de Sancto illo Episcopo (florebat autem is circa annum 520.) hæc legimus: *Ad noctturnas preces . . . . Eccleſiam quacumque ætris intemperie frequentabat. Vigiliis indefeſſus, in orando aſſiduus. Senex in Eccleſiis pernoctabat, duplex frigus ſuſtinens hyemis, & ætatis.* Officium in choro cum Clero recitabat; in Vita vero ejusdem Sancti versibus ab eodem Fortunato conscripta, splendor, gravitas, & majestas Divini Officii Parisiis sub Germano celebrati describuntur.

Sub Duce Germano felix exercitus hic eſt:
Pontificis monitis Clerus, Plebs pſallit, & Infans,
Celſa Pariſiani Cleri reverentia pollens

Eccle-

Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor,
Carmine Davidico divina poemata pangens
Cursibus aſſiduis dulces revolvis opus.

Idem Auctor Organorum meminit; Tibiarum, Tubarum, atque cæterorum rei muſicæ deſervientium inſtrumentorum, quæ Divinorum officiorum cantui Pariſiis ea ætate jungebantur: *Exignis aſſumpſerat Organa cannis, inde . . . . roſtat ab ore tubam cymbalica voces . . . . fiſtula dulce ſonat.*

Quæ vero fuerit officii Eccleſiæ hujus diſtributio, plane ignoramus. Extat dumtaxat Odonis de Solliaco teſtimonium in ſuis Conſtitutionibus anno 1195. quibus de re legem ediderat, ut in Diœceſeos Parochialibus Eccleſiis aliud officium quam illud ipſum Cathedralis Eccleſiæ non celebraretur: *Haberent ſinguli Sacerdotes Parochiales Ordinarium Officiorum ſecundum uſum, & modum, qui ſervatur in maiori Eccleſia.* Videtur autem circa hæc tempora in Parochialibus Eccleſiis, quibus antea unicus Presbyter ſerviebat, amplior Clericorum numerus adſignatus, atque Canonicum officium ibi inſtitutum, juſſitque Epiſcopus ille, eundem Ritum, atque rationem ſervandam, qui in Cathedrali vigebat. Habemus ex Vincentio Bellovacenſi, S. Edmundum in Pariſienſi Univerſitate Profeſſorem, inde Cantuarienſem Archiepiſcopum, noctibus ſingulis Matutino adfuiſſe, quod ſub noctis medium in Eccleſia S. Mederici canebatur: *Media noctis Matutinas in Eccleſia S. Mederici Pariſiis audiebat.* S. Ludovicus, referente Nangio, Sacellum Palatii ſui media nocte officii cauſſa adire ſolebat: *In conſuetudinem duxit circa mediam noctem ſurgere ad Matutinas a Capellanis ſuis, & Clericis in Capella cantandas.* Ex vita B. Jordani FF. Prædicatorum Generalis colligitur, ejus ævo anno ſcilicet 1237. noctu Eccleſiarum portas Pariſiis aperiri ſolitas ad Matutinum decantandum, atque eum, licet Theologiæ dumtaxat eſſet auditor, noctibus ſingulis Matutino intereſſe conſuevisſe.

Mos Matutinum ſub noctis medium recitandi in Cathedrali Eccleſia ſervatus eſt; cumque aliquamdiu bello Anglico præveniente intermiſſus fuiſſet, Senatus Decreto Capitulo mandatum eſt, ut vetus mos quamprimum reſtitueretur, ut ex Tabulario Capituli an. 1359. videre eſt, ubi Decreto huic parendum eſſe omnes cenſuerunt: *Hodie concluſum eſt, quod Matutina dicantur media nocte, & quod pulſentur minores & mediocres clochiæ, & fiat carillone, & quod hoc primo fiat die Feſto S. Dionyſii, & quod proclametur per Urbem, quia ita vult Concilium Regium, & alibi de Villa.* Nangii Continuator ait, poſt Prictavienſem pugnam, & Joannis Regis captivitatem anno 1358. Senatus præſidem juſſiſſe, ne Pariſiis Campanæ noctu pulſarentur, tubarum atque ſeditionis metu, quæ rer Canonicis occaſionem dedit Matutinum veſpere recitandi: *Tum Canonici poſt Completorium ſuas cantabant celeriter Matutinas, quas antea conſueverant hora noctis mediæ ſignis ſolemniter pulſatis, devotius peragere.*

Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis an. 1503. eis, qui Rel'gioſo cuidam Ordini adſcripti non eſſent, Matutinum hora quarta vel quinta antemeridiana, Nonam vero, Veſperas, & Completorium ſecunda vel tertia pomeridiana recitare ſivit in Synod. Pariſ. p. 55. *Vos, qui Religioſi non eſtis, non omittatis, loco mediæ noctis, demane circa quartam aut quintam noctturnum perſolvere Officium.* Exiſtimat autem officii horum ſine peccato præverti non poſſe, ſi gravis ratio non urgeat, præcipue Matutinum ſub diei præcedentis veſperam recitando: *Permittimus neceſſitati cauſſa, ut Matutinas diei ſequentis poſſitis dicere ſero precedente, aut mane totum Officium ſucceſſive dicere uſque ad Veſperas cum Completorio, ſi utilibus negotiis ut ſtudio, aut Proceſſionibus, aut peregrinationibus; ſed ſi ex ſomnolentia aut deliciis facitis, ſine peccato facere non poteſtis.*

Vetus Pariſienſe Breviarium membranis inſcribebatur, idemque ſemper erat, cum exempla nullo immutato exſcribenterur, quæres effecit, ut diu mutatio-

tionis expers perduravit. Psalterium per ſeptem hebdomadæ dies diſtributum erat, Lectiones veto e Scriptura per ſingulos anni dies. Nulli erunt in illo Hymni; Verſiculi & Reſponſoria inſecutis tantum temporibus, per intervalla inſerti fuere; tale denique erat, quale ad hanc diem eſſe illud ſolet, quod a Feria IV. majoris hebdomadæ uſque ad Dominicam *Quaſimodo* recitatur, quæ eſt vetus hujus officii forma, nullam immutationem paſſa.

Inter ritus Pariſienſis Eccleſiæ proprios cenſeri poteſt mos canendi Reſponſorium ad primas Feſti Veſperas, & invitatorium juxta Feſta Duplicia, vel Semiduplicia; Reſponſorium poſtremæ Lectioni addendi, atque, cum *Te Deum* omittitur, idem novum Reſponſorium repetendi; *Gloria Patri* ad cujuſque majorum Feſtorum Reſponſorii finem recitandi, & tertium, ſextum, & nonum Reſponſorium repetendi; Sacerdotalem Verſiculum pronunciandi ad veterem Matutini, & Laudum ſeparationem denotandam; quinque Laudum antiphonas ad quinque ſequentes Horas recitandi, ad ſingulas Horas antiphonam, & quintam ad Veſperas, quando nullæ eſſent propriæ ex ipſis pſalmis etiam Veſperarum depromptæ, quemadmodum haberetur ſingulis Dominicis, Natali, Apoſtolorum Feſtis, & Ferialibus diebus: Pſalmos præterea currentis Feriæ ad primas Feſtorum veſperas recitandi. Tempore procedente quibuſdam Feſtis diebus ad cujuſque Nocturni finem Proſæ, atque Verſiculi inſerti fuere, ut diebus Aſſumptionis B. V. S. Pauli, S. Laurentii, S. Nicolai, & aliorum; Natali quoque poſt Reſponſorium *Deſcendit*, tres Proſæ erant; Purificationis vero die poſt nonum Reſponſorium *Gaude, Inviolata* dicebatur, idque ex Editionibus anno 1529. 1545. 1557. perſpici poteſt.

Verum an. 1583. ſub Petri de Gondy Epiſcopatu nonnulli Romanum Breviarium in Pariſienſem Eccleſiam introducere tentarunt. At cum Epiſcopus ea de re ad Capitulum verba feciſſet, poſt exploratas omnium ſententias, atque diligens rei examen ſtatutum fuit, Breviarium Pariſienſe relinquendum non eſſe, ſed recognitum, atque emendatum denuo eſſe imprimendum, cujus rei cura duobus Canonicis demandata eſt. Anno vero 1584. idem Epiſcopus cum Capituli conſenſu auctor fuit, ut publici juris fieret: *Exiſtimatum eſſe Breviarium, & Miſſale Pariſienſe convenientius retineri in ipſa Eccleſia Pariſienſi, ac Typis demandari, utroque prius recte expurgato, ac reſtituto per Dominos ad hoc jam deputatos.* Decretum iſtud Capituli anno 1583. Mali undecim remiſſum fuit, inſertumque eſt Probationibus Libertatum Gallicanarum Tom. II. C. 31. atque oratione Domini Servini Advocati Generalis, qui in Senatu Pariſienſi cauſſam egit Capituli Eccleſiæ S. S. Trinitatis Juliomagenſis adverſus Carolum Mironium Epiſcopum Juliomagenſem, qui Romanum Breviarium eo inducere volebat, die Jovis 27. Februarii an. 1603. Cutiæ autem decreto eadem die emiſſo veritum fuit Epiſcopo Juliomagenſi res novas circa rerum Divinarum celebrationem, aut ritum ſine Regis auctoritate in ſua Diœceſi tentare. Idem e Supremi Regis conſilii ſententia ſancitum eſt adverſus Rotomagenſem Miniſtrum.

Quod ſi Pariſienſis Breviarii formam ſpectamus, per correctionem, & recognitionem ipſam ad Romanum Breviarium tam prope acceſſit, ut idem fere dici poſſit, ſi pleraruinque Lectionum, Hymnorum, Reſponſoriorum, & Pſalmorum rationem habeamus. Fuit etiam aliquo pacto immutatum, cum Franciſci Harlæi Pariſienſis Archiepiſcopi juſſu an. 1680. recognitum fuit. Per temporis hujus intervallum iſtud Officium *Pariſienſe Breviarium* ſemper appellatum fuit, extantque Statuta, Edicta, atque Decreta Henrici de Gondy ſub an. 1618. 1619. & 1620. ad morem, atque Ritum Pariſienſis Eccleſiæ in tota Diœceſi proponendum; tuncque primum inter cetera Dominicæ Pſalmi ad primas Feſtorum Veſperas dici cœpere, Ferialibus, qui conſtanter, elapſis ſæculis, recitati fuerant, omiſſis. In editione anni 1607. e Completorio deciſa fuit oratio *Illumina*, quæ vetu-

Digitized by Google

vetuſtiſſima eſt, extatque in Sacramentario S. Gregorii, ejuique loco oratio *Viſita* inſerta fuit, quam Monachi in Romanum Breviarium intruſerant.

Breviarium Pariſienſe ante Editionem hanc inſcriptum erat : *Ordinarium, ſeu Breviarium Pariſienſi Eccleſiæ accommodatum*, vel *Breviarium, ſeu Ordinarium Venerabilis Eccleſiæ Pariſienſis*. In prima Editione, quæ anno 1492. facta eſt, inſcribebatur : *Officium Domini, & Sanctorum ſecundum verum Ordinarium Venerabilis Eccleſiæ Pariſienſis impreſſum*. Anno 1584. poſt inſtitutam emendationem, hæc inſcriptio præfixa fuit : *Breviarium Inſignis Eccleſiæ Pariſienſis reſtitutum, ac emendatum anno 1584. ſub Petro de Gondy*. At poſtea additum fuit, fuiſſe illud, *Ad formam Sacro Sancti Concilii Tridentini reſtitutum*. Additamentum hoc anno 1607. inſeri cœptum eſt, licet Concilium Tridentinum nullam pro Breviario formam inſtituerit, vel præſcripſerit. Dicere ſcilicet volebant, emendatum illud fuiſſe, ut Concilium juſſerat, atque ram prope ad Romanum acceſſiſſe, ut illi undique fere ſimillimum effectum ſit.

Illud autem peculiare ſibi habebat Pariſienſe Breviarium, quod in omnibus Regiis Sacellis per univerſam Galliam vigeret; ad S. Ludovici exemplum, qui auctore Gotfrido de Beaulieu in Regis hujus Vita, cujus ad Confeſſiones Miniſter fuerat, ubicumque deum eſſet, Officium juxta Pariſienſem ritum perpetuo recitabat, atque in Sacellis ſuis celebrari volebat. Du Tillet quoque in Gallicis perquiſitionibus perhibet, idem a Regibus noſtris factitatum fuiſſe, quocumque loco eſſent. Recitari quoque ſolet in pluribus Eccleſiis Urbis, atque Vicariatus Pontiſaræ, veluti in Collegiata, atque Parochialibus S. Andreæ, S. Maclovii, S. Petri, atque in Parochialibus quibuſdam, quæ a S. Melonis Capitulo pendent. Eſt jam a me adnotatum, anno 1610. in regii Palatii Sacello, Breviario Pariſienſi relicto, Romanum adſcitum eſſe. Idem præſtitum eſt in Sacellis Vincenenſi, Divionenſi, Campiniacenſi, Diœceſis Carnutenſis, & Caſtrodunenſi. Puto autem ad hanc diem vetus ſervari in Sacellis Bituricenſi, Borbonienſi, aliiſque. Dominicani, Redemptionis, & S. Crucis Religioſi, Auguſtiniani, cæterique Ordines, cum in Urbe inſtituti fuere, Pariſienſe Breviarium recitabant.

Conſtat autem, poſt Pii V. dumtaxat emendationem Romanum Breviarium fere univerſum Pariſiis receptum fuiſſe, multaque prius uſurpata omiſſa fuiſſe. Referam tantum Miſſalis Pariſienſis Calendarium excuſſum anno 1543.

Januarii. 1. Circumciſio, duplex ſolemn. 2. Octava S. Stephani tres Lectiones. 3. S. Genovefa duplex, Commemoratio dumtaxat octavæ S. Joannis. 4. Oct. Innocentium, tres Lect. 5. S. Simeon Stylites, tres Lect. Miſſa Vigil. Epiphan. Collecta *corda noſtra*. 6. Epiphania, dupl. ſolemn. Poſt nonam Lectionem legebatur genealogia ſecundum Lucam, atque ad Miſſam Præfatio *Quia per incarnati* : Intra octavam Proſa non recitabatur, Dominica excepta, atque Evangelium erat de Baptiſmo Jeſu Chriſti a S. Joanne relato, octavæ vero die S. Matthæi erat Evangelium c. 3. Præfatio *Quia cum Unigenitus* die tantum poſt Feſtum ſequente recitari incipiebat, atque porro diebus ceteris. 8. S. Rigobertus ſemid. cum commemor. S. Juliani, S. Luciani, & S. Maximini. 10. S. Guillelmus Bituricenſis ſemid. 13. de octava Epiphan. cum commemor. S. Hilarii, & S. Remigii, una Collecta comprehenſorum *BB. Pontificum Hilarii, & Remigii*. 14. S. Felix, tres lectiones. 15. S. Maurus, novem Lect. & commemor. S. Bon. 16. S. Marcellus, tres Lect. commemor. S Furſei. 17. S. Sulpicius, novem Lect. commemor. S. Speuſippi, & S. Antonii. 18. S. Priſca, tres Lect. nihil vero de Cathedra S. Petri Romæ. 19. S. Launomarus, tres Lect. 20. Ss. Fabianus, & Sebaſtianus, novem Lect. atque duæ Orationes cum unica concluſione dicebantur; pro S. Fabiano Papa, & Martyre, *Infirmitatem*, & pro S. Sebaſtiano; *Deus qui B Sebaſtianum virtute conſtantiæ in paſſione*. 21. S. Agnes, novem Lect. 22. S. Vincentius, duplex. S. Emerentius, tres Lect.

Digitized by Google

Lect. 24. s. Babylas, tres Lect. 25. Converſio s. Pauli commemor. s. Præjecti. 26. s. Polycarpus, tres Lect. 27. s. Julianus Epiſcopus dupl. commemor. s. Joan. Chryſoſtomi. 28. *Agnetis* ſecundo. Miſſa erat de s. Carolo Magno, Collecta: *Deus qui ſurabundanti fecunditate B. Carolum Imperatorem, & Confeſſorem tuum, depoſito carnis velamine, beata immortalitatis trabea ſublimaſti, concede propitius, ut quem ad laudem, & gloriam nominis tui honore Imperii exaltaſti in terris, pium ac propitium interceſſorem habere mereamur in Cœlis; per Dominum.* 29. s. Paula, tres Lect. 30. s. Batildes, tres Lect. commemor. s. Marrani Martyris.

Februario. 1. s. Ignatius, tres lectiones commem. s. Brigittæ, Miſſa Vigiliæ Purific. & commemor. s. Ignatii; ad introitum *Lux fulgebit*, quemadmodum Natalis tempore: Collecta *Corda noſtra* ad Vigiliam Epiphaniæ; Epiſtola *Apparuit*, uti ad primam Natalis Miſſam. Evangelium eſt reditus Jeſu Chriſti in Galilæam. 2. Purificatio dupl. ſolem. 3. s. Blaſius dupl. 5. s. Agatha, novem lect. 8. nihil de s. Apollonia. 9. s. Scholaſtica, tres lectiones. 12. s. Eulalia. 14. s. Valentinus, tres lectiones. 18. s. Simeon Hieroſolymitanus dupl. 22. *Cathedra S. Petri*, novem lectiones. 24. s. Matthias duplex.

Martius. 1. s. Albinus, commemor. 7. s. Thomas dupl. commem. Ss. Perpetuæ, & Felicitatis. 12. s. Gregorius dupl. 16. Commemor. s. Gertrudis, atque in Cathedrali duplex. 19. s. Joſeph. 20. nihil de s. Joachimo. 21. s. Benedictus, novem lectiones. 25. Annunciatio dupl. ſolemn.

Aprili. 2. s. Maria Ægyptiaca ſem. 4. s. Ambroſius dupl. 11. s. Leo, ſola commemor. 13. Commemor. s. Euphemiæ. 14. s. Tiburtius, tres lectiones. 22. Inventio s. Dionyſii ſemid. commemor. s. Opportunæ. 23. s. Georgius dupl. commemor. s. Reguli. 25. s. Marcus dupl. Ad Miſſam fit commem. Abſtinentiæ per Collectam Rogationum, *Præſta, ut qui in afflictione poſiti*; niſi ſit Dominica. *Memoria de jejunio, niſi Dominica fuerit.* 28. s. Vitalis, tres lectiones. 29. s. Petrus Martyr, tres lectiones. 30. s. Eutropius ſemid.

Majo. 1. s. Philippus, & s. Jacobus, commemor. s. Amatoris. 2. nihil de s. Athanaſio. 3. Inventio s. Crucis dupl. 4. s. Cyriacus ſemid. quæ de eo dicuntur, omnia fabulis ſcatent. 6. s. Joannes P. L. ſemid. 9. Translatio s. Nicolai ſemid. 10. s. Gordianus, tres lection. 11. s. Mamertus, tres lectiones. 16. commemorat. s. Honorati. 19. s. Ivo dupl. 20. s. Petrus Cœleſtinus, novem lectiones. 25. s. Urbanus, tres lection. 28. s. Germanus dupl. commemor. s. Chæronis. 31. s. Cantianus, tres lect. commemor. s. Petronillæ. Feria tertia in octava Aſcenſionis Translatio Capitis s. Ludovici.

Junio. 1. s. Nicomedes Martyr, tres lect. 2. s. Marcellus tres lect. 6. s. Claudius dupl. 8. s. Medardus, & s. Gildaſius, tres lect. 9. s. Prima, & Felicitas, tres lect. 10. s. Landricus, novem lect. 11. s. Barnabas dupl. 12. s. Baſilides, tres lect. 14. s. Baſilius ſemid. 15. s. Vitus, tres lect. 16. s. Perreolus dupl. commemor. Ss. Quirici, & Julit. 17. s. Avitus, tres lect. 18. Ss. Marc. & Marc. & commemor. s. Fortunati Epiſcopi Pariſienſis. 19. s. Gervaſius, novem lect. commemor. s. Marinæ. 21. s. Leufridus, novem lect. 22. s. Paulinus, tres lect. 23. Vigilia s. Joannis, & commemor. Vigiliæ, ſi eſſet Dominica. 24. Nativitas S. Joannis, commem. s. Agoardi: hac die duæ Miſſæ celebrantur, *Miſſa in mane*, & *Maior Miſſa*. 25. Translatio s. Eligii, ſemid. 26. s. Joan. & s. Paulus, novem lect. 27. Viſitatio Virginis dupl. 28. s. Leo Papa, ſed Miſſa eſt de Vigilia, cum commem. s. Leonis. 29. s. Petrus, & s. Paulus dupl. 30. Comm. s. Pauli, novem lect.

Julio. 1. Octava s. Joannis. 2. s. Martialis dupl. commem. Ss. Proceſſi, & Martiniani; atque in Cathedrali Officium Apoſtoli fiet. 4. Translatio s. Martini, novem lect. 6. Octava Apoſtolorum. 7. Translatio s. Thomæ ſemid. 9. S. Thebaldus ſemid. 10. Septem Fratres, tres lect. 11. Translatio s. Benedicti, novem lect. 13. s. Turiavius, novem lect. 15. Diviſio Apoſto-

lorum. 18. s. Arnulphus, novem lect. 20. s. Margarita, tres lectiones. 24. s. Chriſtina, tres lect. Miſſa Vigiliæ. 25. s. Jacobus dupl. commem. s. Chriſtophori, s. Cucufæ, & s. Germani. 26. Translatio s. Marcelli dupl. 27. Transfiguratio Jeſu Chriſti. 28. s. Anna duplex commem. s. Pantal. & Samſonis. 29. s. Martha, dupl. commem. s. Lupi. 30. s. Abdo, tres lect. 31. s. Germanus Autiſſiodorenſis ſemid.

Auguſto. Prima Dominica Sufceptio Crucis, dupl. Prima die menſis, s. Petrus in Vincula, novem lect. commem. Macchabæorum, & s. Syri. 3. Inventio s Stephani ſemid. 5. s. Jonius, & commem. s. Memmii, & s. Dominici. 6. s. Sixtus Papa, tres lect. commem. s. Feliciſſimi. Hac die cum recenti vino conſecratio fieri incipit, ſi haberi poterat, eique in antecceſſum per orationem benedicebant. 7. s. Donatus, tres lect. 8. s. Juſtinus, novem lect. 9. s. Romanus, tres lect. Miſſa Vigiliæ. 10. s. Laurentius duplex. 11. Sufceptio Sacræ Coronæ dupl. 12. s. Tiburtius, tres lect. 13. s. Hippolytus, novem lect. commem. s. Radegundis. 14. s. Euſebius, tres lect. Miſſa de Vigilia. 15. Aſſumptio, Annualis; Proſa Miſſæ eſt: *Lætabundus* diei. Nativitatis, per octavam quotidie mutatur Evangelium, *Miſſa eſt*, vel *Exurgens*, aut *Extollens*. 17. Commem. victoriæ Philippi. Pulchri in Cathedrali dumtaxat, nihil vero in Diœceſi. 18. Commem. oct. s. Laurentii. 21. Commem. s. Symphoriani. 22. Octava Aſſumptionis. 23. S. Timotheus, tres lect. Miſſa Vigil. 24. s. Bartholomæus dupl. commem. s. Ovini. 25. s. Ludovicus dupl. commem. s. Geneſii, Evangel. s. Matthæi: *Conſiderate lilia agri*. 26. s. Bernardus ſemid. 27. Ss. Georgius, & Aurelius, novem lect. 28. s. Auguſtinus dupl. comm. s. Hermæ, & s. Juliani. 29. Decollatio s. Joannis commemor. s. Merici. 30. s. Piacrius duplex.

Septembri. 1. s. Ægydius ſemid. 2. s. Antoninus, tres lect. 3. s. Lupus, novem lect. 7. s. Clodoaldus, novem lect. commem. s. Euberti. 8. Nativitas B. V. dupl. ſolemn. commem. s. Adriani, oratio *Supplicationem Servorum*. 14. Exaltatio Crucis, commem. 15. Cornelii, & Cypriani. 15. Octava Nativitatis dupl. 17. s. Omerus dupl. commem. s. Lamberti. 20. Miſſa de Vigilia. 21. s. Matthæus dupl. 22. s. Mauritius, tres lectiones. 23. s. Thecla, tres lect. 24. s. Firminus, tres lect. & duplex in Cathedrali. 27. s. Coſmas dupl. 29. s. Michael duplex. 30. s. Hieronymus dupl.

Octobri. 1. s. Remigius, novem lect. 3. s. Leodegarius, tres lect. 4. s. Franciſcus, novem lect. 5. s. Aurea, novem lect. 6. Commem. s. Fidei. 8. s. Demetrius, tres lect. Miſſa de Vigilia. 9. s. Dionyſius dupl. ſolemn. 13. s. Geraldus dupl. in Cathedr. nihil vero alibi. 16. Octava s. Dionyſii dupl. 17. s. Cerbonius, tres lect. 18. s. Lucas duplex. 19. s. Sabinianus, novem lect. 21. *Undecim millia Virginum*, duplex, commem. s. Hilarionis. 22. s. Melo dupl. in Cathedr. atque in Diœceſ. novem lect. 23. s. Severinus, tres lect. 24. s. Magiorius, novem lect. 25. s. Criſpinus, tres lect. 27. Miſſa de Vigilia. 28. s. Simeon dupl. commem. s. Paronis, & translatio s. Genovefæ. 30. s. Lucanus, novem lect. 31. s. Quintinus, tres lect. Miſſa de Vigilia.

Novembri 1. Feſtum omnium Sanctorum, dupli ſolemn. 2. Commemorat. Defunctorum, dupl. 3. s. Marcellus dupl. cum Octava. 4. s. Clarus. Semid. 8. Octava omnium Sanctorum. 9. s. Maturinus novem lection, atque in Cathedrali dupl. 10. s. Martinus duplex cum octava. 13. S. Gendulphus dupl. Commemorat. S. Bricii. 17. S. Agnanus, novem Lection. 18. Octava s. Martini. 19. s. Eliſabetha, ſemid. 21. Præſentatio dupl. Genealogia ſecundum Matthæum. 22. s. Cæcilia, nov. lect. 25. s. Catherina, dupl. 26. s. Genovefa Ardentium. Commemorat. s. Marcelli. 29. s. Saturninus, tres lect. Miſſa de Vigilia. 30. s. Andreas, dupl.

Decembri 1. s. Eligius, nov. lect. 2. s. Valerius, dupl. in Cathedrali, nihil alibi. 4. Sufceptio Reliquiarum, & nihil de s. Barbara. S. Nicolaus, dupl. 7. Commemorat. s. Ambroſii. 8. Conceptio B. V. dupl. ſolemn. 9. Octava s. Andreæ. 10. s. Melchiades, tres lect. 11. s. Damaſus, tres lect. 12. s. Corentinus, tres lect. 13. s. Lucia, tres lect. 14. s. Nicaſius, tres lect. 15. s. Maximinus, tres lect. 16. s. Adelaſia, tres lect. 17. s. Lazarus, tres lect. 18. s. Gratianus, tres lect. 19. s. Timotheus, tres lect. 20. s. Philogonius, tres lect. 21. s. Thomas, tres lect. 23. s. Victoria, tres lect. 24. Vigilia. 25. Nativitas Domini, dupl. ſolemn. 26. s. Stephanus, dupl. 27. s. Joannes, dupl. 28. Innocentes, dupl. 29. s. Thomas, dupl. 30. s. Sabinus, tres lect. 31. s. Silveſter, tres lect.

Ad

Digitized by Google

2. Andreæ. 8. Conceptio, dupl. ſolemn. 20. S. Niceſius, ſemid. 11. S. Fuſcianus, nov. lect. 13. S. Lucia, nov. lect. 21. S. Thomas dupl. 25. Natale Domini. 26. S. Stephanus. Solemn. 27. S. Joan. dupl. 28. Innocentes, ſemid. 29. S. Thomas ſemid: 31. S. Sylveſter, ſemid.

In eodem hoc Miſſali prima Dominica adventus Evangelium eſt Jeſu Chriſti Hieroſolymam ſubeuntis. Sunt Epiſtolæ & Evangelia propria pro ſingulis Feriis quartis & ſextis totius anni. Secunda Dominica Adventus Evangelium eſt *Erunt ſigna in Sole*. Tertia *Cum audiſſet*, Quarta *Miſerunt Judæi*. Natali poſt nonam lectionem canitur Genealogia ſecundum S. Matthæum. In tribus Natalis Miſſis duæ ſunt Epiſtolæ, veteris una, novi Teſtamenti altera. Proſæ etiam ſunt omnium Feſtorum propriæ, ſingulorumque dierum heddomadæ Paſchalis, & Pentecoſtes. Dominica *Quaſi modo* diei Paſchatis Miſſa dicitur, Proſa excepta, quæ alia eſt. Aliis Dominicis poſt Paſcha dicitur Proſa *Victimæ*, ſed initium dumtaxat fit ad *Agnus redemit oves*. Prima Dominica poſt Trinitatem legitur Evangelium de Divite, atque illud, quod nos prima recitamus, ad quartam ſpectat Dominicam. Omnes Dominicæ uſque ad Trinitatem appellantur *poſt Trinitatem*.

Sacerdos veſtes ad celebrandam Miſſam ſumens alias ab hodiernis preces recitat. Poſtquam ad Altare pervenit, recitat *Introibo*, & Pſalm. *Judica* cum *Gloria*, inde *Kyrie*, *Chriſte*. . . *Pater noſter*, & *ne nos inducas*, *Confitemini Domino*, poſtea *Confiteor Deo omnipotenti*, & *B. Mariæ Virgini*, & *omnibus Sanctis ejus*, & *vobis*, *Fratres*, *quia ego miſer peccator peccavi nimis*, *loquendo*, *operando*, *negligendo*, *omittendo*, *cum Excommunicatis participando*, & *in cunctis viciis meis malis*, *mea culpa*. *Ideo precor ter gloriosiſſimam Virgo Maria*, & *vos omnes*, *Sancti*, & *Sancta Dei*, & *vos Fratres*, *ut vestis pro me miſerrimo peccatore*, *ad Dominum Deum noſtrum omnipotentem*, *ut miſereatur mei*. Poſt *miſereatur*. Abſolutionem dat, uti Paſchatis tempore, *per gratiam Spiritus Sancti*. . . Altare ſcandens dicit: *Aufer a nobis*, poſtea, *Conſcientias noſtras viſitando purifica*. Altare oſculatur, Miſſale aperit eo loco, quo Jeſu Chriſti crucifixi imago eſt, atque illam intuitus ait: *Adoramus te*. . . . *quia per Crucem*. . . . ℣. *omnis terra adoret te*, Oratio, *Perpetua*, & pedes Crucifixi exoſculatus ait: *Adintorium*. . . . *Sit nomen Domini*. . . . atque incipit Introitus. Calicem & patinam ante Evangelium parare debet. Ad offertorium ait: *Quid retribuam Domino*. . . . *Calicem Salutaris accipiam*, atque Calicem cum Patina offerens ait: *Suſcipe Sancta Trinitas*. . . . Hoſtiam ad Calicis pedes ponit, & Calicem Corporali tegit, poſtea recitat: *Veni Sanctificator*. . . . Oblationes populi accipiens ait: *Centuplum accipietis*, & *vitam æternam poſſidebitis*. Poſt *Lavabo*. . . *In ſpiritu humilitatis*. . . . Altare oſculatur, ſeque ad Populum dextera & ſiniſtra convertens ait: *Orate pro me*, *Fratres*, & *Sorores*, *ut meum pariter & veſtrum in conſpectu Domini ſit acceptum ſacrificium*. In Miſſis B. V. ſunt additamenta quædam ad *Gloria in Excelſis*. . . . *Domine Fili unigenite Jeſu Chriſte*, *Spiritus alme orphanorum Paraclete*. . . . *Domine Deus Filius Patris*, *Primogenitus Filius Mariæ Virginis Matris*. . . . *Suſcipe deprecationem noſtram ad Mariæ gloriam*. . . *Tu ſolus Sanctus*, *Mariam ſanctificans*; *Tu ſolus Dominus*, *Mariam gubernans*; *Tu ſolus Altiſſimus*, *Mariam coronans*.

Canon *Te igitur* uſque ad finem eſt tamquam in Romano. Ubi ad Precum finem *Amen* eſt, illud a Sacerdote recitatur. Poſt *Pater* Sacerdos Patinam inter primum & medium digitum ſumit, atque attollens dicit: *Amen libera nos*. . . Crucis ſignum cum Patina faciens ori atque oculis illam admovet dicens: *Da propitius pacem*. Antequam dicat *Pax tibi*, Hoſtiam, non Altare oſculatur. Eſt & oratio alia *Domine Jeſu Chriſte*, *qui dixiſti*, ad pacem dandam. Inde ſequitur *Domine Jeſu Chriſte*, *qui ex voluntate Patris*. . . . Oratio *Perceptio* non inſeſt. Poſt *Ite Miſſa eſt* Benedictionem impertitur dicens: *Adintorium*. . . . *Sit nomen*. . . . poſtea *Benedicat vos*. . . . & *Placeat*, ſequitur benedictio. Veſti-

menta exuens evangelium, *In Principio* recitat.

Cum Baptiſma eſt miniſtrandum, ſal ſemper exorcizatur, eique benedicitur. Exorciſmorum preces aliæ ſunt pro pueris, aliæ ſunt pro puellis. Extra neceſſitatis caſum pueri & puellæ ſimul non baptizandi: *Plures maſculi ſimul, vel etiam plures fœminæ, non autem maſculus cum fœmina.* Cum plures infantes adferuntur, poſſunt ſimul baptizari his verbis: *Ego baptizo vos.*

Quod Extremam Unctionem attinet, ante Viaticum deſignata eſt. Viaticum tamen prius miniſtrari ſinit, ſi ægrotus poſtulet; parum enim intereſt, quo id ordine fiat: *Nec magna vis de ordine, ſi enim infirmus prius petat Sacramentum Euchariſtiæ, ſibi prius miniſtretur.*

Quod Matrimonium vero ſpectat, Sponſo & Sponſa ad Eccleſiæ fores ſtantibus, Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola alba indutus, annulum benedicit, quod argenteum eſſe debet, poſtea Sponſo & Sponſa thure luſtratis ad Populum ait: *Viri optimi, nos ſer propoſuimus Edicta de duobus hiſce, quod & iterum præſtamus; quod ſi aliquis, vel aliqua impedimentum eſſe ſciat, quod per Matrimonii leges hos conjungi vetet, id palam edicat*: Reſpondetur. *Nos nihil niſi de horum probitate conſtat.* Inde Sacerdos Sponſi dexteram Sponſæ inſerit, aitque ad illos: *Tu N. atque tu N. promittisne deſpondere, atque invicem jurare ſervaturos vos fidem atque leges Matrimonii, & mutuam veſtri, dum vivetis, ſive proſpera, ſive adverſa valetudine curam habituros, quemadmodum eſt a Deo inſtitutum, a Scripturis traditum, atque ab Eccleſia ſervatum?* Poſtea Sponſus annulum Sponſæ tradit, ut digito annulari inſerat, dicens cum Sacerdote: *Hoc annulo te accipio, corpore meo te dignor, atque ea tibi dona largior, quæ inter meos tuoſque amicos ſtatuta fuere. IN nomine Patris. . . .* atque Sacerdos illis benedicit precibus quibuſdam, neque dicit: *Ego conjungo vos*, ſed tantum *Deus conjugat vos, impleatque benedictionem. . . .* Inde eos in Templum ducit, & Miſſa Trinitatis dicitur, *Benedicta ſit Sanctæ Trinitatis . . .* Collecta, *omnipotens . . . qui dediſti famulis . . .* cum *Exaudi nos ut quod veſtro miniſtratur officio . . .* Epiſtola, *Neſcitis quoniam corpora veſtra.* 1. Cor. 6. Præfatio Nuptiarum propria. Ante Pacem ſub umbella ſtatuuntur. Poſt *Agnus Dei* Sponſus ad Sacerdotem accedit, qui illi & Sponſæ etiam pacem impertitur; Clericus vero Populo. Poſt Miſſam Sacerdos panem & vinum benedicit, & Sponſo, Sponſæque offert, qui edunt atque bibunt. Sacerdos eos domum comitatur, atque thorum benedictionibus & thure incenſo luſtrat.

CAPUT XIV.

De Breviario Monaſtico, ſive de veteri officii recitandi apud Monachos ratione.

CAſſianus ſatis uberem deſcriptionem exhibet rationis, quam in orando Ægyptii Monachi ſervabant, noctu tantum, & veſpere, atque bis per diem conveniebant, tumque duodecim Pſalmos recitabant. Numerus hic Pſalmorum duodecim ad nocturnum Officium in tota antiquitate eſt conſpicuus, qui nobis reliquus fuit Dominicis in primo nocturno, atque Perialibus diebus. Aliis diei horis Monachi illi preces ſuas in Cellis peragebant. Cum Pſalmi juſto longiores erant, eos ſecabant, atque ad cujuſque Pſalmi finem non *Gloria Patri*, ut in Occidente, dicebatur, ſed mora aliqua fiebat, atque tacita oratio, ſive in Pſalmum decantatum meditatio, ad finem vero duodecimi Pſalmi *Alleluia* dicebatur. Alternis choris non canebant, ſed unicus Frater cantabat; aliquando vero duodecim ſeligebantur, quorum quiſque Pſalmum ordine decantabat, cæteri vero omnes per id tempus ſedebant, atque ea, quæ dicebantur, recogitabant. Dominica tantum, & Sabbatho ad duodecim Pſalmorum finem lectiones duæ fiebant, ex veteri una, ex novo Teſtamento altera. Sub finem omnes genuflectebant, atque Abbas ora-

Digitized by Google

orationem ſive collectam faciebat.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, quas ſingillatim dum opus facerent, perſolvebant, tres Pſalmos ſingulis hiſce Horis recitabant; ſed Dominicis, Feſtiſque diebus, hora Tertia conveniebant, Miſſæque aderant. Primæ officium uſu receptum in Ægypto non erat.

Paleſtinæ Monachi ad Tertiam, Sextam, & Nonam conveniebant, atque tres Pſalmos ſingulis hiſce horis recitabant, cetera Ægyptiis monachis ſimiles. Qui in peccatum aliquod labebantur, ab officio excludebantur, neque illi intereſſe poterant. Qui ad officium Pſalmo primo jam abſoluto veniebant, Sacellum non ingrediebantur, ſed ad fores manebant uſque ad Officii finem, atque tunc humi ſe proſternebant ad deſidiæ veniam petendam. Ad noctis vero Officium uſque ad ſecundi Pſalmi finem ingredi licebat.

Quod Occidentis Monachos ſpectat, in S. Cæſarii, & S. Aureliani Regula videre eſt, quomodo apud eos Officium eſſet diſtributum. S. Columbanus Luxovienſis Abbas anno 613. Officium divinum, quod *Curſum* appellat, ita diſtribuit. Noctu æque ac die ter ad orandum conveniendum eſſe, in diurno Officio ſingulis Horis tres Pſalmos & nonnullas preces eſſe recitandas; Nocturnum Officium pro noctium ratione proferendum, aut contrahendum eſſe; ab Octobri ad Februarium in Communi officio per tria intervalla triginta ſex Pſalmos & duodecim Antiphonas eſſe decantandas; reliquis vero anni temporibus viginti quatuor tantum Pſalmos atque octo Antiphonas: at Sabbati, & Dominicæ nocturnum Officium ſeptuaginta quinque Pſalmis, & duodecim Antiphonis per hyemem conſtabit, quibus addendum, aut detrahendum pro noctium incremento, vel imminutione. Meminit quoque aliorum Monachorum, qui nocturnum Officium per quatuor intervalla peragebant, atque hyemis, æque ac æſtatis tempore duodecim Pſalmos in communi Officio, atque triginta ſex Dominicæ, & Sabbati noctibus; quod ipſe non probat, ut juſto gravius pro æſtivarum noctium brevitate.

S. Benedictus pſalmos in Officio ita diſtribuit, ut Pſalterium per hebdomadam abſolvatur. Pſalmi æquo longiores in duas partes ſecantur. Noctis officium ſemper duodecim pſalmos habet; at Dominicis diebus tria Cantica e Veteri Teſtamento adduntur. Laudes quotidie per pſalmum *Deus miſereatur*, incipiunt ſine Antiphona; inde Pſal. 50. *Miſerere* tam Dominicis, quam Ferialibus diebus ſubſequitur; canticum præterea, quemadmodum Romæ quotidie recitari ſolet, tque poſt illud, *Laudate Dominum de Cœlis* cum duobus inſequentibus pſalmis, ſicuti in Romano. Ad primam Dominicis diebus quatuor ſunt pſalmi, reliquis tres dumtaxat. Dominica, & Feria ſecunda pſal. 118. *Beati immaculati* in octonarios dividitur, ſcilicet poſt octavam quemque Verſiculum, inſervitque pſalmus iſte quatuor diei horis, Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ. Feria tertia uſque ad ſabbatum Graduales pſalmi recitantur; ſcilicet ad Tertiam, *Ad Dominum, Levavi, Lætatus ſum*; ad ſextam *Ad te levavi, Niſi quia Dominus, Beati omnes*. Ad veſperas quatuor tantum ſunt pſalmi; ad Completorium tres, *Cum invocarem, Quihabitat, Ecce nunc*. Officium nocturnum incipit a *Deus in adjutorium* ter repetito; *Domine labia mea aperies*, & pſal. *Domine, quid multiplicati ſunt*, quod ſolidum ſine Antiphona recitatur; inde Invitatorium, Hymnus a S. Benedicto *Ambroſianus* appellatus, quod nulli tunc, niſi S. Ambroſii Hymni extarent, ſex pſalmi, quatuor Lectiones cum Reſponſoriis ad primum Nocturnum; ad ſecundum ſex pſalmi cum Lectionibus quatuor; ad tertium tria Cantica poſt unicam Antiphonam, quatuor Lectiones, quæ ſunt Homilia quædam in Evangelium, quatuor Reſponſoria, *Te Deum laudamus*; inde Abbas Evangelium legit: ſub exitum *Amen* dicitur, atque canitur: *Te decet laus, te decet hymnus; tibi gloria Deo Patri, & Filio, cum Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen*; tandem ejus diei collecta. Ferialibus diebus ad primum No-

Qua-

cturnum ſex ſunt pſalmi cum tribus Lectionibus, & tribus Reſponſoriis; at poſt Paſcha uſque ad Novembrem, unica ſat brevis Lectio cum Reſponſorio dicitur: ad ſecundum Nocturnum ſex pſalmi, Capitulum, *Kyrie*, *Pater noſter*, ejus dici oratio.

Ad minores Horas poſt Capitulum Verſiculus tantum dicitur ſine Reſponſorio, inde *Kyrie*, *Pater*, & Collecta. Ad veſperas poſt Capitulum breve eſt Reſponſorium, atque ante collectam *Kyrie*, & *Pater* dicitur. Ad completorium tres tantum ſunt pſalmi, neque *Nunc dimittis* dicitur, ſed poſt pſalmos Verſiculus eſt *Kyrie*, & *Pater*, Oratio, & Benedictio. complures Scriptores S. Benedicti Officium myſtice interpretati ſunt, ut Honorius Auguſtodunenſis lib. 2. *de Gemma*; Durandus l. 6. *Ration.* Joannes Beletius; Rupertus lib. 2. in Reg. & Petrus Damianus opuſc. 10.

S. Benedictus aliam orationem ad officia claudenda non præſcribit, quam *Pater*, quod alta voce ad Laudes, & Veſperas eſt recitandum, idque ea gratia, inquit ipſe, ut ſiqua inter fratres eſſet ſimultas, ad veniam dandam urgerentur illis verbis: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Pſalterium ſingulis hebdomadis recitari mandat; atque ſicui pſalmorum a ſe inſtituta diſtributio non probetur, alia ratione diſtribui non vetat, dum totum pſalterium recitetur; ſane enim, inquit S. Benedictus, minima quidem res eſt pſalterium per hebdomadam recitare, quod patres noſtri quotidie cum fervore recitabant. Sanctorum Feſtis, & ſolemnioribus diebus idem quod Dominicis ſervabatur, præterquam quod pſalmi, Antiphonæ, & Lectiones ejus dici propriæ concinerentur.

Venia iſta a S. Benedicto Ordinis ſui Præpoſitis conceſſa, ut Pſalmorum diſtributionem pro ſententia immutare poſſent, illud effectum eſt, ut fuerint, ſintque ad hanc diem varia in Ordine illo Breviaria. Congregatio Cluniacenſis in Gallia aliud habet a Congregatione S. Mauri Breviarium, atque diu eſt, quod querela inſtituta eſt de diſcrimine iſto inter ejuſdem Inſtituti homines. Concilium Ravennatenſe anno 1311. habitum huic malo remedium afferre tentavit, ſtatuitque can. 17. ut Abbates omnes, atque Priores Ordinis S. Benedicti uniforme Breviarium haberent. In Abbatia S. Dionyſii in Gallia Regis Joannis ævo erat hac fere ratione diſtributum, quemadmodum ex manu exarato Codice videre eſt, in ejus Abbatiæ Theſauro ſervato.

Sabbato ante primam Dominicam Adventus ad Veſperas, Pſalmi, & Antiphonæ de Feria; Capitulum, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, ſuſcitabo David germen juſtum*. . . . . Hinc videre eſt Capitula non a Miſſæ Epiſtola accepta, ſed propria fuiſſe; Reſponſorium. *Salvatorem expectamus*. . . . . In Gallia Reſponſoria dicebantur ad primas Veſperas Dominicarum, & Feſtorum; Hymnus *Conditor*; Verſiculus, *Rorate*; Antiphona, *Ecce nomen*; Oratio, *Excita*. Ad Matutinum Invitatorium, *Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori noſtro*; Hymnus, *Verbum*; Lectiones Iſaiæ, quæ ſemel tantum ſub initium inſcribuntur: *Incipit Iſaias Propheta*; ad primum, & II. Nocturnum leguntur; ad tertium Evangelium Chriſti Hieroſolymam ſubeuntis; Homilia eſt S. Joannis Chryſoſtomi, qui appellatur dumtaxat *Joannes epiſcopus*; ad finem Matutini, ejus diei collecta ad finem Officii ſignificandum. Ad Laudes, Antiphonæ, *In illa die*, capitulum, *Benedictio, & claritas*, & non ex Epiſtola; Reſponſorium quemadmodum ad Veſperas; Hymnus, *Vox eccè*.

Ferialibus diebus, Invit. *Regem venturum Dominum*. Ad II. Dominicam, Evangelium, *Erunt ſigna*, cum Homilia S. Gregorii. Ad III. Dominicam, Invit. *Ecce venit plenitudo temporis, in qua Deus miſit Filium ſuum. natum de Virgine, factum ſub Lege, venite adoremus*. Evangelium, *Cum audiſſet Joannes*. Homil. S Gregorii.

Feria quarta Quatuor Temporum ſancitum eſt, feſta in eum diem incidentia in alium eſſe transferenda. Ad Matutinum, Evangelium, *Miſſus eſt*; non dicitur.

Digitized by Google

citur *Iube Dom.* ſed *Dominus vobiſcum*, veluti ad Miſſam ; Homila Bedæ eſt.

Ante Natale, novem ſunt OO. Primum 15. Decembris incipit : intra horum dierum ſpatium ad Veſperas non flectuntur genua, neque dicitur pſalmus *Miſerere* ; ſed ad Completorium dumtaxat recitatur, genuaque ad id flectuntur. Novem iſta OO. ſunt ſeptem illa Romani, *O Thoma Didyme*, & *O Virgo* ; atque a virtis dignitate ornatis quotidie præcinuntur, quos omnes Abbas antecedit. Feria ſexta Quatuor Temporum, Evangelium, *Exurgens* ; Homilia Bedæ. Sabbato, Evangelium, *Anno quintodecimo* ; Hom. S. Gregorii IV. Dominica, Evangel. *Miſerunt Judæi* : Hom. S. Gregorii.

Vigilia Natalis, Evangelium, *Cum eſſet deſponſata*, Hom. S. Hieronymi. Ad Veſperas, Pſalmi de Feria cum Antiphonis propriis ; Capitulum *Populus* ; Reſponſ. *O Juda* ; Hymnus, *Veni Redemptor* ; Oratio, *Deus, qui nos expectationis*. Ad Completorium, ad Hymni finem, aliarumque etiam Horarum, *Memento ſalutis Auctor*, & *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*, uſque poſt Octavam Epiphaniæ.

Natali ad Matutinum, Hymnus, *A Solis ortu* ; poſt primum Nocturnum legitur Iſajas ; ad ſecundum, Sermo, non dicitur *Gloria Patri*, niſi ad finem primi, & tertii Reſponſorii. Legitur Genealogia Jeſu Chriſti ſecundum Matthæum, cum oratione *Deus, qui hanc Sacratiſſimam*. Ad Laudes, Antiphona, *Quem vidiſtis* ; Capitulum, *Populus, qui ambulabat* : Hymnus, *Chriſte Redemptor*, & oratio propria. Ad Veſperas Antiphona, *Tecum principium*, cum *Dixit*, *Confitebor*, *Beatus*, *De profundis*, *Memento* : duo poſtremi pſalmi alternis quotidie canuntur uſque ad octavam Epiphaniæ, una die ſcilicet, *De profundis*, altera vero, *Memento* ; Hymnus, *Veni Redemptor* ; Oratio, *Concede*.

Dominica in Octava, Evangelium, *Erant mirantes*, non ſecus ac Romæ ; ſed oratio eſt, *Deus, qui ſalutis æternæ*.

Octava die oratio eſt, *Deus, qui novum natî Salvatoris diem celebrare concedis octavum* ; Antiphona ad Laudes, *O admirabile* : Commemoratio fit Dominicæ, ſi in eam Octava incidat, cum Antiphonis pro ea deſignatis, & Oratio *Deus qui ſalutis*. Ab ea die uſque ad Purificationem ad Laudes, & ad Veſperas fit commemoratio Virginis, durante etiamnum Epiphaniæ Octava, atque oratio eſt *Deus qui ſalutis*.

Ad Epiphaniam, Antiphona, *Tecum principium*, pſalmi diei Natalis ; Capit. *Surge* ; Reſponſ. *In columbæ*, atque hymnus, qui cum Domini noſtri baptiſmate neceſſitudinem habet ; Collecta primarum Veſperarum, *Corda noſtra . . . . ventura Solemnitatis ſplendor . . . .* cum Virginis commemoratione ; ad finem hymnorum, *Memento*, & *Gloria tibi Domine, qui apparuiſti*. Ad Matutinum, Invit. *Chriſtus apparuit nobis*, hymnus, *Chriſte Redemptor* ; ad primum, & ſecundum Nocturnum, Sermo de Feſto ; Antiphonæ ad Laudes, *Ante Luciferum* ; hymnus, *Hoſtis Herodes*, qui continuatio eſt alterius *A ſolis ortu*, in quo ſtrophæ ſingulæ ab Alphabeti litteris incipiunt ; A, *A ſolis* ; B, *Beatus* ; C, *Caſſa* ; D, &c. H, *Hoſtis Herodes* ; I, *Ibant* ; L, *Lavacra* ; &c. Per Octavam ſingulis diebus, ad *Benedictus*, & *Magnificat* Antiphonæ proprias habentur. Dominica in Octava officium fit, ſicut ipſa Epiphaniæ die, cum Evangelio Jeſu chriſti in Templo ; Oratio, *Omnipotens . . . . dirige actus*, ſine aliqua Epiphaniæ commemoratione. Octava die ad Matutini finem legitur Genealogia Jeſu chriſti ſecundum Lucam, præter Evangelium Baptiſmatis Jeſu chriſti ; atque ſi eam diem Dominicam eſſe evenerit, fit ejus commemoratio ad Laudes, & Veſperas. Ad minores Horas ſunt Antiphonæ propriæ pro Jeſu chriſti baptiſmate.

Epiſtola ad Romanos legi non incipit, niſi poſt Octavam Epiphaniæ.

Dominicis *per annum* ad Primam dicuntur Preces ; poſt eas vero, Oratio Trinitatis, *Omnipotens . . . . qui dediſti famulis*. Ad Completorium dicitur Hymnus *Chriſte qui lux es*, ab omnium Sanctorum die, uſque ad Feriam quin-

tam

tam in cœna Domini ; poſt Paſcha vero uſque ad omnium Sanctorum Feſtum, *Te lucis ante terminum*.

Septuageſima, Sabbato ad Veſperas ter dicitur *Alleluia* ad ſingulas Veſperarum Antiphonas, atque ad *Magnificat* ; poſt eam diem uſque ad Paſcha non fit commemoratio alicujus Feſti, niſi tres lectiones habeat : ad primum, & ſecundum Nocturnum Geneſis legitur : Invitatorium, *Quia magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos*.

Quatuor prioribus Quadrageſimæ diebus ad Matutinum, Geneſis legitur ſine Evangelio, & Homiliis : per Quadrageſimam Evangelia leguntur, & Homiliæ : ad Quadrageſimæ dimidium, Collecta *Concede . . . . ut jejuniorum nobis facta devotio . . . .* Paſſionis tempore Ferialibus diebus non amplius Evangelia, vel Homiliæ leguntur, ſed tantum Jeremias.

Dominica Palmarum legitur Propheta Zacharias : Feria quinta in Cœna Domini ad tertium Nocturnum, Evangelium *Ante diem Feſtum*, cum Homilia : ad Laudes *Kyrie dicitur* ; ad minores Horas communes Hymni canuntur ſine *Deus in adjutorium*. Ad Primam oratio, *Deus omnipotens* ; ad ceteras horas *Reſpice* : ad Completorium, Hymnus *Te lucis*, oratio *Viſita*. Feria ſexta Paraſceves ad ſecundum, & tertium Nocturnum, Sermo de Paſſione. Sabbato ad tertium Nocturnum, Evangelium *Veſpere*, cum Homilia.

Paſchatis die ad completorium, Hymnus *Te lucis*, cum *Quæſumus Auctor*, & *Gloria . . . . qui ſurrexiſti* ; ſed non dicuntur Hymni aliis diei Horis per totam hebdomadam : tres etiam tantum Pſalmi ſunt ad Matutinum : ad ſingula Reſponſoria eſt *Gloria Patri* : ad Laudes, Capitulum *Expurgate* : ad Veſperas, Proſa *Victimæ*.

Dominica in octava Paſchatis Apocalypſis legi incipit ad primum, & ſecundum Nocturnum, uſque ad III. Dominicam, qua Epiſtola S. Jacobi legitur : S. Petri vero ad IV. & S. Joannis ad V. quod porro fit uſque ad Rogationes, nullis ſive Evangeliis, ſive Homiliis per hos dies adhibitis.

Aſcenſionis die ad primas Veſperas ; *Præſta, ... ut noſtræ mentis intentio . . . .* quæ eſt de Vigilia : ad primum, & ſecundum Nocturnum, & per octavam leguntur Sermones ad hoc Myſterium facientes.

Pentecoſtes die, officium Paſchali ſimile eſt, tres lectiones ; ad Tertiam *Veni Creator*. Trinitatis feſto nulla fit Dominicæ commemoratio : Lectiones primi, & ſecundi Nocturni ſunt e ſermone aliquo depromptæ : Evangelium eſt ſermo a Jeſu Chriſto cum Nicodemo habitus.

Feſto Corporis Chriſti integrum officium, ut Romæ eſt : Lectiones primi, & ſecundi Nocturni ſunt Sermones S. Thomæ, per octavam vero Patrum aliorum. Dominica in octava fit officium primæ Dominicæ poſt octavam Pentecoſtes : Libri Regum legi incipiunt, oratio *Deus in te ſperantium* ; Evangelium eſt de Divite, cum commemorat. SS. Corporis Chriſti. II. Dominica, quæ apud nos eſt tertia, Evangelium, *Homo quidam fecit cœnam* ; oratio, *Sancti nominis*. III. Evangelium, *Erant appropinquantes . . . . Publicani*. IV. Evangelium, *Eſtote miſericordes*. Evangelia non ſemper Romano ſimilia in viginti quatuor Dominicis. Quando Dominicæ plures ſunt viginti quinque, poſtrema Dominica reperitur, cum Oratione, *Excita tuorum fidelium voluntates*.

Menſe Julio leguntur Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticа, & Sapientia. Menſe Auguſto Job, Tobias. Menſe Septembri, Eſther, Daniel, & Maccabæi. Octobri, Ezechiel.

Propria Sanctorum. 30. Andreas caret Vigilia. Ad primas Veſperas dicitur oratio, quæ Romæ eſt de Vigilia ; *Quæſumus, ut B. A.* Lectiones I. & II. Nocturni ſunt ex actis Achaiæ Presbyteris tributis : cætera, ut Romæ, Antiphona, *Salve Crux pretioſa*. Si Feſtum in diem Sabbathi incidat, ad Veſperas, *a Capit.* Dominicæ Adventus cum commemorat. Feſti. S. Andreas Octavam habet, ſive ejus officium ſit octava die.

Decembri. 1. S. Eligius, 12. Lectiones, quæ ex ejus Vita petitæ ſunt. 6.

S. Ni-

S. Nicolaus, Officium habet, & proprios Hymnos, 12. Lectiones ex falſis Actis. 7. Octava s. Andreæ, 8. Lectiones ex Legendis, quatuor poſtremæ vero ex Homilia ſuper Evangelium; oratio velut Pariſiis ad Octavam S. Dionyſii, *Prorſgat*. 8. conceptio Virginis, Officium ſicut in Nativitate: 12. Lectiones ex commentitia hiſtoria petitæ ſunt. Sequentibus diebus s. Eulaliæ dumtaxat fit commemoratio, atque s. Damaſi, & s. Valerii. 13. s. Lucia, 12. Lect. quorum octa poſtremæ ex falſis Actis ſunt excerptæ: cetera ut Romæ. 15. S. Maximinus, 12. L. ad ſecundas Veſp. *a Capit.* Adventus, propter Antiphonam *O Sapientia*, cum Sancti commemorat. 21. s. Thomas: ad primas Veſp. *Magnificat*. Ant. *O Thoma Didyme*; 8. Lect. ex Actibus incertis, quatuor reliquæ ex Homil. ſuper Evangel. ad ſecundas Veſperas, *a Capit.* Adventus. Antiph. *O Rex Gentium* poſtea Sancti commemoratio. 26. S. Stephanus: Vigilia. Antiph. *Ave ſenior Stephane*, 8. L. S. Fulgentii, cetera ut Romæ. 27. S. Joannes, 8. L. ex falſis Actis. 28. Innocentes, 8. L. ex ſermone quodam. 29. S. Thomas. 12. L. 30. S. Sylveſter 12. Lect.

Januario. 2. Octava s. Stephani, 12. L. quæ reliquiarum ejus inventionem continent. 3. Octava s. Joannis, 12. L. 4. Octava Innocentium 12. L. 5. s. Genovefa. 12. L. ex ejus Vita, & 4. ex Homilia, Oratio, *B. Genovefæ natalitia veneranda*. 8. s. Lucianus Martyr, duodecim Lect. 14. S. Hilarius, Oratio, P. . . . . *ut excellentia Verbi* . . . . 15. Sanctus Maurus, duodecim Lect. 16. s. Marcellus, tres Lect. 17. s. Sulpitius, tres Lect. commemorat. s. Antonii. 18. s. Priſca tres Lect. 19. s. Laumerius, tres Lect. 20. ss. Fabianus, & Sebaſtianus, duodecim lect. 21. s. Agnes, duodecim lect. 22. s. Vincentius, dupl. offic. propr. 23. s. Emerentius, tres lect. 24. s. Babylas, tres lect. 25. Converſio S. Pauli, ſemid. & commemorat s. Projectis, nihil autem de s. Petro. 26. s. Polycarpus, tres lect. 27. s. Julianus Cœnomanenſis, duodecim lect. 28. *Agnetis ſecundo*, tres lect. 30. s. Bathildis, tres lect. 31. s. Patroclus Epiſcopus, & Martyr, dupl.

Februario. 1. s. Ignatius, tres lect. 2. Purificatio, *Semiannalis*, ad Veſperas, Ant. *O admirabile*; Hymnus, *Quod chorus*. 3. s. Blaſius, tres lect. 4. s. Agatha, duodecim lect. ex falſis Actis. 6. s. Vedaſtus, tres lect. 9. s. Scholaſtica, duodecim lect. 14. s. Valentinus, tres lect. 16. s. Juliana, tres lect. 22. *Cathedra Petri*, ſemid. neque aliud præterea; Officium proprium eſt, Hymni ſunt de Communi Apoſtolorum. 25. s. Matthias, dupl.

Martio. 12. s. Gregorius, dupl. officium propr. 21. S. Benedictus, dupl. offic. propr. 25. Annunciatio: ſi in Vigiliam Dominicæ Palmarum, vel in Feriam quartam majoris hebdomadæ incidat, ſecundas Veſperas non habet.

Aprili. 4. s. Ambroſius, dupl. duodecim lect. ex ejus Vita petitæ, cum oratione propr. 14. ss. Tib. & Valer. tres lect. 22. Inventio s. Dionyſii, oratio velut Pariſiis: Lectionis loco legenda, quæ corporis inventionem Dagoberto tribuit. 23. s. Georgius, tres lect. ex legenda quadam. 24. s. Regulus, tres lect. 25. s. Marcus, dupl. 28. s. Vitalis, tres lect. 30. s. Eutropius, tres lect.

Majo. 1. s. Philippus, & s. Jacobus dupl. 2. s. Athanaſius, tres lect. 3. Inventio Crucis, dupl. 6. s. Joannes P. L. tres lect. poſtea s. Gordianus, tres lect. s. Potentiana, tres lect. s. Donatianus, tres lect. s. Urbanus, tres lect. 28. s. Germanus, duodecim lect. 31. s. Petronilla, tres lect.

Junio. 2. ss. Mar. & Petr. tres l. s. Bonifacius, tres lect. ss. Medard. & Gild. tres lect. s. Barnabas, dupl. s. Baſilius, tres lect. ss. Ruf. & Val. ss. Vit. & Modeſt. s. Avitus, ss. Marc. & Marcel. tres lect. ss. Gervaſ. & Protaſ. duodecim lect. 21. s. Euſebius, tres lect. licet Arianus fuiſſe exiſtimetur. 24. Nativitas s. Joannis, dupl. cum octava. 26. S. Joan. & S. Paulus, tres lect. 28. s. Leo Papa, tres lect. 29. s. Petrus, & s. Paulus. 30. Commemoratio s. Pauli, dupl.

Digitized by Google

Julio. 1. Octava s. Joannis, duodecim lect. 2. nihil de Viſitatione, ſed ss. Proceſſ. & Mart. commemor. officii de Octava Apoſtol. 4. Translatio s. Martini, duodecim lect. 6. Octava Apoſtolorum, duodecim lect. 7. s. Martialis, duodecim lect. ſeptem Fratres, tres lect. Translatio s. Benedicti cum octava. 8. Margarita, tres lect. 9. Praxedes, tres lect. 10. Maria Magdalena, dupl. s. Apollin. tres lect. 13. Chriſtina, tres lect. 15. Jacobus dupl. 26. ſcilicet, & 25. s. Cucuphas, dupl. 27. s. Chriſtophorus, tres lect. Abd. & Sen. tres lect. S. Germanus, duodecim lect.

Auguſto. 1 s. Petrus in Vincula, ſemid. commemorat. Macchabæorum. 2. s. Stephanus, tres lect. 3. Inventio Reliquiarum s. Stephani, ſemidup. 4. s. Juſtinus Martyr, tres lect. 6. Tranſfiguratio, duodecim lect. 7. s. Donatus, tres lect. 8. Cyriacus, 9. Marc. tres lect. 10. Laurentius, dupl. 11. Tiburtius, 13. Jonius, 15. Hippolytus, tres lect. 15. Aſſumptio, Annalis; Feſtum hoc habet Vigiliam, & Officium, quando in Dominicam non incidit, Breviario Pariſienſi ſimile. Si Dominica ſit, primus, & ſecundus Nocturnus ſunt de Communi Virginum, & tertius de Vigilia, duodecim lect. ſunt hujus diei propriæ ex Actis apocryphis excerptæ. 22. de octava. 23. s. Bernardus dupl. s. Bartholomæus duplex, s. Ludovicus dupl. cum octava; s. Auguſtinus, duodecim lect. Decollatio s. Joannis, duodecim lect. s. Felicis, tres lect.

September. 1. S. Ægidius, duodecim lect. 4. s. Marcel. Martyr, tres lect. 7. s. Eubertius, & s. Clodoaldus, duodecim lect. 8. Nativitas B. V. commemor. s. Hadriani. 10. s. Gorgonius, duodecim lect. 14. Exaltatio s. Crucis dupl. cum commem. s. Cornelii, & s. Cypriani. 15. Octava Nativitatis, commem. S. Nicomedis. 17. S. Lambertus, tres lect. 21. S. Matthæus. 22. S. Mauritius duplex. 23. S. Thecla, tres lect. S. Cyprianus, & S. Juſtina, tres lect. SS. Coſmas, & Damianus, tres lect. S. Michael dupl. S. Hieronymus dupl.

Octobri. S. Remigius, duodecim lect. s. Franciſcus 12. lect. s. Fides, tres lect. S. Marcus, tres lect. 5. Dionyſius cum oct. 17. s. Demetrius, dupl. 18. s. Lucas, dupl. 21. *Undecim millia Virginum*, dupl. s. Melo, tres lect. s. Romanus 3. lect. s. Maglorius, duodecim lect. s. Criſpinus, tres lect. 28. Simeon. dupl. 29. s. Pharo, tres lect. 31. s. Quintinus, tres lect.

Novembri: 1. Omnium Sanctorum, ſine octava. 2. s. Euſtachius, dupl. 3. Defunctorum commem. dupl. 4. s. Clarus, duodecim lect. 7. S. Marcellus, duodecim lect. 10. s. Theodorus, tres lect. 11. s. Martinus, dupl. cum octava. 13. s. Britius, duodecim lect. 15. s. Eugenius dupl. poſtea Anianus ſequitur, tres lect. s. Edmundus Rex, & Martyr, duodecim lect. 20. s. Columbanus, tres lect. 23. s. Cæcilia, ſemid. s. Clemens, dupl. s. Roman. Confeſs. dupl. s. Catherina ſemid. s. Saturninus, tres lect. s. Andreas dupl.

Quemadmodum s. Benedictus occidentalium Monachorum Pater jure meritò habetur, ita quoque ejus Breviarium proprie illud eſt, quod *Monaſticum* appellatur, quodque amplexi ſunt Ciſtercienſes, Camaldulenſes, Cœleſtini, Carthuſiani, omneſque fere Monachorum Ordines, nonnullis dumtaxat peculiaribus ritibus inſertis; adeunt Ciſtercienſes *Pater* ante Nocturnorum Lectiones non recitent; Abſolutio non detur, neque *Gloria Patri* dicatur poſt brevia minorum horarum Reſponſoria, quia id in s. Benedicti Regula præſcriptum non eſſe ajunt. Ab iis æſtivo tempore unica Lectio Feſtalibus diebus dicitur, nullaque ſunt Feſta, tres Lectiones habentia. Alii Hymni non recitantur quam Ambroſiani, quia s. Benedictus hymnum *Ambroſianum* appellat, quorum catalogum apud Radulphum Tongrenſem videre eſt. Quare nulla apud eos Hymnorum mutatio, niſi ad Tertiam, & Completorium, ubi pro temporum, & Feſtorum ratione mutantur. Ad Veſperas dicuntur ſemper Pſalmi de Feria, quia in Regula nulla mentio de Pſalmis mutandis in ſolemnitatibus, niſi in Officio Nocturno. Collectas habent ſingularum horarum proprias. Feſta duodecim lectio-

Digitized by Google

ctiones non habentia, commemorationem tantum habent ad primas Veſperas, & ad Laudes. Duodecim Lectionum Feſta in tres claſſes dividuntur; prima ex illis conſtat, quibus Abbas ſermonem habet ad Monachos, atque ideo appellantur *Feſta Sermonis*: in aliis duæ Miſſæ dicuntur; una poſt Primam, alia vero poſt Tertiam: ſunt quoque, quibus unica Miſſa peragitur. Antiphonæ numquam duplicantur, ſolidæ dumtaxat poſt Pſalmum canuntur, unica tantum Antiphona ad Laudes ſemper habetur, ſub qua omnes Pſalmi recitantur. Ad cujuſque Horæ finem commemoratio fit B. V. & quotidie poſt completorium canitur *Salve Regina*. Hac igitur ratione Ciſtercienſium Ordo Breviarium s. Benedicti Regulæ magis conforme ſe recitare exiſtimat.

Abailardus epiſt. 5. de Breviario agens, quod Ciſtercii ævo ſuo recitabatur, conqueritur, plures novitates in id induſtas fuiſſe priſcis Clericorum, & Monachorum moribus adverſas, veluti novos Hymnos canendi; eodem Hymno pluribus Feſtis utendi; ſuffragia, quæ alias poſt Orationem Dominicam recitantur, omittendi; nullam poſt Officium B. Virginis, aut Sanctorum commemorationem faciendi; Supplicationum, ſive Proceſſionum inſtitutum penitus fere abolendi; Symbolum Apoſtolorum ad Primam, & completorium non recitandi; Alleluja uſque ad Dominicam Quinquageſimæ canendi; Invitatorium, Hymnum, & *Gloria Patri* tribus poſtremis majoris hebdomadæ diebus cantandi. S. Bernardus, licet mores hi communi Eccleſiæ ritui adverſarentur, exiſtimabat tamen illos deſerere neceſſe non eſſe, quod rationi magis conſonos, & Regulæ magis conformes judicaret. Nulla re magis ſciri poſſe videtur, quale fuerit Ciſtercienſe Breviarium s. Bernardi ævo, quam ex Officio ab eo pro s. Victore exarato Abbatis Montiradenſis precibus, ubi ejus reliquiæ ſervabantur. Erat autem hoc pacto diſtributum. Ad primas Veſperas, tres Antiphonæ in precum formam ad Sanctum hunc directæ; Capitulum, *Dilectus Deo, & hominibus*.... Reſponſorium in precum formam, Hymnus proprius, ubi nulla pedum dimenſio, aut numeri ratio; Antiphona ad *Magnificat* a s. Bernardo exarata; Collecta *Exaudi, Domine, quæſumus tibi ſupplicantium preces, ut quas corporali Beati Confeſſoris tui Victoris feciſti præſentiæ gloriari, concedas ejus benigna interceſſione undique præmuniri; Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Refertur ſcilicet ad ejus Sancti reliquias, quæ ibi colebantur. Ad Matutinum, Invitator. *Confidite; Victor vicis mundum, gaudeamus in victoria, & vincamus*. Hymnus quemadmodum alter ad Veſperas compoſitus; ad primum Nocturnum, ſex Antiphonæ excerptæ e Pſalmis, *Beatus vir, Quare fremuerunt, Domine in virtute tua. Verba mea auribus, Domine Dominus noſter, In Domino confido*; quatuor Lectiones e ſermone s. Bernardi in hunc Sanctum: quatuor Reſponſoria in forma precum. Ad ſecundum Nocturnum ſex Antiphonæ ſuper ſex aliis Pſalmis, ut videtur, compoſitæ, *Domini eſt terra, Domine in virtute tua lætabitur, Domine quis habitabit, Exaudi orationem cum deprecor, Te decet Hymnus, Bonum eſt confiteri*; quatuor aliæ Lectiones ſunt continuatio ſermonis a s. Bernardo habiti; quatuor item Reſponſoria, ad hujus Sancti res geſtas alludentia. Ad Laudes quatuor Antiphonæ, Reſponſorium, Hymnus, Antiphona ad *Benedictus*; ad primam, Tertiam, Sextam, & Nonam Antiphonæ propriæ, atque ab Antiphonis Laudum, & Veſperarum diverſis: Quatuor Antiphonæ ad ſecundas Veſperas, Reſponſorium, Antiphona ad *Magnificat*; unde colligitur, Feſtis ſolemnioribus duplices Veſperas fuiſſe; Pſalmos Veſperarum proprios non fuiſſe, ut ad Matutinum: Sancti Hiſtoriam ad primum, & ſecundum Nocturnum perlectam fuiſſe.

Carthuſiani S. Benedicti Officium recitant, licet ejus Regulam non ſequantur; atque eum ad idem Ciſtercienſium ævum pertineant, dici poteſt Officium ſuum ad Carthuſianorum Officium direxiſſe: exiguum enim inter ea eſt diſcrimen; veluti ter *Pater*, & *Ave* ante Matutinum dicendi, ſemel vero poſt

Digitized by Google

cujusque Nocturni postremam Antiphonam, Absolutionem post *Benedictus* impertiendi, novies cum precibus *Kyrie* dicendi, quibus Ferialibus diebus *Miserere* additur, Preces ad singulas horas recitandi. Ad Lectionum e Prophetis petitarum finem addunt: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me, & salvi eritis.* Ad Vesperas Psalmos pro Festorum ratione immutant. Ad Primam quotidie Symbolum S. Athanasii dicitur; post *Benedicamus* postremæ Collectæ nihil superaddunt.

Post Breviarium Monasticum, Canonicorum Regularium Breviarium collocari potest, quorum antiquissimum est a Chrodogango pro Canonicis suis Metensibus institutum, de quo superius jam egimus. His succedunt Præmonstratenses, qui peculiare Officium habent, sed Romano adeo simile, ut idem esse videatur, quod eorum Instituti initiis anno scilicet 1115. dicebatur. Ante Nocturnos, tres Psalmos recitant cum precibus, & orationibus quibusdam, præparationis loco ad Officium servientes, quod fortasse a nonnullorum pietate profectum esse potest. Ante Lectiones Versiculum, & *Pater* recitent, sed Absolutionem non habent: novem habent Responsoria, & novem Lectiones, atque *Te Deum* post nonum Responsorium, & Versiculum Sacerdotalem ante Laudes. Ad primas Vesperas Festorum solemnium Responsorium extat post Capitulum: Hymnos singulis horis pro temporum, & Festorum ratione immutant; Antiphonam ad B. Virginem solum post completorium recitant. Psalterium est distributum velut in Romano, præterquam quod Psalmum CXVII. *Confitemini* ad Laudes non dicunt post Septuagesimam usque ad Pascha, nec ejus loco Psalm. *Jubilate*, quo Romæ utuntur, sed Psalm. *Dominus regnavit*, quem per id tempus ad Primam recitant.

Religiosi Mendicantes peculiaria Breviaria habent, eum sub eorum Instituti exordia locorum mores, Officiique recitandi rationem amplexi sunt, in quibus tunc degebant. Viennense præterea Concilium, referente Bellarmino Tom. 2. Controv. l. 1. c. 18 locorum, ubi degebant, consuetudinem sequi illis concessit: *Indulsi Monachis, ut Officium divinum recitare possent, juxta formam Officii Episcoporum, cum quibus vivunt.* Clemens V. ea est constitutio de Religiosis Cardinalium, & Episcoporum Commensalibus tantum agens, quam Bellarminus ad quoscumque Monachos trahit.

S. Franciscus Assisiensis unicus est, qui in Regula sua Sodalibus suis mandavit *Officium secundum ordinem Ecclesiæ Romanæ* recitare. Jam superius est a nobis relatum, quomodo ab illis deformatum fuerit, atque Nicolaum III. mutationes ab iis inductas raras habuisse. Eremitæ S. Augustini paulo post Franciscanos imitati sunt.

Dominicanis autem in Parisiensi Conventu proprium Breviarium componere placuit an. 1254. quod manu exaratum in eorum Bibliotheca servatur. Est autem illud commixtio quædam Romani, & Parisiensis, eamdemque Psalterii divisionem sequuntur. Ad Primam post Septuagesimam usque ad Pascha, novem Psalmos recitant, atque ad Laudes Psal. *Confitemini* loco *Jubilate*: Festalibus diebus per annum Psalmum omittunt more Romano: Martyrologium post Laudes legunt, neque post Primam eo utuntur, nisi cum præcedenti die Matutinum recitarint. Ad primas Vesperas Festorum solemnium quinque *Laudate* canunt, scilicet, *Laudate pueri, Laudate Dominum omnes gentes, Lauda anima mea, Laudate Dominum quoniam bonus*, & *Lauda Jerusalem*. Post Pascha usque ad Trinitatem Hymnos mutant ad completorium pro Festorum, & temporum ratione, & *Salve Regina* ad finem, cujusque horæ addunt. Ut Festalibus Officiis penitus fere se exonerarent, quatuor dies per hebdomadam Officiis Votivis destinarunt, scilicet B. Virginis, SS. Sacramenti, S. Dominici, & S. Titularis ipsorum Ecclesiæ, aut Provinciæ.

In Dominicanorum Breviario, quod Ms. in majori Conventu Parisiensi servatur, quodque ad annum 1254. pertinet, Festorum ordo hac ratione est designatus.

In

Ianuario, 1. Circumcisio, sequentibus vero octavæ s. Stephani, s. Joannis, & Innocentium. 6. Epiphania, & commem. s. Pauli Eremitæ. 13. Octava Epiphaniæ, & commemor. s. Hilarii, & s. Remigii. 14. s. Felix, tres lect. s. Maurus, tres lect. s. Antonius, tres lect. s. Priſca, tres lect. 20. s. Fabianus, & s. Sebaſtianus ſimpl. 21. s. Agnes ſimpl. 22. s. Vincentius ſemid. 23. s. Emerentiana, commemor. 25. Converſio s. Pauli ſemid. 27. s. Julianus Martyr, commemorat. 28. *Agnetis ſecundo*, tres lect.

Februario 1. s. Ignatius, commem. 2. Purificatio, dupl. 3. s. Blaſius tres L. 4. s. Agatha, ſimpl. 5. s. Vedaſtus & s. Amandus, commem. s. Scholaſticæ, commem. s. Valentini tres lect. 22. Cathedra s. Petri, ſimpl. 24. s. Matthias, ſemid.

Martio 1. s. Albinus, commemorat..... s. Gregorius, ſimpl. s. Benedictus ſimpl. Annunciatio dupl.

Aprili. 4. s. Ambroſius, ſimpl. ss. Tiburtius & Valerius, commemor. s. Georgii, ſimpl s. Marcus, ſemid. s. Regulus, commem.

Majo. Ss. Philippus, & Jacobus, ſemidupl. Inventio Crucis, ſemiduplex cum commemorat. s. Alexandri & Sociorum. 4. Feſtum Coronationis Spinarum Domini. 6. s. Joannes P. L. ſemidupl. s. Gordianus, tres lect. 15. ss. Nereus & Achilleus tres lect. s. Potentiana, commemorat. 24. Translatio s. Dominici, dupl. s. Urbanus tres lect. 31. s. Petronilla, commemorat.

Junio. 2. ss. Marcel. & Petr. tres lect. 9. commemorat. s. Medardi. 11. ss. Prima & Felicitas, commemor. s. Barnabæ, ſemid. s. Baſilides tres lect. ss. Vitus & Modeſtus, commemorat. ss. Marci & Marcelli tres lect. s. Gervaſius, ſimpl. 24. Nativitas s. Joannis, dupl. 26. ss. Joan. & Paulus, ſimpl. 28. commemorat. s. Leonis Papæ. 29. ss. Petrus & Paulus, dupl. 30. commemor. s. Pauli, ſemid.

Julio 1. Octava s. Joannis, ſimpl. 2. ss. Proceſſ. & Mart. commem. 6. octava Apoſtolorum ſimpl. ſeptem Fratres, tres lect. s. Margarita, ſimpl. s Praxedes, tres lect. 22. s. Maria Magdalena, ſemid. s. Apollinaris tres lect. 24. s. Chriſtina, commem. 25. s. Jacobus, ſemid. 28. ss. Nazarius & Celſus, tres lect. ss. Abdo & Sen. tres lect. 31. s. Germanus, tres lect.

Auguſto. s. *Petri ad Vincula*, ſimpl. & commem. Macchabæorum. 3. Stephanus Papa, tres lect. 5. s. Dominicus, dupl. 6. ss Sixtus & Feliciſſimus, commem. 7. s. Donatus, commemorat. 8. s. Cyriacus commemorat. 10. s. Laurentius, ſemid. 11. s. Tiburtius commem. 12. Octava s. Dominici. 13. s. Hippolythus, ſimpl. 14. s. Euſebius, commemorat. 15. Aſſumptio. 17. Octava s. Laurentii, ſimpl. 18. s. Agapitus commemorat. s. Bernardi, ſimpl. 22. Octava Aſſumptionis, ſimpl. 24. s. Bartholomæus, ſemid. 28. s. Auguſtinus, dupl. 29. Decollatio s. Joan. ſimpl. commemorat. s. Juliani. 30 ss. Felix & Abdon. commemor.

Septembri. 1. s. Ægidius, commem. 4. Octava s. Auguſtini, ſimpl. s. Marcel. commem. 8. Nativitas B. Virginis, dupl. 9 s. Gorgonius, commemorat. 12. s. Proth. commemorat. 14 Exaltatio s. Crucis, ſemid. cum commem. ss. Cornelii & Cypriani. 15. Octava Nativitatis, ſimpl. 16. s. Euphemia tres lect. 17. s. Lambertus, commemorat. 21. s. Matthæus ſemid. 22. s. Mauricius, ſimpl. 29 s. Michael, dupl. 30. s. Hieronymus, ſimpl.

Octobri 1. s. Remigius, tres lect. 2. s. Legerius, commemorat. 4. s. Franciſcus, ſimpl. 7. s. Marcus, tres lect. s. Theodorus, s. Dionyſius, s. Sergius, & Bacchus, commemorat. 14. s. Calixtus, commemorat. 18. s. Lucas, ſemid. 21. *Undecim millia Virginum*, commemorat. 25 s. Criſpinus, commem. 28. s. Simeon & s. Judas, ſemid. 30. s. Quintinus commem.

Novembri. Omnium Sanctorum Feſtum, dupl. 2. commemoratio Defunctorum. 4 quatuor Coronati, tres lect. s. Theodorus tres lect. 11. s. Martinus ſemid. 13. s. Britius, commem. octava s. Martini ſimpl. 19. s. Eliſabetha, commemor. 22 s. Cæcilia, ſimpl. 23. s. Clemens, ſimpl 24 s. Chryſogonus, commemorat.

memor. 25. s. Catherina, ſemid. 27. 28. Vitalis & Agricola, commem. 29. s. Saturninus. 30 s. Andreas, ſemid.

Decembri 5. Nicolaus, ſemid. 7. octava s. Andreæ. 11. s. Damaſus, commemor. 13. s. Lucia, ſimpl. 21. s. Thomas, ſemid. 25. Natale Domini, s. Stephanus, s. Joannes, dupl. 28. Innocentes, ſimpl. 29. s. Thomas, ſimpl. 31. s. Sylveſter ſimpl.

Ex his conſtat, Apoſtolos & Evangeliſtas ſemiduplices tantum eſſe; Eccleſiæ Latinæ Doctores, excepto S. Auguſtino, ſimplices eſſe; nihil ibi de Orientali Eccleſia; unicam dumtaxat Petri Cathedram; Ordinum Inſtitutores ſimplices quoque eſſe; Transfigurationem & Viſitationem omnino deeſſe; Omnium Sanctorum Feſtum Octava carere; Octavas ſimplices tantum eſſe.

Ante ſingulas Officii Horas dicitur: *Converte nos Deus ſalutaris . . . Domine labia mea aperies . . . . & Deus in adjutorium.*

Cruciferi diu Dominicanorum Breviario uſi ſunt; at poſtea ſibi peculiare inſtituerunt, quod Romæ ratum haberi curarunt.

Carmelitani Breviarium ſuum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ipſiſſimum eſſe adfirmant, fuit enim Hieroſolymis Ordo iſte a S. Alberto inſtitutus; poſtquam vero in Occidentem migrarunt, veterem Breviarii rationem ab ipſis ſervatam fuiſſe. Quod ſi hæc ita ſe habeant, dicendum eſſet, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Breviarium poſt urbem a Gotfrido Bullionio captam fuiſſe ipſummet Pariſienſe, quod Anſelmus Pariſienſis, & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus ibi inſtituit, utpote Dignitate Cantor Cleri Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Auctor eſt enim Guillelmus Tyrius lib. 4. c. 9. Gotfridum primum Hieroſolymorum Regem an. 1099. Clerum ibi, atque Cæremonias, & Divinum officium juxta præcipuas Galliæ Eccleſias inſtituiſſe; cum vero Anſelmum Præcentorem Cleri illius deſignaverit, vero ſimillimum eſt, Pariſienſe officium ibi ſervari eum curaviſſe. Hinc Carmelitarum Ritus vel Dominicano plane ſimilis eſt, vel potius putus Romanus, qualis erat duodecimo ſæculo, aut demum Romani & pariſienſis commixtio; paucis enim dumtaxat locis ab utroque diſcedit. Dominicis per anni curſum ad Primam recitant pſal. 117. *Confitemini*: per Adventum vero, præcedunt hunc quinque alii pſalmi: a Septuageſima uſque ad Paſcha ad Laudes eoſdem Pſalmos recitant, quos Dominicani; ſed Paſchatis tempore tres Lectiones Paſchatis tantum & Pentecoſtes hebdomadis, ut Romæ, habent. Ad finem cujuſque Horæ, *Salve Regina*, recitant, Paſchatis vero tempore addunt *Regina*. Paſchatis die Veſperas incipiunt per *Kyrie eleyſon*, quod novies, velut & ad Miſſam canunt; quod Romæ quoque olim ſervabatur, atque a Præmonſtratenſibus, & Dominicanis.

CAP. XV.

De eſſentiali Divini officii uniformitate, quæ vel in tanta Breviariorum diverſitate ſpectabilis eſt.

VEtus eſt querela, in Eccleſia, quæ unicam fidem profitetur, tot officii retitandi rationes non eſſe ferendas. Hinc optimus quiſque omni ævo, ut hac de re inter omnes conveniret, exoptavit, ne, quemadmodum veteres Monachi ajebant auctore Caſſiano, Rituum diverſitas Schiſmatis & diviſionis occaſio eſſet: *Verentes ne diſſonantia vel varietas inter viros ejuſdem culturæ, quandoque impoſterum errovis vel æmulationis, ſeu Schiſmatis noxium germen emitterent.* Hoc idem optabat S. Paulus Rom. 15. 6. ut hi, qui eandem fidem habent, eodem ore atque corde Deum venerarentur, *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Quot Concilia a nobis jam relata id ipſum non optarunt, Agathenſe, Epaonenſe, Gerundenſe, Turonenſe, Bracharenſe, Toletanum 3. Gelaſius Papa ep. 2. c. 27. Decretum edidit, in hæc verba: *Ad celebranda divina officia ordinem quem Metropoliſiana tenet, Provinciales*

Digitized by Google

riales obſervare debebunt. Hujus rei gratia Carolus Magnus Ritus atque mores ſingularium Eccleſiarum aboleri juſſit, atque Ordinem Romanum per univerſas Imperii ſui Provincias ſervari curavit, ut, quemadmodum unica eſt fides, inquit, ita unica ſit officii peragendi ratio. Verum ad hanc uſque diem tot Solitariorum, tot Epiſcoporum, tot Pontificum, tot Conciliorum, & Regum vota irrita fuere; ſingulis enim peculiares ritus habere gratum eſt, pereommodumque accidit, ſi in Diœceſi quadam, aut Religioſo Ordine Breviarium, & Ritus peculiares habeantur juxta eorum, qui præſunt, conſilium & pietatem compoſiti.

At mea hæc eſt ſententia, neminem diverſitate hac Breviariorum offendi oportere. 1. Quod Eccleſia unitatem ſuam in iiſdem precibus, iiſdemque moribus ſitam eſſe numquam exiſtimaverit, ſed in eodem ſpiritu, atque fide. Precum vero, & Officiorum varietas velut aperta ſignificatio ubertatis, & varietatis donorum Spiritus Sancti habita eſt. Varii flores hi ſunt, Eccleſiæ aream decorantes; varia hæc Sponſæ ornamenta, quibus ſe, ut Sponſo placeat, exornat. Quare, teſte S. Auguſtino, cum quidpiam vel Sacris Litteris, aut Canonibus, vel Eccleſiæ univerſæ Legibus non adverſatur, ferendi ſunt mores jam receepti, ſi fidei non obſint: quæ a S. Leone, atque a Papa Nicolao totidem verbis repetuntur apud Gratianum diſt. 11. & 12.

Secundo. Quia primis Eccleſiæ temporibus neceſſum erat, ut Epiſcopus quiſque pro jure, quod ad Eccleſiæ ſuæ regimen quædam poteſtatis plenitudo eidem confert, ipſemet rationem, quę optima ad Deo laudes canendas videretur, conſtitueret. Hoc pacto Nepos Ægypti Epiſcopus, S. Hilarius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, S. Ambroſius, torque alii Epiſcopi peculiaria officia Eccleſiis ſuis præſcripſere. Cum vero inſecutis temporibus Monachi orationis ſtudio ſe devoviſſent, Epiſcopi orandi rationem iis tradidere. Ita S. Baſilius in ſua Regula, S. Cæſarius, S. Ferreolus, aliique Epiſcopi Breviaria pro Monachis inſtituere; quibus Regulas conſcripſerant. Ordinum quoque Inſtitutores Epiſcoporum quidem injuſſu, at iis certe conniventibus, Breviaria adinvenere, quod a S. Benedicto præſtitum eſt, qui licet Romæ eſſet, nec Papam, nec Epiſcopum ad officium ſuum componendum conſuluit, eamdemque poteſtatem Monaſteriorum Præpoſitis permiſit. Quemadmodum autem S. Gregorius Regulam iſtam collaudans, ei calculum ſuum addere viſus eſt, cum de S. Benedicto ageret, totque Concilia paſſa ſunt Ordinem iſtum moribus iis uti, quos a S. Benedicto ſe accepiſſe exiſtimat; faeile adfirmare poſſumus, Monachos iſtos, qui majori quam Clerici otio abundabant, longioribus officiis excellere voluiſſe; relictumque eſt Præpoſitorum arbitrio, quod ipſorum zelo, atque pietati magis luberet eligere. Atque hæc eſt origo Breviarii Monaſtici a Clericorum Breviario diverſi.

Tertio, Epiſcopi, atque Pontifices ipſi ab aliis Eccleſiis mutuabant, atque officiis ſuis inferebant, quæ magis e re eſſe videbantur. Hinc Concilium Vaſionenſe anno 520. habitum mandat, ut ad Romæ, Italiæ, & Orientis imitationem *Kyrie* Horis officii inſeratur, & S. Gregorius Auguſtino Anglorum Apoſtolo permiſit, ut per Galliam iter faciens, ea omnia ab Eccleſiis illis acciperet, quæ Divinum officium illuſtrare poſſent: *Mihi placet, ut ſive in Romana, ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſolicite eligas in Anglorum Eccleſiam . . . . . Præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere poteris. Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca amanda ſunt.* Quippe Auguſtinus Gregorium conſulens de ipſa hac re, de qua agimus, quærebat a Pontifice, cur Eccleſiæ eamdem fidem profitentes, varias officii recitandi rationes haberent, alioque ritu Miſſa in Gallicana Eccleſia, alio in Romana celebretur? Reſpondet Pontifex, Auguſtino licet morum Romanorum optime gnaro fas deinceps futurum, quidquid in aliis Eccleſiis invenerit, quod

Deo

Digitized by Google

Deo acceptius esse videatur, seligere, atque in usus Anglicanæ Ecclesiæ convertere. Leo Papa IX. Michaeli Constantinopolitano Imperatori scribens, ait, se Græcos omnes Romæ, atque in Italia degentes, ritibus suis uti siviſſe, quod morum diversitas in rebus ad meram disciplinam spectantibus, neque fidei, neque charitati adversetur.

Ergo adfirmate non dubitamus, omnem hanc, quæ inter Breviatia singularum Ecclesiarum, atque Congregationum intercedit, varietatem, argumentum esse potius intimæ cujusdam quoad officii essentialia uniformitatis, cum officia omnia in hoc sane consentiant, quod ex Psalmis, Lectionibus e Scriptura petitis, atque oratione Dominica composita sint. Quod autem hi psalmi non uno pacto apud omnes distributi sint, quod eodem tempore Scripturæ loca non ubique perlegantur, discrimen hoc tam parvi faciendum est, ut vix in eo immorari opere pretium existimemus, nisi ut animadvertamus, Ecclesias omnes, atque singulas eodem Dei spiritu regi. Hæc autem accusatio illi quam simillima est, si quis scilicet conquereretur, Templa omnia non eadem ratione, atque juxta easdem Architectonices regulas esse constructa; togaret præterea, cur in Templis quibusdam Altare in extrema Chori parte, alibi vero in ejus aditu situm sit, atque cur non eadem ubique ratione exornari soleat. Quare cum singulorum Breviariorum propositum sit, Psalterium per hebdomadam recitare, Scripturam per anni curriculum perlegere, atque solemnes, Festosque majori momenti dies, atque ad Religionis vim atque naturam singulari quodam pacto spectantes celebrare, nihil injustius videri potest, quam conqueri ea esse diversimode distributa. Hinc unitas illa tam exoprata atque commendata ea parte, quæ officii naturam constituit, servata est.

Videri possunt de rituum diversitate Epistolæ S. Augustini ad Casulanum, & Petri Cluniacensis ad S. Bernardum, ubi traditum est, salva eadem fide atque charitate tot fere esse varias consuetudines quot locâ; quod ex cantu atque Lectionibus, aliisque hujus generis probat, quæ varie pro locorum, temporum, populorum, atque regionum varietate a Prælatis constituta sunt, qui in rebus hisce *singuli in suo sensu abundare possunt*, juxta Apostolum; atque bonum sine charitatis jactura non uno pacto operari. Ita primis Ecclesiæ sæculis de Paschali tempore controversia, nostris vero de Sacrificio Græcos inter & Latinos dissensio, charitatem lædere, vel unitatem solvere non valuerunt.

Verum ut ad Romanum Breviarium redeamus, nostra hæc est de illo sententia, id merito jure ceteris omnibus fore præferendum, si in eam formam revocari posset, quæ Gregorii VII. ævo vigebat undecimo Ecclesiæ sæculo. Quod sane quam facillime præstari potest, si Lectiones quædam emendentur, nimiusque Pestorum Sacrorum numerus imminuatur, præcipue Monachorum, quæ ad Sodalitia remitti possent, vel saltem si eorum commemoratio tantum in Feriali Officio præscribatur, aut inter simplicia Festa censeantur, quo loco censentur veteres quoque Pontifices, qui universæ Ecclesiæ præfuerunt, atque martyrium passi sunt.

CAPUT XVI.

De iis, qui juxta veteres Canones Breviaris lege tenentur.

Veteres Patres Laicos homines hortari solebant, ut publicis Officiis interessent. Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 34. jubet, ut Fideles orent iis ipsis horis, quibus Clerus orare solet. Rufinus Monachorum meminit, qui diei noctisque horas recitabant, eodem tempore quo in Monasteriis decantabantur; erat autem hæc Cleri, atque Fidelium majoris pietatis fervore excellentium imitatio; testis enim est Clemens Alexandrinus lib. 7. Instit. piissimum quemque id præstare consueviſſe. S. Basilius Regul. cap. 107. mandat Monachis suis, ut horas Canonicas

Digitized by Google

nicas ſingillatim recitent, cum Choro adeſſe cum ceteris non valebunt. *Si corporaliter adeſſe cum ceteris non occurrat ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis eſt, explicat.* Palladius de Epiſcopis agit, qui Officium in Eccleſia ſua recitare non valentes, domi id recitabant. *Reverſi Epiſcopi vigilias intra ſua diverſoria celebrarunt.* S. Ambroſius lib. 3. de virg. Virginibus Deo Sacris commendabat morem, Horas Canonicas recitandi. Idem præſcribit S. Auguſtinus in Regula pro Religioſis mulieribus conſcripta; S. Hieronymus vero id Bethleemi in Monaſterio S. Paulæ ſervatum teſtatur. Gregorius Turonenſis l. 9. c. 6. ait, ſe, cum publico Officio adeſſe non licuiſſet, id ſingillatim recitaſſe. Meminit quoque in lib. de Glor. Mart. c. 31. Presbyteri cujuſdam, qui iter agens noctu Officium recitabat pro omnium Presbyterorum more. *Quidam Presbyter ſolitarius iter carpens, ad hoſpitiolum cujuſdam pauperis manſionem expetiit, qua accepta juxta morem Sacerdotum nocte conſurgens, Orationi adſtitit:* Notanda ſunt verba illa *juxta morem Sacerdotum*. Idem in Vita Patr. c. 5. Abbatem quemdam, cum ad calicem vini exhauriendum ſollicitaretur, id deprecatum fuiſſe: *Quod necdum Domino Pſalmorum decantationem debitam exolviſſet*: S. Gallum Epiſcopum, poſtquam ſolus matutinum Officium recitaſſet, expiraviſſe: *Conſummavit totum Officium temporis matutini, quo jam Officio perfunctus ſpiritum emiſit*, ibid. c. 6. S. Germanus Pariſienſis, dum iter agebat, Officium aperto capite recitabat. Concilium Gerundenſe de Officio loquitur, quod Presbyteri, & Clerici quotidie recitabant; Concilium vero Toletanum IV. can. 10. teſtatur, eos, qui publice id recitare non potuerant, ſingillatim abſolviſſe. *Quiſquis Sacerdotum vel Clericorum . . . . quotidie aut in publico, aut in privato Officio præterierit.* Octavum præterea Toletanum: *Qui quotidianos verſaneur in uſus.* Ferrandus Diaconus refert, S. Fulgentium Officium ſuum ſingillatim recitaſſe, cum Choro intereſſe non poterat. *Privatus apud ſe vigilias exercebat, Clericos quoſ sidianis vigiliis matutinis, & veſpertinis orationibus adeſſe præcipiens omnes.* S. Benedictus cap. 50. ſtatuit, Monachos ſuos, dum opus vel iter faciunt, ſingillatim Officium recitare debere ſtatis horis, atque flexis genibus. Regula S. Ferreoli mandat, ut Pſalterium memoriæ mandetur, atque rari etiam recitetur. Magiſtri Regula neque iter, neque opus facientes ab hac lege ſolvit, S. Cæſarius Arelatenſis ſingulis noctibus Nocturnos cum Diacono ſuo ſtata hora recitabat, juſſitque Tertiam, Sextam, & Nonam decantari, ut Laici adeſſe poſſent. S. Sabas Monachis ſuis præcipit, ut a Breviarii lege ſolutos ſe non arbitrentur, cum iter faciunt, atque cum in Cæſaris aula eſſet, clam ſe ex Palatio hora Tertia proripuit, ut in ſolitario loco Officium recitare poſſet. Beda l. 3. c. 5. Anglicani cujuſdam Epiſcopi meminit, qui cum quadam die ad menſam cum Rege diſcubuiſſet, repente conſurrexit, relictoque triclinio ad Officium ſuum recitandum abiit. S. Pacomius c. 142. Monachis ſuis præſcribit, ut, cum eos a Monaſteriis abeſſe contigerit, quocumque loco ſint, Horas Canonicas recitare meminerint.

Imperator Juſtinianus omnes Clericos Eccleſiæ cuipiam adſcriptos die noctuque officia celebrare juſſit, quibus Laici ſæpe adeſſe ſolebant, licet minime ea lege tenerentur, pœnaſque ſeveras in Clericos ſtatuit, qui officiis adeſſe neglexerint; atque vigilem in ſingulis Eccleſiis ſtatuit, qui abſentes notaret, ut penſione ob officium diſtribui ſolita privarentur. Petrus Damianus lib. 1. adverſus eos ſcripſit, qui cum Canonico officio adeſſe non poſſent, ſingillatim illud recitabant, at non eo tempore, quo ſingulæ Horæ ſunt recitandæ. Ivo Carnutenſis ep. 15. conqueritur de negotiorum mole, quæ eum quotidie Horas ſtatis temporibus recitare non patiebantur: *vero Canonicum penſum determinatis horis ſolvere prævalemus.* Guillelmus Malmesburienſis lib. 1. de Beda agens ait, eum officium ſuum numquam intermittere conſueviſſe, vel in ipſo poſtremo vitæ morbo, Sanctumque

Valſtanum, etiam dum iter faceret, illud recitaſſe.

In Concilio Lugdunenſi II. an. 1274. habito, quo Henricus Epiſcopus Leodienſis exauctoratus eſt, accuſabatur ille, quod Horas Canonicas omittere ſoleret. *Horas Canonicas prætermittens.* In Concilio Conſtantienſi haud diſſimilis accuſatio in Joannem XXIII. intentata eſt: *Miſſæ & Veſperis Papalibus intereſſe non curavit, Horas Canonicas dicere ſprevit.* Concilium Pariſienſe an. 1212. vetat, Epiſcopos in lecto jacentes officium perſolvere, jubetque, ut in choro cum clero illud recitent. Concilium vero Lateranenſe an. 1215. can. 17. eorum morem redarguit, qui Horas omnes mane celeriter unoque ſpiritu abſolvunt, *mandatque, ut ſtudioſe & devote divinum celebrent officium.* Innocentius III. Epiſcopum quemdam condemnavit, qui officium non recitabat, nec coram ſe recitari curabat. *Nec, uti tenetur, per ipſum Canonicas Horas Deo reddit, nec coram eo ipſas facit per Miniſtros Eccleſiæ decantari.* Ep. 78.

Lex officii recitandi Sacris ordinibus initiatis impoſita eſt in concilio Colonienſi ann. 1280. *Nullus Horas Canonicas ulla unquam die diſſimile, & diſcrete dicere prætermittat, maxime qui eſt in Sacris ordinibus, vel Beneficiis conſtitutus*, quod in Lateranenſi præſtitum non fuerat. Quare primus hic fortaſſe Canon eſt hac de re editus. Idem quoque videre eſt in Concilio Nemauſenſi anni 1284. quod Clericum in Sacris ordinibus conſtitutum, licet excommunicatus ſit, ea lege teneri mandat: *Debent extra Eccleſiam dicere Officium ſub ſilentium Clerici excommunicati, ſi ſint in Sacris Ordinibus conſtituti.* Concilium Marcianenſe in Provincia Auſcienſi anni 1326. Clericos Sacris Ordinibus initiatos, atque Religioſos ea lege teneri vult can. 2. *Clerici in Sacris ordinibus conſtituti, & Religioſi Clerici ad omnes ſeptem Horas Canonicas omni die dicendas ex debito obligari.* Concilium Vertoſenſe anni 1429. can 4. idem præcipit, quemadmodum & Baſileenſe an. 1435. can. 5. *Beneficiatos, ſeu in Sacris conſtitutos ad Horas Canonicas teneri, & debere ſive ſoli, ſive aſſociati diurnum, noſturnumque officium reverenter verbiſque diſtinctis peragere.* Concilium Lateranenſe anni 1515. Beneficiatos ad fructus reſtituendos cogit, ſi officium non recitent. Senonenſe vero Concilium an. 1528 officium in choro clam recitari vetat, dum ceteri illud decantant; atque huic accinit Concilium Colonienſe an. 1536. Mediolanenſe primum an. 1565. eos, qui Sacris ordinibus initiati ſunt, ſi officium perſolvere negligant, gravis culpæ reos coram Deo eſſe, atque ab Epiſcopo puniendos pronunciat. Mediolanenſe IV. an. 1576. aperte definit, neque febri laborantes a Breviarii recitandi lege ſolutos eſſe, aut a fructuum reſtituendorum onere. Aquilejenſe etiam an. 1596. can. 7. ait clericos in ordinibus Sacris conſtitutos, *Omittendo Horas Canonicas mortaliter peccare, nec præterea beneficii non adepti excuſari poſſe.* Ad hæc S. Thomas ſuo quoque ſæculo Clericos ſacris ordinibus initiatos Divinum officium recitare debuiſſe teſtatur. Quodlib. 6. q. 5. a. 2. *Clericus in Sacris ordinibus conſtitutus tenetur dicere Horas Canonicas.*

Reges quoque officium recitaſſe accepimus. Alfridus Angliæ Rex nono ſæculo exeunte etiam noctu officium recitabat, atque octo horas precibus impendebat. S. Ludovicus omnibus officii Horis adeſſe ſolebat, vel eas cum Capellano ſuo abſolvebat, atque noctu ad orandum e lecto ſurgebat, idemque S. Eliſabetha ejus ſoror factitabat. Simeon de Monfort comes Tholoſanus quotidie officio intererat. Godefridus Bullionius quotidie Horas coram ſe per Religioſos viros recitari curabat. Comes Eleazarus quotidie Romanum Breviarium recitabat.

In Capitularibus Hincmari Remenſis an. 853. legere eſt, officii recitandi lege Horarum Canonicarum tempore Preſbyteros ligatos quidem fuiſſe; at Horas iſtas prævertere licuiſſe, ſingillatim officium recitando. Idem conſtat ex Concilio Nannetenſi, atque ex Regino-ne: *Ut Presbyter mane matutinali officio expleto, penſum ſuæ ſervitutis canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque per-*

perſolvat ; ita tamen ut poſtea horis competentibus juxta poſſibilitatem aut a ſe , aut a ſcholaribus publice compleantur. In Formula confeſſionis auricularis ab Alcuino relata, qui in Sacris Ordinibus conſtituti ſunt , accuſant ſe, quod officia ſtatis Horis non recitarint : *Peccavi quod negligens fui de meo curſu , quem per Horas Canonicas exſolvere debui*. Si quis autem ſcire cupiat rationem , quam S. Thomas reddit legis hujus, Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos ad officium cogentis , ea eſt', quod per Sacrorum ordinum initiationem Deo laudando peculiari quodam pacto devoti ſint: quem admodum eſt apud *Iſaiam* 43. *Omnem qui invocat nomen meum , in laudem meam creavi eum*.

Ex his facile eſt decernere , quam verum ſit , quod quidam novitii Scriptores prodiderunt , legem de Breviario ſingillatim recitando propoſitam fuiſſe , eum leviora pietatis opera , vulgo *devotiones* , appellata , in pretio haberi cœpere. Conſtat enim non modo Eccleſiaſticos , ſed etiam Laicos id factitaſſe, cum officio in Templo adeſſe non poterant. Ex his cognoſcere etiam poterimus, an primum hac de re Decretum in Concilio Baſileenſi emiſſum fuerit , atque deinceps in Concilio Lateranenſi ſub Julio II. & Leone X. inculcatum , Decretaque hæc an de ſolis dumtaxat Beneficiariis conceptis verbis meminerint.

Addi etiam hic poteſt Concilium Carthaginenſe IV. can. 49. quo loco decernitur , clericum , qui officio non adfuerit , penſione privandum eſſe , quod ſane idem eſt, ac ſi acceptam reſtitui mandaſſet . *Clericus qui abſque Corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt , ſtipendiis privetur*. Canones 5. Patricio tributi can. 7. ſtatuunt , inter Clericos non eſſe numerandum : *Qui ad Collectas mane & veſpere non occurrit , alienus habeatur*. Concilium Venetticum an. 465. de eodem hæc habet : *Septem diebus a Communione habeatur extraneus*. Martinus Bracharenſis in ſua canonum collectione inter alios hunc refert , clericum ſcilicet hujus culpæ reum , ſi veniam ab Epiſcopo clam non deprecetur , exauthorandum eſſe ; *Deponatur a Clero*. In Pœnitentiali Egberti hæc leguntur *cap. 5. Si Clericus vel Monachus vigiliis & quotidianis officiis defuerit , perdat Communionem*. Canone 7. *Stipendiis privatus excommunicetur*.

CAP. XVII.

De cantus uſu in Eccleſia.

CAntus omni ævo ad laudandum Deum adhibitus eſt . Legimus in Scriptura , qua ratione Iſraelitæ Canticum gratiarum actionis cecinerint , poſt quam Erythræum transfretaſſent . Maria Moyſis ſoror chorum cum ceteris mulieribus efficiebat , ipſique præeunti ceteræ accinebant ea , quæ illa cecinerat , repetentes : *Sumſit Maria tympanum in manu ſua , egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris , quibus præcinebat dicens , Cantemus Domino , gloriose . . .* Exod. 15 20. quo ex loco intelligitur , eam ad ſonum tympani , quod manu geſtabat , *præcinuiſſe* ; unde profecta eſt *Præcentoris* appellatio illi indita , qui ceteris prior canit in choro ; *Succentor* vero ille erat , qui poſt illum canens eadem repetebat . David Cantores inſtituit , moſque iſte ab Hebræis ſervatus eſt ; atque juxta nonnullorum ſententiam cantui ſaltationem etiam addebant , & ſaltantes canebant. Philo de Therapeutis agens id innuere viſus eſt , cum diceret , varie eos commoveri ſolitos nunc procedendo , nunc ſtando , atque ad ſiniſtram , & dexteram ſe convertendo . Scriptura de cantu Mariæ Moyſis Sororis agens neutiquam dicit eam , cum Hebræorum mulierum choro canentem ſaltaſſe ; ſed eas dumtaxat ad tympanorum ſonitum cantantes ſimul ingreſſas iter fuiſſe ; cantumque iſtum Dei ſpiritu actas atque animatas manuum totiuſque corporis violento quodam motu comitatas fuiſſe. chori nomen ſæpe a Scriptura uſurpatum apud Profanos pro Saltatorum agmine accipitur : a chriſtianis vero ad ſignificandos eos , qui Deo laudes canunt , adhibitus eſt . Iudæos , cum ca-

Digitized by Google

nerent, saltasse simul satis inde colligitur, quod David Rex, & Cantores, qui in ejus comitatu erant, coram Arca ad Musicorum instrumentorum sonum saltarent. Theodoretus ait, in Ægypto Christianos fuisse Meletianos appellatos, qui in conventibus canebant, simul atque saltabant, quod & Armeni Romanæ Communionis factitant, dum eorum Liturgia Romæ peragitur. In Hispania quoque atque in Belgio quibusdam diebus sacris supplicationibus destinatis ad hanc diem saltare solent.

Quidquid cani solebat, Canticum appellabatur, quæ appellatio a canticis Moysis, ejusque sororis Mariæ, Deboræ, Annæ matris Samuelis, Isaiæ, B. Virginis, Zachariæ, & senis Simeonis profecta est.

S. Paulus 1. Cor. 4. agit de psalmorum cantu in cœtibus christianorum: *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet*; atque Ephes. 5. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes*. Erant autem hæc cantica vel inspirata, atque extemporanea, qualis fortasse fuit hymnus a Christo, atque ab Apostolis post cœnam decantatus, *Hymno dicto*, Matth. 26. atque illi, quos S. Paulus, & Silas in carcere Philippis canebant, *orantes laudabant Deum* Act. 16. vel demum cantica arte meditata, qualia erant ea, quæ Plinius ep. 97. refert a Christianis in conventibus decantata: *Carmen Christo quasi Deo dicere*; quæ Paulus Samosatenus aboleri curavit, ut alia in sui laudem canerentur, referente Eusebio lib. 7. cap. 37. *Psalmos in honorem Domini nostri Jesu Christi cani solitos*.

S. Justinus cantus non meminit; verum Tertullianus in Apolog. cap. 39. auctor est post agapen rogatum e cœtu aliquem fuisse, ut canticum caneret a scriptura petitum, vel a se ipso compositum: *Ut quisque de Scripturis Sacris, vel de proprio ingenio posset, provocatur in medium Deo canere*. Philo de Essenis agens ejusdem rei testis est; unicus psalmum modulata voce canebat, alii audiebant, atque silentes recitabant; junctis demum vocibus psalmi finem omnes decantabant: *Cum unus modulate psalmum canere exorsus fuerit, cæteri cum silentio auscultantes extremas dumtaxat hymnorum partes concinunt*. Cassianus l. 2. cap. 4. eamdem nobis exhibet rationem, usu apud Monachos receptam. Unicus psalmum quemdam stans absolvebat, ceteri vero sedentes audiendo, atque meditando intenti erant: *Unus in medium psalmos cantaturus exurgit, sedentibus cunctis*. In frequentioribus dumtaxat cœnobiis certus Monachorum numerus eligebatur, qui alternis choris canerent, dum alii cantum audirent; nec plures, quam quatuor vix canere solerent: *Quantalibet multitudo convenerit, numquam amplius in Synaxi psallunt, quam quatuor fratres*. cap. 21.

Non satis est exploratum, quo potissimum tempore cantus alternis chorus incœperit. Socrates Historicus lib. 6. cap. 8. refert, s. Ignatium Antiochenum, cum per visum angelos Dei laudes alternatim concinentes audivisset, eamdem canendi rationem Antiochiæ instituisse, unde per totam deinceps Ecclesiam propagata est: *In hymnis alterna voce decantatis*. Theodoretus lib. 2. cap. 19. ait, Flavianum, & Diodorum Antiochenos Presbyteros circa an. 350. primos Davidis psalmos alternis choris decantari curasse. Fieri tamen potest, illos morem hunc renovasse dumtaxat, atque restituisse, qui Apostolorum ætate, vivoque S. Ignatio viguerit, ab ipsis vero sæviente Ariana persecutione restitutus denuo fuerit. Flavianus Antiochiæ Episcopus inde fuit, Diodorus vero Tarsi Episcopus: *Hi primi*, ait Theodoretus lib. 2. cap. 24. *psallentium chorus in duas partes diviserunt, & Davidicos hymnos alternis canere docuerunt; quod Antiochiæ fieri cœptum, ad ultimas terrarum fines pervenit*. Reapse intra modicum temporis spatium cantus in duos choros divisus Ecclesiam omnem pervasit: quippe cum S. Basilius eum in Ecclesia sua Cæsareensi in Cappadocia restituisset, Neocæsareensibus rovitatem hanc improperantibus respondet, ep. 63. ad Neocæsar. fecutum se esse exemplum Ecclesiarum Ægypti, Lybiæ, Thebaides, Palæstinæ, Arabiæ, Phœnicis,

Digitized by Google

niciæ, Syriæ, & plurium aliarum, atque in omnibus his Eccleſiis ſolemnioribus diebus populum ante lucem Templum ſubire conſueviſſe, ut *in duas partes diviſi alternis ſuccinentes pſallant.*

Paulo poſt cantus ab Oriente in Occidentem tranſiit. S. Ambroſius omnium primus cantum Mediolani uſurpavit ad levandum populi tœdium, qui noctes totas in Templo degebat, perſecutione Juſtinæ Auguſtæ furente, quæ ab Arianis excitata fuerat. S. Auguſtinus oculis ſuis inſtituti hujus exordia ſpectavit. *Tunc hymni, & pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium inſtitutum eſt, & ex illo . . . . per cetera orbis*, Lib. 4. Confeſſ. cap. 9. Paulinus in vita S. Ambroſii idem teſtatum reliquit: *In hoc tempore primum Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi cœperunt.* Quod ipſe *Antiphonas* appellat, eſt in Antiphonarum modum canere, id eſt, *in duos choros diviſos alternatim pſallere*, ut S. Baſilii verbis utamur. Id ex Concilio Toletano I. colligitur, cum Clericis vetat Virginum domos adire, canendi gratia cum iiſdem alternis choris, niſi Epiſcopus, vel presbyter coram adſit: *Nulla profeſſa, vel vidua, abſque Epiſcopo, vel Presbytero in domo ſua Antiphonas cum Confeſſore, vel ſervo ſuo facias.* Pſalmiſtæ, & Cantores Confeſſores appellantur in hoc Canone, quia laudes Dei canens, Deum confitetur: *Confitemini Domino quoniam bonus eſt pſalmus.* Quæ loquendi ratio in Precibus, quæ die Paraſceves recitantur, adhuc ſuperſtes eſt; ſit enim ibi oratio pro Cantoribus, qui confeſſores appellantur: *Oremus pro Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus.*

Hinc perſpici nullo negotio poteſt poſt cantum in Eccleſia receptum, cantores ad eum dirigendum inſtitui debuiſſe, quemadmodum ex Laodiceno Concilio can. 15. cognoſcimus. In Concilio vero Carthaginenſi IV. Cantores, qui pſalmiſtæ etiam, atque confeſſores dicebantur, quarto loco inter Ordines minores numerantur.

Sancti Patres populos ad voces ſuas Cleri vocibus conjungendas excitabant, ut laudes Deo concinerent; hinc eximia illa Eccleſiaſtici cantus encomia. S. Baſilius in Pſalm. 1. ait, aptum hunc eſſe ad cor noſtrum accendendum, ad nos harmonia iſta ad Deum elevandos, ad mentes exhilarandas, atque ad curarum ſolatium. S. Joannes Chryſoſtomus in Pſalm. 41. ei vim animi pathemata excantandi tribuit; animam a ſenſibus ſeparandi, atque caſtas veritatis delicias ei guſtandas præbendi. S. Auguſtinus lib. 4. confeſſ. cap. 14. ſacros affectus enumerat, piaſque motus, quos in animo excitat. S. Ambroſius Præfat. in pſal. Eccleſiæ cantum maris fluctibus comparat, quorum æſtum exhibet nobis innumera illa populorum multitudo, qui ad Eccleſiam veniunt; undarum vero fragorem voces virorum, mulierum, Virginum, & puerorum; atque per ea tempora Reges, atque Imperatores voces ſuas ſubditorum vocibus in Templo miſcuiſſe ad Davidis exemplum, qui in Templo canebat: *Pſalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur a populis.* Eginhardus de Carolo Magno agens, ait, optime eum in cantu inſtitutum fuiſſe. Idem ex Hiſtoria diſcimus de Principibus aliis, atque Imperatoribus Conſtantinopolitanis.

S. Iſidorus Hiſpalenſis de Offic. l. 1. ait, cantum alternis choris ad ſeraphinorum imitationem inſtitutum eſſe, qui *alter ad alterum canunt.*

Sed cum populi cum Clero canentes ſæpe vocum inæqualitate, atque cantus ignoratione confuſionem parerent, cantores inſtituti ſunt ad cantum dirigendum, qui populo interdictus fuit in concilio Laodiceno can. 15. *Non oportere amplius eos, qui regulariter Cantores exiſtunt, & qui de Codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere.* Decretum hoc peculiare erat aliquot dumtaxat Orientis Eccleſiarum. Videmus igitur hoc loco cantores, quorum munus eſt in Eccleſia canere, *qui regulariter cantores exiſtunt*; eos *in pulpitum conſcendere* ſolitos fuiſſe, ſive in eminentiorem aliquem locum, ut canentes melius exaudirentur; Libros pro cantu conſcriptos, eoſque in ſuggeſtu aliquo collocatos fuiſſe: *De codice canunt.*

Spe-

Digitized by Google

Spectare quoque oſt populos in Africa canentes. S. Auguſtinus ad S. Ambroſii exemplum cantum in ſuam Eccleſiam invexit, ut Cœleſtes veritates harmoniæ hujus ope gratiores evaderent, quemadmodum ipſe teſtatur lib. 10. Confeſſ. cap. 13. Fatetur quidem, populum ſuum non ſine labore cantui affuevisſe, atque Donatiſtas ei perpetuo objeciſſe: *Ita ut Donatiſtæ nos reprehendant, quod ſobrie pſallimus in Eccleſia Divina cantica Prophetarum*. Exprobrationibus iſtis ſimplicitatem cantus apud catholicos vigentis notare volebant: contra, hæreticorum cantus adeo violentus erat, ut tubarum clangorem imitaretur: *Quaſi tubas inflammantes*, ait S. Auguſtinus; Alexandriæ enim, eodem Auguſtino teſte, *Tam modico flexu vocis ſaoiebat ſonare lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti*. Lib. 10. confeſſ. cap. 33. Huic ſimillimum eſt, quod refert Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. Oſſic. cap. 5. primis temporibus cantum pronuntiationem potius quamdam fuiſſe, quam harmoniam; nihilque erat niſi quædam vocis inflexio, fere ut hodie in collectis, Præfationibus, atque Pſalmis fieri ſolet, quorum ſonus pronuntiationi magis, quam cantui accedit: *Primitiva Eccleſia ita pſallebat, ut modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare, ita ut pronuntianti vicinior eſſet, quam canenti*; utitur enim ipſis S. Auguſtini verbis. Concilium Trullanum magnos vocis clamores proſcribit, atque immoderatas vociferationes, quæ jam tum frequentari in canendo ſolebant.

Verum non penitus populis ſublata fuit etiam in Oriente canendi libertas, cum S. Baſilius, S. Joannes chryſoſtomus, S. Hieronymus Feſtorum ſolemnium Vigilias ex populorum cantu, atque frequentia deſcribant: ſed cantores tantum inſtituti fuere ad cantum dirigendum, atque ut populis, quæ canenda erant, præirent. Nonnumquam Presbyteris, & Diaconis munus hoc demandatum fuit, licet ſub exordia inferiores tantum clerici huic rei deſtinati fuiſſent. S. Gregorius Decretum hoc renovavit, vetuitque, Presbyteros, & Diaconos impoſterum cantorum muneri vacare, qui ſoli Antiphonas, & Reſponſoria canebant, ceteris omnibus horum cantum audientibus. S. Gregorius cantui in abſolutam formam redigendo plurimum ſtuduit, teſte Joanne Diacono in ejus Vita. Hadrianus I. huic quoque rei animum adjecit, atque numeroſiorem effecit. Stephanus vero Papa III. cantores Romanos in Galliam miſit, qui cantum Gregorianum, ſive Romanum in noſtras Eccleſias invexerunt ad Pipini Regis preces, ut ex caroli Magni capitularibus conſtat: *Ut cantum Romanum peragant, ſecundum quod . . . . genitor Pipinus Rex decrevit, ut fieret*, lib. 8. cap. 80. anno autem 705. Princeps hic legem tulit: *Ut cantus diſcatur, & ſecundum ordinem, & morem Eccleſiæ Romanæ fiat*. Refert quoque Duchelnius Hiſt. Franc. tom. 1. Scriptoris cujuſdam teſtimonium, dicentis, Carolum Magnum ab Hadriano Papa Cantores Romanos obtinuiſſe, qui duo Antiphonaria ſecum attulerant, S. Gregorii manu conſcripta, quorum unum Metis, alterum Sveſſione repoſitum fuit. At ſenſim Muſices moduli in cantum irrepſere; vocumque imminutiones inventæ fuere, ut cantus Muſicæ aptior fieret, atque in Occidente potiſſima officii pars habitus fuit. Tandem eo res rediit, ut profani penitus moduli, & ſæculo digniores immixti fuerint; qua de re S. Gregorii ævo Romæ Concilia habita fuere, inde Aquiſgrani, atque longe plura inſecutis ætatibus, ut pravum illum morem Legibus moderarentur. Statutum igitur fuit, nominatim a Chrodogango in ſua Regula, ut cum pſalmi canerentur, minor eſſet vocis intenſio, quam in ceteris officii partibus: *Pſalmi in Eccleſia non curſim, aut in excelſis, atque inordinatis, ſeu intemperatis vocibus, ſed plane, & lucide cum compunctione cordis recitentur*. Cap. 50. 51. Ratio præterea habita fuit qualitatis officii, atque Cantorum numeri, cum de ſolemnitate cantus agebatur: *Providendum quando temperate, quando ſublimiſſe divinum agatur officium, ut ſecundum numerum Clericorum, & officii qualitatem, & temporis prolixitatem* ita can-

tantum prosendant, & voces moderentur cæterorum, cap. 50. 51. Auctor quæstionum, quæ S. Justino tribui solent, S. Hieronymus, S. Isidorus Pelusiota, Rabanus, S. Bernardus, & plures alii conquesti sunt mollioribus, atque effœminatis cantibus in Divinum Officium invectis, quæ res Theatro dignior est, quam Domo Dei, ait sanctus Hieronymus.

Undecimo sæculo cum Guido Aretinus, Monachus S. Benedicti musicam Regulam sive elementa invenisset, cantus eo pervenit, quo loco deinceps spectatus est. Musices, atque plurium musicorum instrumentorum illi accessio facta est, quasi ad Davidis imitationem, qui plurium instrumentorum meminit, quibus ad Deum laudandum excitat: *In tympano . . . . . in chordis, & organo* Psalm. 144. Apocalypsis instrumentorum concentus describit, quibus Angeli, atque Sancti ad Deum glorificandum utuntur. Auctor quæstionum, quæ Justini nomine circumferuntur, vocis cantum probat, sed instrumenta musica non probat. S. Joannes Chrisostomus in Psalm. 149. ait, Deum instrumentorum musicorum usum in religioso Synagogæ cultu permisisse, eodem fere pacto, quo sacrificia tolerabat, ut populi sui infirmitati obsequeretur. Ceterum eorum usum in Ecclesia non improbat, si ad excitandos pietatis sensus in fidelium animis adhibeantur. S. Clemens Alexandrinus in Psalm. 150. eodem consilio horum usui non repugnat. Aelredus Abbas Rievalensis, duodecimi sæculi Scriptor, plurimum conqueritur de instrumentis hisce in cantum, atque in musicam Ecclesiæ invectis; postquam, inquit ipse lib. 7. 1. sæcul. c 23. a Synagogæ umbris, atque figuris repurgata est. *Ad quid terribilis ille follium flatus tonitrui pœne fragorem quam vocis exprimens suavitatem; ad quid illa vocis contractio, & infractio! Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alius mediat quasdam notas dividit, & incidit: nunc vox stringitur, nunc franguntur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur; aliquando viridi vigore depositæ, in femineæ vocis gracilitatem acuitur.* Id autem a Cantoribus præcipue servandum est, ut corde, æque ac voce canant, atque morum harmonia musicæ respondeat. Joannes XXII. omnem alium musicæ usum interdixit præter simplicem Ecclesiæ cantum: *Sic autem, ut simplicis cantus Ecclesiastici integritas illibata permaneat.* Excom. lib. 3. tit. 1. Illa enim Musica, quæ cantus simplicitatem non habet, Musica est expolitior, quæ nullum pietatis sensum in Fidelibus excitare potest, cum voces, quæ canuntur, non percipiant. Cæremoniale Episcoporum omnem figuratam, quam vocant, Musicam pœnitentiæ diebus, atque in Defunctorum Officiis proscribit.

Quod Organa attinet, falsus est Navarrus, scribens, ante S. Thomæ tempora nullum fuisse Organorum in Ecclesia usum. Sunt qui inventa putent Juliani Apostatæ ætate, adhibita vero in Ecclesia sub Vitaliano Papa anno 660. At ea longe prius cum aliis Musices instrumentis erant in Parisiensi Ecclesia, quod ex S. Germani Vita a Fortunato conscripta colligimus.

Exiguis attemperat Organa cannis,
Inde ruffat ab ore tubam.
Cymbalica voces . . . . fistula dulce sonat.

Monachus S. Galli apud Ducheſne tom. 2. Organi descriptionem persequitur, quod Constantinopoli ad Carolum M. missum fuit. Aimoinus meminit Organi, quod Michael Constantinopolitanus Imperator ad Pipinum Regem miserat. Quidquid autem nonnulli jactitent, infirmiorum Christianorum instrumentum id appellantes, qui ad mentem in Deum elevandam tebus hisce indigeant, est tamen plurium Conciliorum auctoritate firmatum, ut Trevirensis, Senonensis, Colonienſis, & Mediolanensis sæculo XVI. habitorum, dum nihil, quod sæculum sapiat, modulari cautio sit.

Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesiæ, quæ Organorum, & Musices usum ignorant.

Per duodecim priorum sæculorum spatium Officium stantes, atque aperto capite decantabant, ne galericulo quidem

Digitized by Google

dem utentes. Eſt autem probe animadvertendum, Eccleſiam Toletanam omnium primam a Papa Clemente III. petiiſſe anno 1243. ut hyeme Officii tempore caput tegere liceret, excepto Evangelii, & Conſecrationis ſpatio. Nulli erant adhuc quadrati pileoli, ſed rotundi, qui *Birretum* appellabantur. Inde Cucullus conceſſus fuit ad frigus arcendum, *Capucium*; poſtea *Armurium* ſive *Almutium*, quod ſcapulis ob ſolam neceſſitatem imponebant, quod adhuc in multis Eccleſiis fieri videmus. Tandem quod ob ſolam neceſſitatem conceſſum fuit, peſſimo ſane eventu inanis ornatus ambitioſiorum Canonicorum evaſit, ut ab aliis Cantoribus, atque Eccleſiaſticis hoc diſcrimine internoſci poſſent.

Pipinus Regum noſtratium primus fuit, qui cantus Magiſtros in Gallia inſtituere curavit; cum enim quo pacto Romæ cantus peragereturaccepiſſet, atque inſtaurationem a S. Gregorio invectam, litteras dedit ad Stephanum Papam, viros aliquot petens, qui cantum in Regno ſuo docere poſſent. Papa Magiſtros duos miſit, in cantu Gregoriano valde exercitatos, qui duo Antiphonaria ſecum attulerunt, manu S. Gregorii exarata, quorum unum Metis, alterum Sueſſione repoſitum fuit, ut ad horum normam cetera omnia per totum Regnum efformarentur. Circa hæc ipſa tempora Chrodegangus Metenſis Epiſcopus cantum in Gallia abſolutiorem reddidit, atque rurſus in melius reſtituit; quæ res effecit, ut plures cantum ab eo in Gallia primum inſtitutum exiſtimarint. Carolus M. Capitulare edidit, juſſitque per univerſas Galliæ Eccleſias cantum Romanum ſervari, mandans omnibus Scholaſticis omnium Regni Civitatum, ut Metas, atque Sueſſionem Antiphonaria emendanda mitterent, atque cantum a duobus hiſce Magiſtris diſcerent. Idem Monachis præceptum eſt: *Monachi, ut cantum Romanum pleniter, & ordinabiliter per nocturnale, vel graduale Officium peragant, ſecundum quod beatæ memoriæ genitor noſter Pipinus Rex decretavit, ut fieret, quomodo Gallicanum cantum inſtit, ob unanimitatem Apoſtolicæ Sedis, & Sanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam*. Lib. 1. Capitul. c. 81.

Muſicam quod ſpectat, Concilii Tridentini conſilium erat, eam penitus abolere. Cum enim conſcriptum Decretum fuiſſet, idque ad Ferdinandum Imperatorem miſſum, is cum Conſilio collocutus Patribus ea qua par erat reverentia, reſpondit, Muſicam licet aliquibus nocere poſſet, innumeris tamen aliis prodeſſe; quare non exiſtimare ſe, eam penitus eſſe abolendam, ſed reformandam. Concilii Patres Ferdinandi litteris acceptis, ejus conſilium probarunt, atque Decretum irritum fecerunt. Hinc S. Carolus eam pro virili magnifico, atque exquiſito apparatu peragi curabat, ut populos a profanis ludis, atque concentibus averteret, atque ad res Divinas pertraheret; addebat vero ſub finem hortationes, atque ſalubria monita ad pietatem.

Satis conſtat quam proni ſint homines ad cantum, quantamque voluptatem percipiant ex harmonica quadam modulatione. At cum mens cantibus hiſce harmonicis in diverſa diſtrahatur ſæpe ab Eccleſiis hanc ob cauſam excluſi ſunt. Fatetur S. Auguſtinus in Confeſſion. libris id eſſe expertum, cum Mediolani ſub converſionis ſuæ exordia Pſalmorum cantui intereſſet; refert enim, ſæpe ſe inter pietatis, & ſenſuum motus diviſum fuiſſe, neque vel laudare, vel vituperare auſum fuiſſe rem illam, quæ contrarios hoſce effectus parere poſſet: verum ſub finem pro cantu pronunciat, remque totam ita claudit: *Quotiès me plus delectat cantus, quam verba: Quantum fleti in hymnis suis ſuave, & ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter &c.* Lib. 9. Conſeſſ. c. 6. l. 10. c. 33.

Verum ut ad Cantores redeat oratio, primis ſæculis Lectores, atque Pſalmiſtæ Cantores erant; inſtitutus poſtea fuit Præcentor, qui pſalmos, & Antiphonas præiret, ad chori cantum dirigendum, quod Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. Orig. cap. 12. adnotavit: *Præcentor, qui vocem præmittit in cantu*. Docet præterea idem Scriptor Libro de Officiis Eccleſia-

ſtaſticis, qua habitudine munus ſuum exequeretur, vocem ad pietatem excitandam tantum adhibens, non ad voluptatem afferendam. *Vox eius Chriſtianam ſimplicitatem demonſtret, in ipſa modulatione, quæ non Muſica, vel theatrali arte vedoleat, ſed quæ compunctionem magis audientibus faciat.* Eodem loco tradit, quæ fuerit Cantorum illorum abſtinentia, qui leguminibus ut plurimum veſcebantur, ad confirmandum vocis uſum: *Pſallentes legumine in cauſa vocis abſtinebant, unde & Cantores apud Genuenſes Fabarii dicti ſunt.*

Concilium Coloniense an. 1260. can. 9. Cantori Chorepiſcopi appellationem tribuit, quaſi Epiſcopus eſſet, atque Chori Magiſter. Cantor ut choro diligenter interſit, jubet, atque ut omnibus Officiis adſit, quo exemplar aliis ſe præbeat, eandemque diligentiam, atque aſſiduitatem ab aliis expoſcere poſſit.

S. Bernardus ep. 312. Eccleſiæ cantum gravem eſſe vult, & nihil ſive molle, ſive ruſticum ſpirare; dulcem, non levem eſſe oportere; aures ita oblectare, ut cor commoveat; mœſtitiam pellere; iram mitigare; verborum ſenſum non evertere, ſed efficaciorem reddere; magnam eſſe jacturam ſpiritualis gratiæ, cum cantus ſuavitas utilem verborum ſenſum corrumpit, magiſque curæ eſt, ut voces oblectent, quam ut res ipſæ animum ſubeant. Sermone vero 47. de Pſalmodia agens, monet eam magno ſtudio, magnaque puritate peragendam, pari reverentia, atque lætitia coram Domino adſtando. Non pigrum, non ſomnolentum, non oſcitantem, qui laudes Deo canit, eſſe debere, neque voces mutilas præferre, vel omnino præterire, aut molli quadam, atque effœminata ratione proferre, vociferando, vel ex naribus loquendo; ſed S. Spiritus verba maſcula voce, atque ut par eſt, corde decantanda ſunt, nulli rei, niſi quæ canitur, animum adſigendo.

Olim populi ſimul cum Clero canebant, antequam Canonici muros circa chorum ad frigus arcendum conſtruxiſſent; patebat enim chorus undique exactis temporibus. Ea de re Durandus queritur, aitque, ſuo dumtaxat ævo id fieri cœpiſſe, multaſque eſſe Eccleſias, quæ muros illos non habebant. Lib. 1. Ratim. 13. num. 35. *In primitiva Eccleſia peribolum ſeu parietem, qui circuit chorum, non elevatum fuiſſe, niſi ad appodiationem* (ad cubitorum altitudinem, ut cubitis eo nitifas eſſet) *Quod adhuc in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populus videat Clerum pſallentem, inde ſumeres bonum exemplum.*

Quod canendi rationem attinet, quatuor ejus genera apud veteres inveniuntur. Horum unum eſt *Directus cantus*, cum chorus univerſus ſimul canebat, unicum chorum efficiens: hinc Mediolani poſt Capitulum ad Laudes Pſalmus eſt, qui *directus* appellatur, ſive non alternis, ſed unico choro decantandus. Idem in S. Benedicti Regula lib. 12. videre licet, qui Dominicis ad Laudes Pſalmum 66. cantari finit *ſine Antiphona in directum*, atque item pſalmos Completorii: *Qui Pſalmi directanei ſine Antiphona dicendi ſunt.* Alterum genus eſt, Antiphonam alternis choris cantandi *Antiphonus cantus*. Tertium eſt Reſponſoria decantandi: *Reſponſorius cantus*, cum ſcilicet quod Cantor, ſive Lector ſolus pronuntiaverat, ceteri repetunt: *Quod uno canente chorus conſonando reſpondet*, ait S. Iſidorus lib. 6. de Offic. cap. 1. juxta Eſſeniorum morem a Philone relatum, primorumque Chriſtianorum Tertulliano teſte. Hoc canendi genus apud omnes Patres occurrit. S. Ambrosius Ep. ad Marcell. cap. 4. ait: Pſalmus *Deus venerunt gentes* perlectus eſt, noſque illi reſpondimus: Matutinis horis lectum eſt, quod ſummo animi dolore reſpondimus, *Deus venerunt*. S. quoque Auguſtinus ſæpe ait Pſalmis decantatis reſponſum fuiſſe: *In hoc Pſalmo, quem cantatum audivimus, cui cantando reſpondimus*, in pſalm. 106. Quod & in pſalm. 99. repetit: *Brevis eſt pſalmus, quem modo cantatum audivimus, & cantando reſpondimus*. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 16. in 1. Cor. teſtatur, unico Pſalmo ab uno decantato, ceteros omnes eumdem canendo reſpondiſſe: *Et is, qui pſallit, ſolus pſallis, etiamſi omnes reſpondendo reſo-*

ment, eamquam uno ore vox ferunt. Chorus universus, quod cantor præiverat, repetebat, ita ut primus psalmi Versiculus post singulos Versiculos a choro decantatos repeteretur, quemadmodum Invitatorium repetitur post singulos versiculos psalmi *Venite*. Quartum canendi genus *Tractim* appellatur, scilicet, cum psalmus perpetuo quodam tractu, unoque spiritu, nulla mora, vel responsione interposita recitabatur: *Tractim dicere*: velut ad Septuagesimæ Missam ad hanc diem fieri solet; Cantores enim soli Tractum canunt, neque a choro illorum cantus interturbatur, aut accinitur; quæ ratio quoque fuit psalmos apud veteres Monachos decantandi, ut ex Cassiano retulimus, estque in Regulis S. Serapionis, & S. Macarii præscriptum.

CAPUT XVIII.

Utrum cantus in Monasteriis, atque in Religiosarum mulierum domibus receptus fuerit; atque an mulieribus in Ecclesia canere licuerit?

EX iis, quæ modo a nobis dicta sunt, colligitur, genus hoc *Tractim* canendi, Cassiano teste, in Monasteriis viguisse. S. Hieronymus in sua Epistola ad Rusticum Monachum monet, ut psalmos ordine recitet, pietatemque magis, quam voluptatem quærat: *Psalmum dicas in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur.* In Regulis S. Hilarionis, S. Macarii, & S. Serapionis, vetitum est canere Abbatis injussu. In Regula S. Aureliani Monachi sibi succedere in canendo debent: *Ut in psallendi vicibus sibi Monachi succedant.* Majoribus Festis quatuor Monachi canebant.

At sensim Monachi alternis choris canere incœperunt. S. Paulinus id significare videtur Epistola sua ad Victricium Rotomagensem: *Ubi quotidiano psallentium per frequentes Ecclesias concentu . . . . & cordibus delectamur, & vocibus.* Sidonius Apollinaris lib. 5. ep. 17. de Officio agit, quod Monachi, & Clerici simul decantabant: *Vigilias, quas alternante multitudine Monachi, Clericique psalmicines concelebraverant.* Laudat quoque Faustum Rejensem, quod in Ecclesiam suam transtulerit Officium, atque cantum, qui Lerini fervabatur. In Vita S. Agricolæ Episcopi Avenionensis, qui Monachus Lerinensis fuerat, videre est, eum *Horas Canonicas eodem modo, quo solerent in Monasteriis, alternis videlicet canibus recitari voluisse.* S. Benedictus in sua Regula cantum alternis choris jam usu receptum esse testatur, jubens, *Ut mens nostra voci concordet;* agit etiam de directa quosdam psalmos canendi ratione, *directaneus Psalmus*: mandat quoque iis, qui ferius ad officium veniunt, *non sociari choro Psallentium.* Amalarius affirmat, S. Benedictum *consuetum morem Sancti Ambrosii in nonnullis Ecclesiasticis elegisse*, quod de cantu, atque Hymnis a sancto illo Episcopo Mediolani institutis intelligi potest. In Regula S. Fructuosi statutum est, ut *Surgentes per choros recitent Psalmos.*

Verum Monachorum complures cantum recipere verebantur, illud S. Hieronymi præ oculis habentes, *Monachi est plangere.* S. Fructuosus mox a nobis laudatus, de recitatione tantum alternis choris agit. In Vita S. Stephani Obazinensis apud Baluzium to. 4. Miscell. legimus: *Monachi submisse cantant, imo nec cantant, sed quasi lugendo cum summa devotione Horas diei concelebrant.* In Regula S. Isidori cap. 7. hæc habentur: *In Vigiliis recitandi aderat usus, in Matutinis psallendi, canendique consuetudo, ut utroque modo servorum Dei mentes diversitatis oblectamenta exercentur.*

Officii recitatio antiquissima est ejus absolvendi ratio, adfirmatque Nicephorus lib. 9. hist. cap. 16. per tria priora sæcula cantum ignotum penitus fuisse, donec S. Ephrem Syrus cernens Hammonium hæreticum plures Syros in partes suas cantu, atque Musica pertraxisse, quo in Conventibus utebatur, cantum in Ecclesia instituit, ut popu-

Digitized by Google

populos in fide retineret. In Veteribus carthuſianorum ſtatutis ſcriptum eſt, omnem cantum harmonicum procul eſſe amandandum, cogitandumque lacrymas, Monachorum partem eſſe: *Quia boni Monachi officium eſt plangere, potius quam cantare: ſic cantemus voce, ut planctus non cantus delectatio ſit in corde; quod gratia præveniente fieri poterit, ſi ea quæ cantando delectationem afferunt, amputentur; ut eſt fractio & inundatio vocis, & geminatio punctî, & ſimilia quæ potius ad curioſitatem attinent, quam ad ſimplicem cantum.* Statut. par. 1. cap. 37.

Quod Religioſas mulieres attinet, S. Auguſtinus in ſua Regula ita eas monet: *In Oratorio pſalmis & hymnis nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum, quod autem non ita ſcriptum eſt ut cantetur, non canetur.* Ep. 109. Nihil quidem S. Auguſtinus habet de alternis choris. Habuerunt tamen & ipſæ fortaſſe varios mores atque uſus Monachorum inſtar, apud quos alicubi unicus canebat, alibi vero alternis pſallebant. Concilium Cabillonenſe an. 813. cantum & officium a Religioſis mulieribus petagi mandat, eadem plane ratione, qua Aquiſgranenſe an. 816. canonicis idem præcipit can. 54. *Sanctimoniales in Monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium in legendo, in cantando, in Pſalmorum celebratione, & Horis Canonicas celebrent.*

Licebat quoque mulieribus in Eccleſia canere; ſilentium enim, quod illis S. Paulus in ſacris locis atque conventibus imponit, revera de concione, ſive docendi munere intelligendum eſt. Hinc videre eſt apud Iſidorum Peluſiotam lib. 1. Ep. 90. mulieres cantantes in Eccleſia. S. Gregorius Nazianzenus matrem ſuam laudat, quod altum ſilentium in officio ſervarit, neque os niſi ad canendum aperuerit, atque Presbytero celebranti reſpondendum; *Amen* ſcilicet, qua voce populus iis, quæ Sacerdos dicebat, reſpondere ſolebat. Capitularia Caroli M. lib. 2. cap. 76. ſinunt mulieres alternis choris cum viris in funere cantare, idque ad tollendas Paganicæ ſuperſtitionis reliquias, quæ in funerum ritu adhuc apud Gallos ſupererant. *Quæ de paganorum ritu remanſerunt.* Viri *Kyrie* præcinebant, mulieres autem ſuccinebant: *Viris inchoantibus, mulieribuſque reſpondentibus, alta voce cantre ſtudeant.* In Belgio *Beguinæ*, genus quoddam Religioſarum mulierum, alternatim cum Eccleſiaſticis ſingulos officii Verſiculos canebant, quod olim uſu receptum quoque erat apud Religioſas Poiſſenſes, quæ cum Dominicanis canebant. Ad *Te Deum* Organa Verſiculum modulabantur. Dominicani alterum canebant, tertium vero Religioſæ. Apud Religioſas Franciſcanas, e Fratribus Minoribus unus rem Divinam facit, Religioſæ vero in choro officium peragunt.

CAP. XIX.

Quis eſſet corporis habitus Officii tempore: ſtantes ne vel ſedentes id recitarent?

NUllibi in Scripturis legimus, Deum a ſedentibus oratum fuiſſe. Abrahamus orans *Stabat coram Domino* Gen. 18. Moyſes extenſis brachiis orabat Exod. 17. Salomon Feſto quodam indicto ad Altare ſe proſtravit, Deum invocaturus: *Flexis genibus & palmis in Cœlum extenſis.* 3. Reg. 5. Eodem habitu Daniel atque Eſdras oraſſe feruntur 1. Eſdr. 10. Elias facie ad genua uſque incurvata orabat. Eſdras die ipſa Sabbati humi proſtratus erat, 2. Eſd. 9.

Poſt Templum ædificatum, populus, qui eo ad orandum conveniebat, numquam ſedere conſuevit: *Stetit omnis populus.* Levitæ populum monebant, ut ſtaret ad Deo benedicendum: *Surgite, benedicite Dominum.* In Evangelio Phariſæum videmus, qui ſtans pro Judæorum more orabat. S. Paulus Tyri exiſtens, genibus flexis orabat: *Poſitis genibus adoravimus.* Jeſus Chriſtus in Olivarum horto vultu ad terram converſo orabat, S. Stephanus vero genibus flexis; verbo, nullibi ſedentes oraſſe deprehendimus.

Auctor Quæſtionum inter S. Juſtini opera, Tertullianus, veteresque Scriptores teſtantur, Fideles ut plurimum

Digitized by Google

flexis genibus oraſſe, Dominicis exceptis, quibus ſtantes orabant: *Die Dominico de geniculis adorare nefas ducimus*, ait Tertullianus, quod & Nicæno Concilio cautum eſt. Theodotius Imperator *pronus humi abjectus* orabat, Theodoreto teſte. S. Joannes Damaſcenus hæreticorum numero eos adſcribit, qui nonniſi ſtantes, numquam genua flectentes orabant, vocatque eos *Agnoclites*. Quid autem de iis, qui in Eccleſia ſemper ſunt ſedentes, Pater ille cenſuiſſet? *Agnoclitæ ſunt, qui quoties orant, genuflectere, provolvique nolunt, ſed ſemper ſtantes precantur*. Univerſa antiquitas docet, ſolum Epiſcopum, atque Presbyteros in Eccleſia ſediſſe, numquam vero populum, quod S. Optatus lib. 4. adnotavit: *Populus in Eccleſia ſedendi non habet licentiam*. Nulla itaque ſcamna erant in Eccleſiis, ad ſedendi uſum populis præparata, ea fere ratione, qua in Cathedralibus noſtris ſola Navis ſubſelliis vacua ſpectatur; compertumque habemus morem hunc in Galliam invectum modici cujuſdam ad ſarta tecta Parochialium Eccleſiarum emolumenti obtentu, cum in Hiſpania, Italia, & Gallia Narbonenſi, atque ubique fere ſedendi conſuetudo, dum Officia peraguntur, ignota ſit. Diſcimus ex S. Cæſario Arelatenſi hom. 34. Diaconum quo tempore genua eſſent flectenda, monuiſſe verbis illis *Flectamus genua*, queriturque de iis, qui recti ſtabant columnarum inſtar: *velut columnæ erectas ſtare conſpicio*, jubetque omnes poſt Diaconi monitum humi ſe proſternere, ægrotis exceptis, qui *inclinati* tantum orabunt. In Homilia alia acriter mulieres redarguit, quæ Miſſæ tempore genibus, ut fere ſolent inſidebant, aitque; Dudum veri parentis munere fungens commonui, atque etiam oravi illos, qui pedibus laborant, vel claudi ſunt, ut cum Hiſtoria quædam vel Lectio paulo longior perlegitur, qui diutius ſtare non poſſunt, humiliter, atque in ſilentio aſſideant. Verum nunc mulieres quædam ex nobis id omnibus, atque etiam bene valentibus licere putant; ubi enim Dei verbum legi incipit, humi ſedent, tamquam ſi in lecto jacerent. Oro ergo vos, venerabiles filiæ, ut impoſterum ea re abſtineatis. Fas igitur non erat, niſi infirmis, ſedere, atque Lectionum dumtaxat, & concionum tempore. Ludovicus Pius in ſuis Capitularibus Decretum ferre adactus eſt in mulieres ad Sanctuarium accedentes, atque humi ſedentes: *Sed hoc modis omnibus prohibendum eſt, ut nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut ſtare, & ſedere* lib. 7. c. 24. Balſamon conqueritur id ætate ſua apud Latinos uſurpari cœpiſſe. *De Latinis audio, quod non ſolum viri Laici, ſed & mulieres in ſanctum ſæpe ingrediuntur, & ſedent præſentibus iis, qui ſacrificant*. Extat & Decretum huic ſimillimum Concilii Romani ſub Leone IV. habiti, quod Gratianus de conſecrat. 2. c. Sacerdos, S. Clementi tribuit. Prætereundus non eſt verus Canon a Reginone relatus, qui unico genu in terram flexo orare vetat, quomodo ferunt Judæos Iudibrii cauſſa in Paſſione Domini factitaſſe: *Nec quiſquam uno genu ſolo tenus impreſſo orare præſumat, ſicut Judæi irridentes Dominum feciſſe legunture, ſed utraque genua terris figat*. Lib. 1. c. 180.

Idem monitum non minus Clericis, atque Monachis, quam Laicis deſerviebat, ut non ſedentes, neque genibus flexis, ſed ſtantes Officium peragerent. Profert autem Caſſianus rationes plures. 1. Ad ſomnum, quo opprimi poſſent, evitandum; videmus enim multos, poſtquam conſederunt, obdormiſcere. 2. Ad diſtractiones procul arcendas. 3. Ad commodum, & quietem corpori negandam, quæ major eſt, ſi quis genibus flexis, quam ſtans oret. 4. Ad mollitiem, ſenſuumque illecebras ſuperandas, quæ ut commodior ſitus, atque poſitio orationis tempore quæratur, efficiunt.

Quare juxta eumdem Caſſianum Monachi Officii tempore ideo ſedebant, quod ipſi non canerent, atque eum, qui canebat, dumtaxat audirent, fere ut nos Lectionis, & Epiſtolæ tempore ſolemus; idque auctore Caſſiano apud Thebaidis Monachos tantum obtinebat, qui corpuſcula perpetuis laboribus, atque macerationibus numquam intermiſſis attrita, atque infirmata habebant. Cete-

Digitized by Google

teri vero Monachi, ut Neocœsareenſes, Syri, atque alii, ſtantes univerſi pſalmos ſimul canebant, ut refert S. Baſilius ep. 63. ajens, Neocœsareenſes, poſtquam aliquanto ſpatio contemplati ſunt, ſurgere omnes ad canendos Pſalmos: *A contemplatione ſurgentes ad pſalmodiam inſtituuntur*. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 14. in Tim. ait de Monachis Syriæ: *Adſtant Sacro Choro, expanſiſque manibus concinunt hymnos*.

Mos iſte pſalmos ſtando canendi ab Angelo profectus eſt, qui S. Pacomio Regulam tulit Monachis ſuis traditam; Angelus enim ille ſtans ipſorum medius apparuit, ut habitum demonſtraret, quo ipſi canere deberent.

Tertullianus primorum Chriſtianorum imperterritam fortitudinem habitu ipſo ſignificari dicebat: *Paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani*. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum ait, hac poſitione oſtendi illius fervorem, qui orando ad Jeſu Chriſti gratiam revixit: *Qui reſurrexit, neceſſario ſtare debet*. S. Hieronymus ad Lætam ſcribens, eam hortatur, ut filiam conſuefaciat noctu ſurgere ad Pſalmos ſtando recitandos, atque *ſtare in aciem quaſi bellatricem Chriſti*. Sanctus Joannes Climachus Grad. 14. jubens, ut oratio ſtando peragereturtur, eos redarguit, qui Officii tempore parieti ſe applicant, quaſi diutius, præ debilitate ſtare non valerent: *Alios ſub pariete inclinari, ut debiles*: addit deinde: *Si qui orant, Deo ſe aſſiſtere exiſtimat, ut columna immobilis perſtabit*.

Soli Presbyteri circa Altare cum Epiſcopo ſedilia habebant; teſtaturque S. Hieronymus ep. 85. c. 5 Romæ dumtaxat Diaconos haud ita dudum cum Presbyteris abſente Epiſcopo adſidere cœpiſſe. Concilium Laodicenum vero eos in Eccleſia præſentibus Presbyteris conſidere vetat; atque tertio ſæculo demum exacto, Epiſcopi ſedem altiori loco quam Presbyteri ſtatuere cœperunt; objiciebatur enim Paulo Samoſateno, quod throni genus quoddam erigi ſibi curaſſet, ut ſuper Presbyteros alios emineret.

At Monachi ſemper ſtantes perſtitere. Theodemarus in Epiſtola ſua ad Theodoricum ait in Monaſterio Caſſinate, cujus Abbas erat, juxta morem a majoribus acceptum, atque conſtanter ſervatum, Officium ſtando, apertoque capite peractum fuiſſe, infirmis exceptis, terque caput inclinaſſe, cum Gloria Patri, ad Pſalmorum finem, recitarent: *Sicut & alia, quæ a majoribus inſtituta ſervamus, nudato, excepti infirmis, capite ad Officium ſtamus, flectimus cervicem, quoties GLORIA canitur*. Apud Paul. Diac.

Metenſes Canonici ſive labore, ſive moleſtia, quam ſtando percipiebant, aut certe exiguo in Deum fervore ſuadente baculis, ut iis inniterentur, ad Officium ire cœperunt: At Chrodegangus Reg. c. 7. infirmos dumtaxat paſſus eſt id agere: *Niſi cogenie infirmitate baculos in manibus non teneant*. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. id pariter fieri vetat, jubetque Canonicos ſtantes officio adeſſe: *Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, ſed religioſiſſime illic ſtandum eſt & pſallendum*. Extat Petri Damiani Tractatus adverſus canonicos Veſontionenſes editus, qui ſub officii tempus ſedebant, atque id *ſuperbiæ ac deſidiæ ſignum eſſe*. Opuſc. 39. Poſtquam vero irreverentiam hanc in iis, qui nullo valetudinis vitio laborant, minime ferendam eſſe dixiſſet, Angelorum exemplo utitur, quorum meminit Apocalypſis, qui omnes ſtantes exhibentur; Moyſem deinde appellat, qui pedes nudavit ob loci ſanctitatem. Quod ſi hujus ſæculi Principum Miniſtri ſtantes illi deſerviunt, quomodo homo luto & pulvere conſtans coram Deo ſedere audebit? *Ecce ubi Seraphim ſedere non audet, ſedet homo lutens*. Tandem rem ita claudit, ſevere eſſe interdicendum non Laicis modo, ſed & Clericis, ne ſub Divini officii tempus ſedeant, niſi ad Nocturnas Lectiones, juxta receptum morem, vel niſi quis gravi valetudinis incommodo laboraret; immo neque *podio inniti* licere ait. Pulcimentorum uſus a Græcis ad nos pervenit, qui primi ad levandum laborem fulcra illa invixere, quæ in ſuperiore parte ſedium verſatilium in veteribus Eccleſiis uſur-

pa-

patarum conſpiciuntur. Ipſi *Stadia a ſtando* appellant, teſte Goar, quia fere ſemper ſtantes, perraro autem ſedentes ſunt in Eccleſia. Latini *ſtallum a ſtando* vocant, quia qui ea ratione ſedent, ſunt aliquo pacto ſtantes. Petrus Damianus fulcri dumtaxat meminit, *nec ſedio innixi*. Durandus XIII. ſæculi Scriptor de ſtallis pro Clero tantum paratis loquitur, neque mos iſte in Monaſteriis adhuc cognitus fuerat. In Vita S. Bonaventuræ, legimus eum vel ægrotantem *noluiſſe muro, vel parieti inhærere, ſed erectum ſemper & ſine capucio ſtetiſſe*. In concilio Baſileenſi primum clerici ſedentes pſallere ſinuntur, ſeſſ. 21. ad *Gloria Patri* ſurgere, atque ad Jeſu nomen inclinari jubentur; quæ rerum novarum a veteri diſciplina diſcedentium numero adſcribi poſſunt. In Regula S. Fructuoſi Epiſcopi Bracarenſis c 3. ſtatutum eſt, humi ſe ſternere debere clericos ad *Gloria Patri*: *ad omnium pſalmorum finem* Gloriam cantantes *Deo proſternentur*.

Videmus ergo, omnibus retro ſæculis Deum ſtando exoratum fuiſſe, idque ipſe Chriſtus mandaſſe videtur illis verbis, *Cum ſtabitis ad orandum* Marc. 2. Tertullianus de Orat c. 12. id ſuadet ea ratione, quod parum eos revereri videremur, quibus a nobis honos debetur, ſi coram illis ſedeamus; quanto potiore ergo ratione id de Deo affirmare poterimus, cui Angeli ipſi adſurgunt? Auctor Libri de Virginitate inter S. Athanaſii opera vel puellis ipſis præcipit, ut noctu ſtantes officium peragant: *Media nocte ſurgite, Pſalmos dicite quantum potes ſtans*. Ferunt de S. Martino, quod eum *Nemo unquam ſedere conſpexit*. Idem legitur in Vita S. Epiphanii Ticinenſis ab Ennodio ſcripta. Primum in Gallia ſulcimenta quæſita fuere ad Officii tempus, ut ex Petro Damiano videre eſt, quod neque in Italia, neque alibi a ſe viſum eſſe affirmat. In Gallia videre quoque eſt ſubſellia pro Clero; Gregorius enim Turonenſis l. 9. hiſt. c. 31. de Prætextato Epiſcopo Rotomagenſi agens *Formam* appellat ſubſellium, quo utebatur: *Cum quo inter pſallendum formula decumberet*. Fieri tamen poteſt, ſolum Epiſcopum iis uſum fuiſſe, cujus ſedes ſubſelliorum noſtrorum more confecta erat. Ægrotantes autem Presbyteri plerumque non alia re quam baculis nitebantur. In Vita S. Victoris Epiſcopi Cœnomanenſis ejus rei fit mentio: *S. Martinus dedit baculum ſeu ſuſtentaculum, ſuper quod Sacerdotes fuiſſ orationibus ſuſtentari*. In precibus Carolo M. a Fuldenſibus Monachis oblatis, querela inſtituitur in Abbatem ipſorum, quod per ejus ſeveritatem: *Nec* ægrotis quidem *baculum pro ſuſtentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando inhærere*.

CAPUT XX.

De Nocturnis Vigiliis.

MOs erat veterum Chriſtianorum ſeſtis ſolemnibus, atque Dominicis per noctem ad orandum convenire; Gentilium enim Imperatorum metu nocturnos Conventus extra Urbem, atque in Cœmiteriis habere cogebantur. Tertullianus lib. 2. de Uxor. ea de re uxorem ſuam monet: *Cum per noctem exurgis oratum . . . . Memineris etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe*. Minutius Felix, S. Cyprianus, Concilium Laodicenum, Prudentius, Plinius Junior, atque alii harum vigiliarum mentionem faciunt. Cum vero Hiſpanus quidem Presbyter eas damnare voluiſſet, S. Hieronymus in Epiſtola ſua ad Ripurium Jeſu Chriſti verbis illas tuetur; *Vigilate*, ad ejus exemplum *noctes in precibus* traducendo. Addit & exempla Davidis, qui ſub noctis medium e ſtrato ſuo ſurgebat; S. Pauli, & Silæ, qui in vinculis detenti totam noctem orabant; S. Pauli, qui viduæ cuidam diem, noctemque orando tranſigere præcipit; Iſaiæ, qui mentem per noctem in Deum elevabat, *Anima deſideravit te in nocte*; Judithæ, quæ populum noctu ad orandum congregavit, quibus plura pſalmorum loca ſuperaddebat.

Digitized by Google

bat, ubi Propheta ad noctu ſurgendum, atque vocem in Dei laudes extollendam hortatur. S. Hieronymus ad Euſtochium Virginem ſcribens, *Noctibus*, inquit, *bis, terque ſurgendum*, atque in Epiſtola ad Sabinianum ait, noctu totam Eccleſiam Hymnis, qui in Chriſti honorem decantantur, perſonare.

S. Ambroſius in Pſalm. 118. Fidelibus Davidis, atque Jeſu Chriſti exemplum proponit, atque in lib. de Abraham, ait: *Simul ad orandum nocte nobis ſurgendum eſſe*. S. Hieronymus ætate ſua morem media nocte ſurgendi in Eccleſia ſervatum fuiſſe ſcribit hom. 26. in Act. *Eccleſia Dei mediis ſurgit noctibus*. Palladius quoque auctor eſt, ſanctum hunc Doctorem numquam populum ſuum hortari deſtitiſſe, ut noctu officiis intereſſet, viros ſcilicet, quibus per diem id præſtare non licebat; mulieres enim S. Joannes Chryſoſtomus domi manere, atque interdiu dumtaxat ad Eccleſiam ventitare volebat, quemadmodum ex ejus Homilia XIII. ſup. Ep. ad Hebræos intelligimus.

Virgines Deo ſacræ diu, noctuque pſallebant, ut ex S. Gregorio Nyſſeno conſtat de S. Macrina agente: *Aſſidua pſalmorum decantatio, quæ nec die, nec nocte intermittebatur*. S. Hilarius nocturnæ vigiliæ, atque orationis præſtantiam proſequitur. S. Auguſtinus in pſ. 118. Vigiliarum, quæ Mediolani fiebant, meminit: Victor Vitenſis vero lib. 2. earum, quæ in Africa agebantur ad Martyrum Feſta celebranda: *Jam'ob celebritatem Feſtivitatis Hymni nocturni per totam Eccleſiam canente populo concrepabant*. S. Paulinus lib. 3. de Vita S. Martini ea de re agit, tamquam in univerſa Eccleſia recepta; *Vigilocinus omnis turba ad confeſtos, modulamina dulcia, Pſalmos advolat & Sanctis ſolatia quærit in Hymnis, quæ pellant ſegnes vulgato corpore ſomnos*. Nihil frequentius apud Gregorium Turonenſem occurrit, quam Feſtorum in Eccleſia Vigiliæ.

Verum Vigiliæ hæ, quæ a Chriſtianis ob neceſſitatem ſimul, & pietatem inſtitutæ fuerant, viguerunt quidem ſatis diu etiam poſt pacem Eccleſiæ reſtitutam; at tot pravi uſus, atque ab hominum diſſolutorum moribus incommoda inde orta ſunt, ut penitus demum Laicis interdictæ fuerint. Concilium Eliberitanum mulieribus primum eis intereſſe vetuit; Altiſſiodorenſe vero ſexto ſæculo omnibus populis iis adeſſe prohibuit can. 36. *Non licet . . . . nec pervigilias in Feſtivitatibus Sanctorum facere*. S. Bonifatius Moguntinus eas quoque abolevit, eo quod edendi, atque bibendi libido poſt Nocturnum Officium invaluiſſet. Auctor ſerm. 24. ad *Fratres in Eremo* refert plura alia incommoda, quæ in vigilias haſce irrepſerant, pluresque noctem ludendo, atque ſaltando tranſegiſſe, eaque de cauſſa ſanctam Monicam S. Ambroſio, ut eas aboleret, ſuaſiſſe. Verum Scriptor hic nullam fidem promeretur, cum e ſancto Auguſtino conſtet, Catholicos aſſidue vigiliis adeſſe ſolitos fuiſſe Arianorum cauſſa. Adſirmarunt etiam nonnulli, eas a Bonifatio I. Pontifice ſublatas fuiſſe: verum id quoque ſancti Ambroſii ſcriptis repugnat, quibus tam frequens fit vigiliarum, quas cum populo ſuo peragebat, mentio. Immo Paulinus Presbyter ait, ſanctum hunc Epiſcopum eas Mediolani inſtituiſſe, ut populos Arianæ perſecutionis tempore otio corrumpi non ſineret: *Hoc tempore . . . . vigilias in Eccleſia Mediolanenſi celebrari capersans*, atque ad Mediolanenſis exemplum ab aliis Occidentis Eccleſiis idem ſervatum fuiſſe. S. Leo in ſuis ſermonibus de jejunio decimi, & ſeptimi menſis, ſanctus Gaudentius, aliique a nobis jam recitati, ejus rei teſtes advocari poſſunt. Sola dumtaxat Natalis Vigilia populis ad hanc diem permittitur; quod & Paſchatis tempore diu viguit; at deinde Officium illud Sabbato in antecceſſum abſolvi cœpit, quemadmodum ex ejus diei Præfatione intelligimus, *In hac potiſſimum nocte*. Reliquis vero ſolemnibus diebus vigiliæ in jejunia mutatæ fuere, ut noſtra ætate conſuevimus; quæ cauſſa eſt, cur recentiores ſolemnitates, atque vel ipſius Corporis Chriſti Feſtum Vigiliis careant.

Quod Clerum attinet, noctis Vigilias ſemper ſervavit; potiſſima enim Mona-

Monachorum pars Matutinum noctu abſolvunt, atque Pariſienſis Eccleſia ad hanc diem hac re maxime excellit. Ratherius Veronenſis Clericos ſuos hortabatur: *omni nocte ad Nocturnos ſurgite*. Idem a Papa Leone IV. præſtitum eſt in Homilia quadam ad Parochos, cujus hæc verba ſunt art. 1. *omni nocte ad nocturnas Horas ſurgite, & curſum veſtrum horis certis decantate*. Carolus M. idem ſtatuit in ſuis Capitularibus anno 802. *Ut omnes Sacerdotes Horis competentibus diei, ac noctis ſuarum ſonent ſigna Eccleſiarum, & ſacra Deo celebrent officia.* Epiſcopi etiam in viſitatione exquirebant, num Parochi noctu ad Matutinum recitandum ſurgerent, atque Officium ſtatis horis abſolverent, teſte Reginone lib. 1. num. 27. & 28. *Si nocturnis horis ad Matutinas Laudes perſolvendas omni nocte ſurgat. Si Primam, Tertiam, Nonam certo tempore ſigno Eccleſiæ denunciet, & curſum debitum canitet.* Gregorius Turonenſis, etiam dum iter ageret, noctu ad Matutinum recitandum ſurgebat, quomodo ipſe de ſe teſtatur lib. 8. Hiſt. cap. 15. Idem in Vita S. Gregorii Langrenſis ſcribit, aitque de Presbytero, qui iter faciens *juxta morem Sacerdotum, nocte de ſtrato ſuo conſurgens, orationi adſtitit*. S. Hugo Lincolnienſis *Preces Canonicas ſtatuto perſolvebat tempore, nec induci poterat, ut aut præveniret illud, aut differret.* In pluribus Ordinariis Benedictinis apud Surium 17. Novemb. præſcriptum eſt, ut Matutinum ſub noctis medium æſtivis Dominicis recitetur, ut Laudes aurora exoriente peragi poſſint.

CAP. XXII.

De Divini Officii Horis; an primis ſæculis quotidie iiſdem Horis Conventus haberetur, quove demum ævo id fieri cœptum ſit?

Quemadmodum in Synagoga variæ erant horæ precibus dicatæ, ita & Eccleſia morem eumdem ſervavit, atque hac de cauſſa apud veteriſſimos Eccleſiaſticos Scriptores mane, & Veſperi, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ mentio reperitur, ut a nobis retulatum eſt. Verum ex iis non conſtat, quotidie, ſtabilique ratione fideles ad Eccleſiam oraturos iiſdem horis convenire. Perſpicimus quidem, puta ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, hortari eas ad orandum horis illis, nihil tamen habetur publice, an domi id eſſet faciendum; & forte majori dumtaxat zelo ardentibus, majoreſque in pietate progreſſus facientibus proponebantur. Liber de Virginitate inter Athanaſii opera Virginem tantum alloquitur, varia hæc tempora pietati ſacra illi præſcribens. S. Baſilius Monachis tantum ea proponit, tamquam Monaſtici ſtatus Officium, atque ipſorum Regulæ exercitationem; neque aliter S. Ephrem. S. Joannes Chryſoſtomus autem in Pſal. 118. in pietate magis exercitatorum opus fuiſſe ſignificat: *optimi quique viri, ac pietate præditi ſtationem ad Deum ſepties faciunt*. S. Cyprianus trium puerorum in fornace tribus diverſis temporibus orantium exemplum afferens ait, hunc juſtorum morem fuiſſe; *Sic juſti precabantur*, atque illorum, qui ceteris pietate eminere vellent, videturque eorum dumtaxat probare conſilium, qui id ex pietatis affectu, ſive ut alios ad imitandum excitarent, agebant, nihil vero addit, id publice a Clero ſingulis diebus ſervatum fuiſſe. Prudentius id ſibi propoſuiſſe videtur, ut Hymnos, ſive Cantica componeret in illorum gratiam, qui horis illis orare vellent. S. Hieronymus harum horarum meminit dumtaxat in epiſtolis ad Matronas pietati addictas, aut ad Virgines, Monachoſve, atque præcipue ad puellas in Bethleemetico S. Paulæ monaſterio congregatas conſcriptis, ubi Pſalterium in diei, noctiſque horas diſtributum recitabatur: *Mane, Tertia, Sexta, Nona, & Veſpere, & noctis medio per ordinem Pſalterium canebant*: Officium enim Pſalterio hoc pacto diſtributo conſtabat. Caſſianus, S. Benedictus, S. Cæſarius, atque alii Regularum Auctores Monachis tantum, atque Religioſis mulie-

Digitized by Google

tieribus id proponunt. Quibus fit, ut Eccleſia ſemper quidem optaverit, ut horis iſtis fieret oratio, multoſque id ſingillatim præſtitiſſe; at publice, atque in Officii rite diſtributi formam in Monaſteriis primum fieri cœpiſſe. Oportebat enim ſolitarios hoſce aliquo pacto, utiliter in receſſu otium terere, atque cum mundo ſe abdicaſſent, ut Deo ſe devoverent, nihil aptius inveniri poterat, quam ſi Regula quædam illis præſcriberetur, quæ illos ſtatis diei horis orare juberet, idque tanto lubentiori animo, quod plures Clerici, atque Laici in ſæculo homines id ſponte ſua domi factitarent.

Tribus enim prioribus ſæculis, perſecutionum rabie ſæviente nonniſi occultos conventus habere licuit, idque Sacrificii tantum gratia, teſte Scriptore Conſtitut. Apoſt. l. 8. c. 34. *Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit propter Infideles . . . . pſallat ſibi unuſquiſque, canat, oret, ſeltem duo ſimul, aut tres.* Perraro autem temporibus illis, alia quam Sacrificii cauſſa conveniebant.

Ubi autem pax Eccleſiæ reddita fuit, cum Presbyteri, & Clerici, pro gravibus tantum Eccleſiæ neceſſitatibus ordinarentur, nullos videmus per ea tempora ad cantandas Deo laudes extra Sacrificii tempus potiſſimum deſtinatos. Meminit quidem Socrates l. 14. cap. 18. Eccleſiæ cujuſdam Edeſſenæ S. Thomæ dicatæ, *in qua Colleƈtæ ſine intermiſſione celebrabantur*, id tamen fortaſſe quotidianos duntaxat conventus ad Sacrificium innuit; 'neque locus hic omni penitus dubitatione vacat, ut ex illo canonicum Officium a Clero abſolutum ibi fuiſſe conficere valeamus. Fieri etiam poteſt, perpetuam pſalmodiam, vel laudem perennem, Officiumve Divinum nullo intervallo a Monachis celebratum fuiſſe, quomodo Conſtantinopoli Monachi *Acœmetæ* pſallere ſolebant, quorum meminit Theodorus Lector, atque Theophanes, quique *Non dormientes* appellati fuere, quaſi eos numquam dormiſſe ſignificare vellent, quod ii horis ſingulis orantes vigilarent, atque cantus in Dei laudem numquam intermitteretur; in claſſes enim varias diſtributi invicem ſibi diu, noƈtuque ſuccedebant.

Clerum vero quod ſpectat, diſcimus ex Gregorio Turonenſi l. 10. hiſt. Tertiam, & Sextam ea in urbe ab Injurio Epiſcopo ſexto ſæculo inſtitutas fuiſſe. Id ipſum Arelate factum docet Vita S. Cæſarii apud Cyprian. *Qui inſtituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæ, & Nonæ opus in Sancti Stephani Baſilica Clerici cum hymnis cantarent.* In Vita S. Pauli Epiſcopi Verodunenſis ſeptimo ſæculo legimus, nullos tunc fuiſſe Clericos ea in Eccleſia pro Officiorum celebratione; advocatoſque fuiſſe extraneos Presbyteros ad Miſſam, vel Officia recitanda, qui *accepta mercede* domum revertebantur. Refert Vita S. Theorici Epiſcopi Altiſſiodorenſis octavo ſæculo, eum ſingulis hebdomadis Monachos ex Urbis, atque adjacentis agri Monaſteriis acciri curaſſe, ad Officium in Cathedrali S. Stephani Eccleſia peragendum, atque decreviſſe, quid cuique ea de cauſſa tribuendum eſſet. Sidonius Apollinaris hujus rei quoque meminit ep. 17. *Cultu peraƈto vigiliarum, quas alternante dulcedine Monachi, Clericique, pſalmicines concelebraverant, quiſque in diverſa ſuceſſimus, præſto ad Tertiam profuturi cum Sacerdotibus res Divinas faciendas.*

Romæ etiam ante nonum ſæculum nulla Eccleſia præter S. Petri officia peragebat; quod etiam ab Amalario tantum diſcimus, qui in Librorum ſuorum Præfatione fatetur, conſultos a ſe fuiſſe *Eccleſiæ S. Petri Miniſtros*, ut diſceret, quot orationes ſolerent in Miſſa ante epiſtolam recitare. Inde tamen nemo exiſtimet ante nonum ſæculum Officia quotidie Romæ abſoluta non fuiſſe, cum S. Benedictus in ſua Regula auƈtoritate Eccleſiæ Romanæ utatur: *Canticum numquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana.* Præterea Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita S. Gregorii III. ait, eum in Eccleſia S. Chryſogoni Monachorum cœtum inſtituiſſe, ut quotidie officia peragerent, *inſtar officiorum Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli.* Idem de eodem Pontifice hæc habet: *In quo congregationem Monachorum conſtituit ad perſolvenda quotidie ſacra officia laudis*

divinæ in Baſilica Salvatoris, quæ Conſtantiniana nuncupatur, juxta Lateranos, diurnis, noſturniſque temporibus ordinata inſtar Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli. Ante ea vero tempora Pelagius Papa Monachos Caſſinates in Eccleſia Lateranenſi ad Officia celebranda conſtituerat. S. Gregorius lib. 2. Dialog. ait, plura ſe ſingularia de S. Benedicti Vita a Valentiniano accepiſſe. *Qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit.* Monachi igitur erant, qui in Lateranenſi Eccleſia Officium peragebant. Quod S. Petri Eccleſiam attinet, Monachi quoque idipſum ibi præſtabant, qui in quatuor Urbis Monaſteriis degebant, ſcilicet Monachi Monaſterii S. Martini, S. Stephani minoris, S. Stephani majoris, & SS. Joannis, & Pauli, qui ad S. Pearı Eccleſiæ latera habitabant.

Refert vitæ Gregorii II. Scriptor, Monachos ad Officia in Eccleſiis Parochialibus peragenda ventitaſſe: cauſſa autem, cur Monachi advocarentur, ea erat, quod in Cathedralibus, atque Parochialibus Eccleſiis non ſatis frequens eſſet Clericorum numerus ad Officia celebranda; quod Pariſiis quoque fieri ſolet in veteſtis Urbis Eccleſiis, ad quas Eccleſiæ Cathedralis Clerus Officiorum agendorum cauſſa ſacro Patroni die tranſire ſolet, Tertiamque ibi, Miſſam, & Sextam decantare. Eodem pacto in Palatii ſacello ſolemnioribus ejus Eccleſiæ diebus, qui octies fere per annum recurrunt, annua ſtipe ad hoc a Regibus conſtituta Mendicantes, Sodaleſque alii Officia peragunt, primas ſcilicet Vigiliæ Veſperas, Tertiam, Miſſam, ſextam, atque concionem celebritati aptam. Capellani enim, ſive Canonici ſub Inſtituti ſui exordia exiguo numero erant, neque Officia ſolemnioribus diebus magnificentius peragere poterant. Inſtituta poſtea fuere Clericorum Collegia ad Monaſteriorum exemplum, atque Officio addicti fuere, eaque eſt Capitulorum Cathedralium, & Collegiatarum origo. Chrodogangus primum Clericos Metis congregavit, atque Inſtitutionis Regulam conſcripſit, quæ vitæ canonicalis forma erat, unde canonici appellati ſunt.

Conſtat ex Concilio Epaonenſi anno 517. can. 19. in ruralibus Parochiis Clericos ex vicinia convocari ſolitos ad Officia ſacro Patroni die celebranda: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur, niſi vicinos Clericos eſſe contingat, qui Sacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.* Concilium Emeritenſe, ſeptimo ſæculo habitum, mandat Epiſcopis, *ut de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi faciant, ut Officium Sanctum bene peragant.* Tandem Capitularia anni 802. atque Concilia Epiſcopis præcipiunt: *Ut omnes Eccleſiæ publicæ Canonicis Horis curſum ſuum cum reverentia habeant.* Conc. Celithen. an. 787.

CAP. XXII.

De ſigno olim adhibito ad convocandos ad Officia Clericos, Monachos, atque Fideles.

PRimis Eccleſiæ ſæculis publico ſigno ad divina officia convocari Fideles non poterant. Plinius enim, qui cœtuum noſtrorum meminit, de ſigno plane ſilet: immo contra de Chriſtianis ait, *Latebroſam, & Lucifugam Nationem* eſſe, atque loca, & cœtus ſæpe mutare. Baronius affirmat, eos, qui in Epiſtola S. Ignatii ad Polycarpum *Curſores Dei* appellantur, a S. Hieronymo vero in Epiſtola ad Euſtochium *Præcones*, quorum opera utebantur Chriſtianæ Matronæ, cum Agapas largiri cupiebant, homines fuiſſe, quorum eſſet muneris Fideles loci, atque temporis, quo Conventus haberetur, admonere. At verosimilius nobis videtur, Epiſcopum, ſive eo jubente Diaconum in Conventu locum, & tempus inſequentis pronunciaſſe. Iis vero locis, quibus Conventus hi ſtatis horis, atque locis habebantur, pietas ipſa signi, aut monitoris loco pleriſque omnibus erant.

Pace Eccleſiæ reſtituta mos tabulam ligneam pulſandi obtinuit, qua Fideles de Officii tempore admonebantur. In Actis ſancti Anaſtaſii Martyris a Concilio Nicæno II. relatis Act. 4. habetur

Cle-

Digitized by Google

Clericos, *Ligna sacra pulsantes obviam factos* ejus Reliquias afferentibus. Apud Græcos autem ad hanc diem tabula ex alto ſuſpenſa malleo percutitur, ad officii tempus ſignificandum. Idem videre eſt in Vita ſancti Joannis Chryſoſtomi a Metaphraſte relata: *Pulſato ligno vocatos homines ad quamdam congregationem*. In Vita Sancti Theodori Archimandritæ apud Surium 7. Jan. hujus rei mentio fit: *Lignum, quod convocat ad Eccleſiam, pulſantes*. Joannes Moſchus Grad. 18. *Canonis lignum* appellat.

In Regula Sancti Pacomii habetur, Monachos ad tubæ ſonum convocatos fuiſſe: *Quando ad Colle&tam tuba inſonuerit*; erat autem tuba cornea. Ita & S. Joannes Climachus in Prat. c. 11. *Cum inſonuerit ſignum ſpiritualis tubæ*. Apud Palladium in Hiſtoria Lauſiaca Frater malleo feriebat januas Cellularum Monachorum, ad eos excitandos, atque, ut ad Matutinum irent, admonendos.

Succeſſit deinde *Campanarum*, & *Nolarum* uſus; hæ vero ita appellatæ, quod Nolæ in Campania inventæ fuerint. Polydorus Virgilius, Genebrardus, aliique putabant, campanarum uſum ſub Sabiniano Pontifice S. Gregorii ſucceſſore primum percrebuiſſe. Alii vero contra affirmant, Sanctum Paulinum Nolæ Epiſcopum primum campanis in Eccleſia uſum fuiſſe, Papam vero Sabinianum juſſiſſe dumtaxat, ut impoſterum illis eſſet utendum, ſive, ut Martinus Polonus ait, primum juſſiſſe, ut iis ſignum ad horas Canonicas eſſet edendum. Earum mentionem etiam ante Sabinianum factam videmus a Gregorio Turonenſi lib. 3. de Mir. S Mart. c. 29. atque adeo in Gallia receptas fuiſſe: *Interea ſignum movetur*; atque alio loco, *ſigno ad Matutinas commoto*, quæ verba nonnisi de campana accipi poſſunt. Alibi funis quoque meminit e campana ad eam commovendam, ut ſonum edat, pendentis. *Ad funem illum, de quo ſignum commovetur*. Atque iterum in Galliæ Hiſtoria lib. 2. cap. 23. *Signum ad Matutinum commotum*. Campanarum meminit etiam Vita S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis anno 623. a Surio 1. Septem. relata.

Ex his facile intelligimus, Fideles aliquo ſigno ad Officium convocatos fuiſſe; ſævientibus vero perſecutionibus ſignum illud occultum erat, neque ſatis conſtat, quo pacto fideles admoniti fuerint. Reſtituta vero Eccleſiæ pace, varia ſigna adhibita fuere, ut tubæ, mallei, tabulæ lignæ, quæ feriebantur. Campanarum, in Eccleſiis uſus plerumque S. Paulino Nolano Epiſcopo tribui ſolet, *Campanaſque* a Campania Provincia, Nolas vero a Nola Urbe appellatas fuiſſe affirmant. At longe ante ea tempora campanarum eadem hac appellatione meminit Quintilianus, atque indubium eſt, Nolarum uſum apud Judæos antiquiſſimum fuiſſe. Summus eorum Pontifex aurea tintinnabula extremæ tunicæ oræ ſuſpenſa gerebat, ut populum, cum Sanctuarium ſubiret, admoneret. Proſerpinæ Sacerdotes apud Athenienſes campana ſonum edebant, quo populus ad ſacrificium convocabatur. Perſæ, Græci, atque Romani iis quoque uſi ſunt, atque omnibus retro ſæculis Nolæ minores e collo Mulorum, aliarumque pecudum ſuſpendi conſueverunt. Mendici quoque nulas habebant, ad prætereuntes, ut ſtipem darent, excitandos. Fieri tamen poteſt, S. Paulinum primum iis uſum fuiſſe ad fideles convocandos, moremque hunc ad pleraſque Occidentis Eccleſias pertranſiſſe; apud Græcos vero minus frequens fuit, qui ligneo quodam inſtrumento omni ævo uſi ſunt, quod *Symandron* appellant; eſt autem exigua tabula 14. pedes longa, quæ duobus ligneis malleolis percutitur. Conſtat tamen in quibuſdam Græcorum Eccleſiis Campanas fuiſſe, antequam Turcarum tyrannide opprimerentur, qui poſt Conſtantinopolim captam, eorum uſum interdixerunt, Ad hunc tamen diem in Monte Atho ſuperſunt.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

De Officio, quod Nocturnum appellabatur, hodie vero Matutinum dicitur; & qua hora incipi soleret.

NOcturnum Officium ita appellatum est, quia noctu recitabatur. *Vigiliæ* quoque dicitur, quia populis dormientibus, qui Officium recitabant, vigilias agere censebantur; atque hoc *Vigiliarum* nomen defunctorum Officio ad hanc diem reliquum fuit; ejus enim Nocturni *vigiliæ* appellantur. Solet autem plerumque Officium hoc *Matutinum* appellari, quia Laudibus conjunctum est, quæ mane recitari solebant: *Matutinæ Laudes*. Hodie vero nostris moribus Matutinum dicitur, quod Officium hoc, quod ubique noctu peragebatur, a nullo fere Clericorum alio, quam matutino tempore recitari soleat.

Inter omnes Officii horas, nocturna in tota vetustate celeberrima est. Vetustissimi Christianorum, vel ipsis Gentilibus testantibus, eam sanctissime servabant. Sic Plinius Junior ep. 75. l. 1. & Lucianus in Dialogis: *Ad hymnos vota nocte decantantes, vigilantes*. Amianus Marcellinus: *Qui die festo Christiani ritus in Ecclesia pernoctabant*. Lactantius moris hujus rationem reddit in hæc verba: *Nocte vigilias elaboramus propter adventum Regis ac Dei nostri* l. 7. c. 19.

Nihil frequentius apud veteres Ecclesiasticos Scriptores occurit, quam Christianorum vigiliarum mentio. Concilium Eliberitanum, mulieribus eas primum interdixit, nequid incommodi eveniret. Nos rectius existimavimus, ait Concilium istud can. 35. jubere ne mulieres noctes in Cœmiteriis traducant, quia sæpe Orationis obtentu in gravia peccata clam incidebant. Ita S. Joannes Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Heb. populo suadens, ut noctis Officio interesset, id tamen mulieribus interdicit, jubetque eas domi manere, atque interdiu dumtaxat ad Ecclesiam venire.

Nemo autem existimet hasce vigilias, sive nocturnum Officium, ad quod populus advocabatur, quotidie peractas fuisse. Constat enim ex S. Joanne Chrysostomo, diebus tantum Dominicis solemnioribusque aliis fideles ad eas convocatos fuisse. Solebant autem præcipue ad Martyrum monumenta diebus eorum nomini sacris populi per noctem cum Clero vigilare, atque Officio, & Missæ, quæ post Nocturnos celebrabatur, interesse, fere ut nos Natalis temere post Matutinum Missam celebramus.

Quod horam spectat, qua nocturnum Officium peragebatur, non ubique eadem fuit. Advertendum est autem, apud Orientales diem in duodecim horas æquales divisum fuisse, eas ab ortu Solis usque ad occasum numerando. Id ex parabola Operarum vineæ a S. Matthæo c. 20. 6. relata intelligimus, ubi dicitur patrem familias variis horis usque ad undecimam foras exire solitum, atque opus hora duodecima, quæ diei postrema erat, absolutum fuisse. Christus quoque ait: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Hebræi, ceterique populi diem in duodecim horas eodem pacto partiebantur, idque eorum exemplo Christiani, S. Isidoro Hispalensi teste præstiterunt. Nocturnarum horarum prima a Solis occasu incipiebat, atque ita ceteræ noctis horæ proprias habebant appellationes pro earum ordine, ita ut sexta in noctis medium incideret. Nocturnæ horæ in quatuor partes divisæ erant, quarum quælibet tribus horis constabat, quibus absolutis vigiliæ in Ecclesia ad Deum orandum fiebant, juxta militiæ morem, quo nox in quatuor partes æquales dividebatur, *Vigiliarum* nomine appellatas, quod excubiæ juxta militarem disciplinam quater per noctem mutarentur, tertia quaque hora: quibus vigiles undique dispositi excubias agebant, ne de repente non providentibus hostes supervenirent. Harum vigiliarum mentio fit in Evangelio Marc. 13. *Vigilate quia nescitis quando Dominus veniat, sero, an media nocte, aut galli cantu, aut mane*. S. Marcus quoque de quarta noctis vigilia agit c. 7. 48. *Circa quartam vigiliam noctis*, quemadmodum & S. Matthæus 14. 25.

Digitized by Google

24. 25. referens Chriſtum ſuper mare ingredientem ad Apoſtolos ſuos veniſſe, *Quarta noctis vigilia*. Itaque diſcimus ex Evangelio, noctem juxta Græcorum, & Romanorum morem in quatuor vigilias diſtributam fuiſſe. In veteri autem Teſtamento ante Ezechiæ tempora nulla fit horarum mentio; de illo vero Iſ. 38. legitur, promiſſum ei a Deo fuiſſe, Solis umbram, quæ decem gradibus in Achazi horologio deſcenderat, decem gradibus retrogreſuram, ſive Solem decem horarum ſpatio iter ſuum remoraturum. S. Lucas vero, qui ſecundæ, & tertiæ vigiliæ tantum meminit cap. 12. primam ſupponit, quartam vero non excludit. Quare tenenda eſt diviſio S. Matthæi, & S. Marci. In eo vero difficultas tantum eſt, quod S. Marcus galli cantum a noctis medio diſtinguat: *An media nocte, an Galli cantu*. Conſtat ex veteſtis Romanis ordinibus id promiſcue uſurpatum fuiſſe, atque matutinum, ad Galli cantum, vel ad noctis medium recitare, eodem ſenſu ab iis acceptum: *Die Dominico ad vigilias in primo Galli cantu*, quod ſingulis feriis, ſingulisque feſtis adſcriptum eſt. Vigiliæ ad Galli cantum, ſive noctis medio ſemper recitatæ ſunt, quæ cauſa eſt, cur in aliis Romanis ordinibus, *media nocte* legamus. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 59. ad pop. Antioch. de Officio agens, quod ætate ſua ſub noctis medium recitabatur, horam demonſtrare volens, ait, initium illi dandum ad Galli cantum; moreſque Monachorum deſcribens refert, Præpoſitum ad Galli cantum, ſolum pede ferire ſolitum, ut eos excitaret, & mox Pſalmis canendis initium factum. *Galli cantu continuo Præpoſitus aſſiſtit*. In Regula Abbatis Iſaiæ cap. 57. atque in Regula S. Baſilii cap. 37. tempus illud noctis medium appellatur; *Media nocte*; atque in Regula S. Columbani cap. 7. Carthuſiani duabus horis ante noctis medium incipiunt; S. Benedictus vero duabus poſt mediam noctem horis, ſurgendum eſſe præcipit hora, quam ipſe vocat octava: *Modice amplius de media nocte, ut digeſti alacres ſurgant ad vigilias hora noctis octava.*

Veteres Monachi non omnes eadem noctis hora ſurgebant; quidam enim ipſa media nocte excitabantur, quales iis ſunt, quorum meminit S. Joannes Chryſoſtomus. S. Baſilius jubet, ſuos ter per noctem laudes Deo canere, ſcilicet ineunte, media, atque exeunte nocte. Palladius refert, Ammonii Diſcipulos, noctes totas orando traduxiſſe ſtantes modo, & modo ſedentes; quo vero horam cognoſcerent, qua ſurgendum eſſet, Galli cantum ſequebantur, vel ſtellarum ortum; Horologiorum enim inventum recentius eſt, atque aquas primum inſtituta fuere. Ut Monachi e ſomno expergefierent, pede impellebantur, vel verſiculus cantabatur, vel januam malleo feriebant, aut crepitaculo ſtrepitum edebant, vel ſonitum Nola excitabant.

Ut ad Romanos mores circa Matutini horam redeamus, hæc in veteſtis Romanis ordinibus reperiuntur. Solemn oribus diebus, quibus duplex Officium recitabatur, prima Matutini pars, prima noctis hora, ſcilicet poſt Solis occaſum decantabatur: *In initio, ſeu crepuſculo noctis*; ſecunda vero *ad primum Galli cantum*. Iis vero diebus, quibus unicum Officium erat, decernitur ad Galli cantum ſemper eſſe recitandum, hoc tantum diſcrimine, quod tribus ante Paſcha diebus, id media nocte eſſet peragendum: *Ad vigilias mediæ noctis*; quibus verbis diſcrimen aliquod innuitur inter noctis medium, & Galli cantum, atque hunc primum Galli cantum poſt noctis medium fuiſſe, ea fortaſſis hora, quam S. Benedictus octavam vocat, nos vero Galli ſecundam. Inde quoque colligitur veterem morem Matutinum ad noctis medium recitandi, ſolis tantum tribus ante Paſcha diebus ſervatum fuiſſe; Conſtat enim ex Amalario ejus ætate, Matutinum e veteris horæ poſſeſſione detruſum fuiſſe, neque amplius media nocte recitatum, cum adnotaverit verſiculum, *Media nocte ſurgebam*, in aliud, *quoniam illuminas*, mutatum fuiſſe, poſtquam mos Matutinum media nocte recitandi intermiſſus fuit, quod fortaſſe poſt S. Benedictum factum eſt, ejuſque exemplo hujus Officii

Digitized by Google

ficii hora in aliud tempus mutata, quomodo Chrodogangus fecit in ſua Regula pro Canonicis Metenſibus, qui ut hora octava ſurgant, tantum præſcribit. Hac ergo ratione in pluribus Eccleſiis Officium ſenſim quatuor, vel quinque horis ſerius peractum eſt, quemadmodum Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis id fieri permiſit in ſuis ſtatutis anno 1503. *ut loco mediæ noctis mane circa quartam, & quintam horam nocturnum celebraretur Officium*. In ſola vero Cathedrali Pariſienſi vetus mos, Matutinum media nocte recitandi ſemper ſervatus fuit.

Affirmare tamen poſſumus per primum Galli cantum Romæ noctis medium intellectum fuiſſe; quod ex prima Natalis Miſſa conjicimus, mediæ noctis Miſſa appellata, quæ dicitur etiam: *Miſſa ad primum Galli cantum*, ſive *in Galli cantu*, quæ ipſa media nocte incipit. Animadvertendum etiam eſt horas duas poſt mediam noctem in Regula S. Benedicti demonſtratas, non univerſe ab illo Ordine ſervari; ſunt enim Monaſteria plura, præcipue Sacrarum Virginum, quæ media nocte conſurgunt. Pariſiis Matutinum media nocte recitatur in Monaſteriis S. Victoris, Montis Martii, Cœleſtinorum, atque Virginum Dei, ac præterea in quatuor Mendicantium Eccleſiis. Juxta veteres S. Germani Pratenſis mores æſtate Matutinum media nocte dicebatur ab Encæniorum die vigeſima prima, ſcilicet Aprilis, uſque ad vigeſimam octavam Auguſti, atque hyeme hora poſt mediam noctem ſecunda.

CAP. XXIV.

De tribus Nocturnis Officii Nocturni.

PRincipio unicus erat Nocturnus in noctis officio, conſtabatque duodecim Pſalmis, quemadmodum ad hanc diem ferialibus diebus, atque in primo Dominicæ Nocturno fieri ſolet.

Verum cum Dominica dies tota Deo colendo, atque laudando ſacra eſſe debeat, cœperunt Monachi noctem orando tranſigere. Caſſianus l. 3. c. 3. docet, Ægyptios tribus diverſis noctis temporibus diebus Dominicis oraſſe, quibus opus facere non licebat; contra vero diebus reliquis, quibus opus faciebant, ſemel tantum per noctem orabant: *Eas noctes in partitis diſtinguunt officiis*. Poſt aliquot Pſalmos decantatos tres Lectiones perlegebant, idque tribus diverſis temporibus per noctem repetebant, quæ res tres noſtros Dominicæ Nocturnos aperte demonſtrat. Apud S. Cæſarium Arelatenſem c. 21. videmus, trium Lectionum loco, quæ feriarum diebus recitabantur, diebus Dominicis duplo plures ſcilicet ſex perlectas fuiſſe: *Omni Dominica ſex Miſſas facite*. S. Columbanus in ſua Regula ſatis ſignificat, quam longum eſſet officium nocturnum Dominicæ diei, quod tribus intervallis triginta ſex Pſalmi, atque duodecim Antiphonæ recitarentur. Id quoque quam ſimillimum tribus noſtris Nocturnis eſt, quorum ſinguli 12. Pſalmis conſtant, idque per ætatem tantum; hyeme vero 75. Pſalmi, & 25. Antiphonæ dicebantur. S. Benedictus diebus Dominicis matutinum uſque ad Auroram protrahi curabat, atque duorum Nocturnorum, & duarum Lectionum loco, quæ ferialibus diebus recitari ſolebant, die Dominica tres Nocturni, 12. Lectiones, atque totidem Reſponſoria recitabantur. S. Fructuoſus in ſua Regula c. 3. jubet tres Nocturnos, ſinguliſque Nocturnis 12 Pſalmos, cum tribus Lectionibus ad primum, quatuor vero, & totidem Reſponſoriis ad ſecundum recitari. Primus Nocturnus paulo ante mediam noctem abſolvebatur; alterum media nocte, tertium deinde ad ſecundum Galli cantum, ſcilicet circa horam ſecundam recitabant. Ex vita S. Sabæ videre licet, in ejus Monaſterio totam Dominicæ noctem orando tranſactam fuiſſe.

Itaque Dominicæ officium ubique longius erat, quam ceteris diebus, quod Romæ ad Matutinum, & ad Primam ſervatum eſt

Ad Dominicæ exemplum feſtorum

oſſi-

Digitized by Google

officio tres Nocturni tributi fuere ; ſeu tres nocturni Dominicis atque feſtis diebus nocturno officio tributi ſunt, ut ſacris illis diebus nocturnum officium diurno, quod tribus horis conſtat, ſimile efficeretur. *Hora diurna, Tertia, Sexta, & Nona*, quemadmodum innuit Caſſianus, referens, Monachos tribus diverſis noctis temporibus die Dominica orâſſe, interdiu vero quater conveniſſe, ſcilicet hora Tertia, Sexta, Nona, & Veſpere ; contra vero diebus illis, quibus opus fiebat, ſemel tantum per diem, atque ſemel per noctem orabant. Tres Nocturni iſti, qui tria diverſa noctis officia conſtituebant, in Monaſteriis majori pietatis ardore ferventibus, diverſis horis, quemadmodum in diurnis fieri ſolet, recitabantur ; conjuncti vero fuere, atque continenter recitati, quod nimis arduum ſit ter per noctem cubitum concedere, atque totidem vicibus ſurgere. Singuli autem Nocturni paulo longiores erant, qualis hodie primus eſt, ut totum ſpatium atque intervallum tribus illis officiis deſtinatum occuparent. Hæc eſt Amalarii l. 4. c. 9. ſententia, affirmatque tres Nocturnos inſtitutos fuiſſe, ut tribus vigiliis, ſive noctis ſtationibus reſponderent, quibus ad orandum ſurgendum erat, quemadmodum & interdiu Tertia, Sexta, & Nona hora tribus diverſis intervallis oramus : *Habrant finem tres ſtationes vigiliarum per quas ternas horas diviſæ, & exercitatæ ſunt, & in quarta oriente Lucifero*. Laudes quarta erant noctis hora ſub lucis ortum, Veſperæ vero quarta diei hora ad Solis occaſum. Hi Nocturni vigiliæ appellantur, atque tribus vigiliis juxta veterem numerandi rationem recitabantur. *Prima vigilia, ſecunda vigilia, & tertia vigilia*. ss. Patres Laicos aliquando hortabantur, ut ſæpius per noctem ſurgerent ad concinendas Deo Laudes : Sæpe etiam nocte lecto ſurgendum eſt, Deuſque laudandus, ad ſimilitudinem Angelorum, quos vigilantes vocamus, inquit s. Clemens Alexandrinus in Pædag. c. 9. s. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium ei ſuadet, ut bis vel ter noctu ad orandum ſurgat : *Noctibus bis terve ſurgendum*. S. Baſilius in Reg. c. 37. horum trium temporum meminit, ſcilicet Veſperi, mediæ noctis, atque horæ antelucanæ : *Primis ſe impedientibus tenebris ſequitur petitio, ut quies, quam ſumus capturi . . . . tempore mediæ noctis traditum a Paulo, & Scila, & ante diluculum ad orationem ſurgendum eſt*. Intelligimus igitur ex locis iſtis, tres nocturnos illos non continenter recitatos fuiſſe, ſed per intervalla, ut diei horæ. Supereſt autem ad hanc diem veſtigium aliquod trium nocturnorum diviſionis, quod poſt ſingulos nocturnos thus ardens circumferatur, quaſi nova officia eſſent ; atque in quibuſdam vetuſtis ordinariis veluti Novioduni ad ſingulos officii Defunctorum nocturnos Campana ſignum edendum erat. Senone Nocturnorum ſigna ſucceſſive eduntur, ſecundi ad finem primi, & tertii ad finem ſecundi. Ad poſtremum cujuſvis Nocturni *Gloria Patri* conſurgunt, quaſi abeundum eſſet, atque Choro exeundum ; ad cæterorum vero Reſponſoriorum *Gloria Patri* Feſtis ſolemnibus non adſurgunt.

Dominicis dumtaxat, atque præcipuis Feſtis tres Nocturni dicebantur, atque hæc feſta olim exiguo numero erant ; quæ ratio eſt, cur trium Nocturnorum officia minus frequentia eſſent, quam poſtquam noctu ter, atque etiam ſemel ſurgere ceſſatum eſt ; eaque de cauſſa nullo negotio tres Nocturni pleriſque feſtis tributi fuere.

In quibuſdam Eccleſiis tot chori, quot erant Nocturni, inſtituebantur, ut per vices ſingulis officiis his intereſſent, *ſe mutantibus Clericis*, quemadmodum ait Scriptor Vitæ S. Germani Pariſienſis de hujus Eccleſiæ Clericis ; verum plerumque iidem erant, qui ad ſingulos Nocturnos ſurgebant.

Legimus in Carthuſianorum ſtatutis a Guigone conſcriptis cap. 9. eos inter ſingulos Nocturnos ſeptem pſalmos Pœnitentiales recitaſſe, vel alias quaſdam non breviores preces, ut inter Nocturnos intervallum notaretur. *Facto poſt Nocturnos intervallo, quod ad plus ſeptem Pœnitentiales pſalmos capere valeat*. Juxta nova vero ipſorum ſtatuta duabus horis

horis ante noctis medium conſurgunt, atque inter ſingulos Nocturnos trium horæ quadrantum, vel horæ integræ intervallum habent, atque per id tempus ſingillatim Beatæ Virginis, vel Defunctorum officium recitant, vel cuidam alteri pietatis operi vacant.

CAP. XXV.

De peculiaribus precibus, quæ Divinum Officium præcedunt, qualia ſunt Crucis ſignum, Pater, Ave, & Credo.

OLim officium a Pſalmodia incipiebat; quemadmodum tribus diebus ante Paſcha ſervatur, quæ forma eſt veteris officii recitandi rationis; quidquid autem Pſalmodiam præcedit, poſtea ſuperadditum eſt.

Chriſtiani omni ævo, cum alicujus momenti opus inciperent, Crucis ſigno utebantur, teſte Tertulliano de Corona Milit. cap. 3. verum non ſemper Trinitatis invocatio *in nomine Patris* addita fuit. Ad hanc quoque diem Romano ritu ſigno Crucis ſignamur incipientes primam antiphonam officii trium ante Paſcha dierum, atque per anni curriculum ſignamur, dicentes: *Domine labia mea aperies* ad Matutinum, vel *Deus in adjutorium*. Regula Abbatis Grimoaldi pro Recluſis dici jubet *Deus in adjutorium*, atque interea crucis ſignum fieri, quando e lecto ſurgitur: *Ad curſum cum feſtinatione ſurgentes ſignum Crucis fronti referatur, ſimulque ſub ſilentio dicatur: Deus in adjutorium meum intende.* Signum vero hoc fronti dumtaxat imprimebatur, atque inde profectus eſt mos crucis ſignum ad os faciendi, cum dicitur *Domine labia mea aperies*, ad horarum vero, cum dicitur, *Deus in adjutorium*. In concordia Regularum S. Dunſtani, atque in Conſtitutionibus Monaſticis pro ordine S. Benedicti hæc leguntur: *Nocturnis horis, cum de lectulo ſurrexit Frater, primum ſignum Crucis imprimat ſibi per invocationem Sanctæ Trinitatis, deinde dicat Domine labia.* At in ordinario Carthuſianorum ad officii initium nulla fit mentio ſigni crucis.

Oratio Dominica ſemper officio inſerta fuit: eſt enim ea nobis a Chriſto tradita, atque ab illo, ut eam recitemus, nobis præceptum, quare in publicis precibus eam omitti fas non erat. Concilium Toletanum quartum an. 633. can. 12. eos coarguit, qui Dominicis diebus eam orationem non recitant, adducitque teſtimonia S. Cypriani, S. Hilarii, & S. Auguſtini, quibus comprobare vult, eam quotidie recitandam eſſe; moſque ille adeo neceſſarius reputabatur, ut Clericos exauctoraturum minitetur, qui in officio, ſeu publice, ſeu ſingillatim quotidie eam recitare neglexerint. Ex quo loco conficitur jam ſuum clericos officium ſingillatim recitaſſe.

Sane de Orationis Dominicæ officio Divino inſerendæ neceſſitate idem dici poteſt, quod S. Gregorius l. 7. ep. 64. de Miſſa agens ſcribebat, parum decere, ut in ſacrificio preces a viris doctis compoſitæ recitentur, illa vero, quam Chriſtus ipſe compoſuit, omittatur. Joannes Diaconus in officii deſcriptione, quod in Eccleſia Lateranenſi Romæ peragebatur, advertit, juxta Apoſtolorum inſtitutionem omnibus retro ſæculis ibi illa Eccleſia ſervatam, Orationis, vel collectæ loco ad Officii finem Oratione Dominicam recitatam fuiſſe: *Reſervans Apoſtolicam inſtitutionem nonniſi Dominica in Officiis utitur oratione.*

Hodie *Pater* recitatur ad Officii initium, medium, & finem, modo alta, modo ſubmiſſa voce. Concilium Gerundenſe anno 517. jubet can. 10. Epiſcopum quotidie Orationem Dominicam poſt Matutinum, & Veſperas alta voce recitare, quod & Benedictini ſervant, atque ſancti Benedicti Regula ſtatutum eſt, eaque ratione diu in Eccleſia Lateranenſi Romæ recitata fuit.

Nullum antiquitatis monumentum extat, quod *Pater* ante Officium recitandum ſignificet; Monachi enim primi id uſurparunt, nullumque ejus rei veſtigium invenitur ante librum conſuetudinum Ciſtercienſium, ubi hæc habentur

Digitized by Google

bentur cap. 68. *Demiſſo officii ſigno orationem ſuper miſericordias faciunt, ideſt, Pater noſter, & Credo in Deum, antequam verſum, Deus in adiutorium decantent.* Id vero in nulla Monaſtica Regula X. XI. vel XII. ſæculi occurrit, neque in Breviario Montis Caſſini XI. ſæculi, neque in Veteribus conſuetudinibus cluniacenſibus; ubique enim officio initium datur illis verbis: *Deus in adjutorium.*

Sed poſtquam *Pater* ante officium recitari conſuevit, conſtitutiones videre eſt, quæ illud cum aliis precibus ter recitari jubeant, legimuſque, Monachos ante officium omnia Eccleſiæ Altaria percurriſſe, atque coram ſingulis *Pater* recitaſſe, quæ res aliquando Officii initium morabatur. Verum hujus generis ſupplicationes, atque pietatis opera abolita fuere, ſtatutumque fuit, ut ſuo quiſque loco in choro eas preces recitaret, dum celebrans Officium inciperet. Hinc in Carthuſianorum Rubricis facultas datur *Pater*, & *Ave* ter ante Matutinum recitandi inclinato corpore, vel flexis genibus: *Ad matutinas omni tempore ter Pater, & ter Ave permittimus, deinde Deus in adjutorium.* Alii Monachi dicebant, *Pater de Cœli, Deus, miſerere nobis*, fronti crucem imprimentes; *Fili Redemptor* ori, & *Spiritus Sancte Deus* pectori id ſignum imprimentes.

Pius V. Papa, *Pater ſecreto* ante Officium in Romano Breviario recitari primus juſſit, atque etiam *Ave*, & *Credo*.

Quod *Ave* ſpectat, in S. Gregorii Sacramentario primum occurrit, in Eccleſiæ officio ad Offertorium Miſſæ quartæ Dominicæ Adventus; ſed verba Angeli tantum complectitur, eſtque potius Antiphona, quam Oratio. Nullus quoque eorum Scriptorum, qui Fideles ad preces quaſdam perſolvendas hortati ſunt, ejus rei meminit, atque ad XI. uſque ſæculum concilia, & Patres ſymboli tantum, & Orationis Dominicæ meminerunt, quæ a populis diſci, & quotidie recitari ſuadebant. Concilium Forojulienſe anno 795. jubet, ut *Symbolum, & Orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat*. Concilium Moguntinum anno 813. jejunia aliaque pœnitentiæ opera illis imponit, qui ſymbolum, & Orationem Dominicam addiſcere neglexerint. Caroli Magni capitularia lib. 6. c. 71. Parochis mandant, ut populos admoneant, ſymbolum, & Orationem Dominicam eos ſcire debere, ut ſalutem conſequi poſſint; atque ut omnis excuſationis occaſio populis tolleretur, Paſtoribus demandatur, ut palam alta atque diſtincta voce Oratio Dominica, Symbolum, & Decalogus pronuncientur, ut qui ea ignorant, ſæpius repeti audientes addiſcant. In pluribus etiam aliis conciliis nulla fit *Ave* mentio; neque in Regulis pro Fratribus Laicis, ſive Templariis, pro Carmelitis, atque Fratribus Minoribus aliud præcipitur, quam certus *Pater* numerus, pro iis, qui majus officium non recitabunt.

Occurrit tamen *Ave* in minori B. V. officio ad Invitatorium apud Petrum Damianum Opuſc. 33. inter preces vero populo præſcriptas primum invenitur apud Odonem de Solliaco Epiſcopum Pariſienſem in ſuis conſtitutionibus ſive Statutis an. 1195. *Exhortentur populum ſemper Presbyteri ad dicendam orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem Angelicam B. Mariæ Virginis.* Poſt ea vero tempora ſæpius in conciliis inculcatur, in Exonienſi an. 1287. aliiſque. In Statutis Lingonenſibus an. 1404. decretum eſt, ut ſingulis Dominicis in concione cum *Pater*, & *Credo* recitetur, ut eam populi diſcant, atque alte memoriæ imprimant: *Dicant alta, & intelligibili voce Pater noſter, Ave Maria, & Credo in Deum.* Concilium Bituricenſe anno 1584. jubet, ut *omnis Chriſtianus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, Decalogum perdiſcat.* Mediolanenſe V. præcipit omnibus confeſſionis Miniſtris, ut a Pœnitentibus ſuis Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, atque Symbolum recitari curent. Tractu vero temporis adeo Salutationis uſus invaluit, ut recitantibus Indulgentiæ conceſſæ fuerint. Ter quoque per diem *Angelus Domini* inſtitutum fuit, Roſaria, & corollæ in B. Virginis honorem approbatæ, adjectaque *Pater* in Regu-

Digitized by Google

lis pro Fratribus Laicis, præcipue cum Hæretici, vel Novatores Fidelium pietatem ergà B. V. infirmare conati sunt. Inter ceteros enim Valdenſium errores ille numerabatur, quod *Ave Maria* tejicerent; ejus ſectæ Miniſtri in confeſſione *Ave Maria* pœnitentiæ loco non imponebant, atque ubi quis eos internoſcere volebat, an *Ave Maria* recitarent, ex iis quæri ſolebat, quemadmodum Hiſtoria refert tom. 4. Biblioth. Patr. *Hac de cauſſa Magiſtri eorum non injungunt ſuis confitentibus, Ave Maria, nec etiam ipſis, quam credentes eorum dicunt Ave Maria.*

Urbanus IV. Angeli verbis addidit: *fructus ventris tui Jeſus Chriſtus, Amen.*

Additamentum *Sancta Maria* in nulla precum Formula ante annum 1508. reperitur: tunc vero uſurpari cœptum, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, Amen.* Franciſcani addiderunt poſtea, *& in hora mortis noſtræ*, atque ita in Breviario anni 1515. legitur, eaque de cauſſa Cardinalis S. Crucis, qui Franciſcanus fuerat, Breviario ſuo inſeruit, Piuſque Papa V. *Ave*, & *Sancta* cum Franciſcanorum additamento Romano Breviario inſeri voluit.

Hæc ſunt, quæ de *Ave*, atque *Sancta* conſtanter affirmari poſſunt, quidquid ſcripſerit Baronius ad an. 431. qui *Sancta* a Concilio Epheſino compoſitum fuiſſe exiſtimavit. Verum ejus rei nulla ſatis valida auctoritas produci poteſt, neque Libellus de *Ritibus Baptiſmi* nomen Severi Patriarchæ Alexandrini præferens, fidem ullam meretur, ad cujus finem hæc oratio reperitur; nullus enim inter Alexandrinos Patriarchas Severus appellatus fuit, quæ ratio eſt, cur in quibuſdam codicibus manu exaratis Severo Antiocheno tribuatur. At Veteres, qui Severi Antiocheni operum meminere, Libri de Baptiſmate mentionem non faciunt. Addendum eſt etiam, *Ave* tam frequenter uſurpatum inde fuiſſe, ut non tantum ad Officii, ſed & concionum exordia adhiberetur, quod in pluribus Italiæ, & Germaniæ locis adhuc fieri ſolet; in Gallia vero ad Exordii finem: *dicitur Ave Maria in principio Sermonis*, ait Amelius in ſuo Ordine Romano 15. ſæculi.

Statutum quoque eſt, ut Clerici genua flecterent, cum *Ave Maria* in Officio recitari accidat; atque ita Romæ fit ad Hymnum *Ave maris Stella*, in aliis vero Eccleſiis Clerus conſurgens ad Altare ſe convertit, quoties pro Antiphona, vel pro Reſponſorio *Ave Maria* decantatur. Concilium Budenſe an. 1279. hunc canonem edidit: *Volumus, quod omnes Clerici, quoties in Divinis Officiis AVE MARIA audierint, flexis genibus ſe reverenter inclinent.* Can. 13.

In libro de Baptiſmate Severo Alexandrino tributo oratio hæc ita eſt concepta; *Pax tibi Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui eſt in utero ſolus Chriſtus. Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus. Amen.*

Quod ſymbolum Apoſtolorum ſpectat, ex veteri Fidelium more *Quotidie antelucanis horis recitandum eſt*, juxta S. Ambroſium de Veland. Virgin. Apud S. Auguſtinum quoque hom. 5. inter 50 hæc habentur. *Quotidie dicitis quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum.* Theodorus Lector adfirmat, Timotheum Conſtantinopolitanum ad Synaxes ſingulas ſymbolum recitari curaſſe.

Noſtra vero Officia illud peculiare habent, quod ter, atque tribus diverſis temporibus recitetur, ante Nocturnos ſcilicet, Primam, atque ad Completorii finem, ſubmiſſaque ſemper voce. In precibus Primæ, atque Completorii duo poſtremi Articuli *carnis reſurrectionem* alta voce dumtaxat proferuntur. Ut vero moris hujus rationem intelligamus, ſciendum eſt, olim totum alta voce in precibus Primæ, & Completorii recitatum fuiſſe. Rubrica vero, quæ ſubmiſſa voce *Pater*, *Ave*, & *Credo* ad Officii initium, atque finem recitari jubet, indicat additamenta hæc eſſe poſtremis hiſce temporibus facta; ea enim, quæ ad Officium ſpectant, ſemper alta voce prolata fuere. Oratio Dominica, atque ſymbolum adhuc ad Miſſam canuntur, atque velut pars Lyturgiæ habentur. *Pater* clara voce a Monachis ad Laudem, & Veſperarum finem

reci-

Digitized by Google

recitatur. Symbolum S. Athanasii singulis Dominicis canitur tamquam publici Officii pars. Ut ergo vetustatis aliqua ratio haberetur, atque a Veteri Officio distingueretur, cum novitiæ hæ *Pater*, & *Credo* repetitiones invectæ fuere, statutum fuit, *ut secreto* pronunciarentur. S. Thomas 2. 2. quæst. 9. ad 6. aliam hujus rei rationem reddit; proponens enim sibi, cur symbolum ad Missam alta voce recitetur, submissa vero ad Officium, respondet, id factum fuisse, quia fides sub Ecclesiæ exordia clam annuntiata fuit, eodemque pacto ad mundi finem Antichristi ævo esse annuntiandam. Hinc, ait ipse, ad Primam, quæ Solis ortu Ecclesiæ incunabula repræsentat, atque ad Completorium, quod mundi finem exhibet, submissa voce recitantur. Missæ vero tempus illius est figura, quo Evangelium palam est annuntiatum, eaque de causa symbolum canitur. Qualiscumque demum sit hæc S. Thomæ mystica, vel allegorica explicatio, inde saltem discimus Sancti Thomæ ætate symbolum ad Primam, & Completorium recitari solitum: *Initio diei, & in fine diei Symbolum dicitur*; id decantatum non fuisse, quomodo ad Missam fieri mos est; præterea vero neque ante Officii initium, neque post finem recitatum fuisse; id enim Pius V. fieri mandavit. Videntur *Pater*, *Ave*, & *Credo* Laicorum preces fuisse, easque Clerici, & Monachi fingillatim ante publicum Officium dicenda assumpsisse.

CAPUT XXVI.

De Origine Precum Domine labia, Deus in adjutorium. Gloria Patri *ad Psalmorum finem*, Amen, & Alleluja.

COncilium Aquisgranense anni 816. de precibus istis hæc habet: *Nocturnis horis cum ad opus Divinum surrexeris Clericus, primum signum sibi Sanctæ Crucis imponat per invocationem Sanctæ Trinitatis, deinde dicat versum, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adjutorium meum . . . . totum cum Gloria Patri . . . . & ad Oratorium festinet, dicendo Psalmum Ad te levavi animam.* Hinc omnia hæc ad Officium non pertinebant, cum antequam in chorum perveniretur, absolverentur. Idem mos commendatur in Regula Chrodogangi. Quare preces hæ pars Officii non erant, quod ad hanc diem servatur in officio Defunctorum, atque tribus ante Paschæ diebus, sacraque Epiphaniæ die. Preces hæ in Regulis Monachorum dumtaxat inveniuntur. Regula enim Grimoaldi, atque Magistri idem, quod Concilium Aquisgranense præscribunt. In quibusdam Monasteriis Religiosi viri erant, qui tam longas preces ante Officium peragebant, ut illæ interdicendæ ipsis fuerint, quemadmodum inter ceteros fecit Abbas S. Theodorici Carthusianis Montis Dei, quia *in præveniendis Nocturnis vigiliis non expedit multitudine Psalmorum obtundere intellectum, & exhaurire spiritum, vel extinguere*. Tract. de Vita Solit.

Oratio, Deus in adjutorium a S. Benedicto proficiscitur, qui primus in Officium eam invexit ad Monachorum exemplum, quorum meminit Cassianus Collat. 2. apud quem Abbas Paphnutius jubet, ut singulis momentis, atque in omnibus vitæ actibus brevem hanc Psalmi Orationem recitent, *Deus in adjutorium meum*; quare S. Benedictus id singulis Officii Horis usurpavit, atque ab eo Ecclesia Romana, hoc tantum discrimine, quod S. Benedictus ad Matutinum collocet, *Deus in adjutorium* ante *Domine labia mea*, Romæ vero a *Domine labia mea aperies*, initium fiat. Magistri Regula cap. 44. initium quoque facit a *Domine labia*, & reliqua *versus apertionis* appellantur, inde enim Deus laudari incipit, rogaturque, ut labia nostra aperiat ad laudes suas canendas; aitque, Abbatem hunc versiculum canere debere, quia ipse Officium incipere debet: *Oportet in Nocturnis ab Abbate dici versum apertionis: Domine labia mea*. Animadvertit quoque, dum versiculus ille profertur, ori Crucis signum imprimendum esse.

Psalmus *Deus in adjutorium* totus recitabatur, quemadmodum ex Concilio

Aquiſgranenſi videre eſt. Poſtea vero primus tantum verſiculus cum *Gloria Patri*, & *Amen* ſervatus eſt, quæ ad Pſalmi finem dicebantur ſimul cum *Alleluja*; quemadmodum etiam ad Miſſæ introitum, Offertorium, atque communionem verſiculus tantum Pſalmi ſervatus eſt, qui olim totus recitabatur: Ad introitum vero, atque ad *Deus in adiutorium*, *Gloria Patri* adhuc recitatur.

Satis diu eſt, quod Officio Romano, *Domine labia*, & *Deus in adiutorium* inſerta ſunt, quia Amalarius l. 4. cap. 9. utriuſque meminit. Videtur quoque innuere *Gloria Patri* additum fuiſſe ad *Domine labia*, non vero ad *Deus in adiutorium*, quemadmodum hodie fit. Valafridus Strabo, affirmat Romæ Officia omnia incipere a *Deus in adiutorium* excepto Defunctorum, atque majoris hebdomadæ Officio.

Gloria Patri, quod poſt *Deus in adjutorium* ſequitur, relationem habet ad Pſalmum illum, qui totus olim decantabatur, & ad cujus finem, veluti ad ceterorum Pſalmorum exitum *Gloria Patri* dici ſoleret, licet valde difficile ſit tempus deſignare, quo mos iſte inceperit propter adverſas ſibi invicem Scriptorum, qui hac de re egerunt, ſententias.

Si fides habenda ſit veteribus Officiorum Eccleſiaſticorum Scriptoribus, præcipue Valafrido Straboni de rebus Eccl. c. 5. Damaſus Papa id in Occidente invexit ad Orientalium imitationem, S. Hieronymo ſuadente. Verum id Epiſtola falſo S. Hieronymo tributa dumtaxat innititur, quæ S. Hieronymum perhibet, Pontifici auctorem fuiſſe, ut *Gloria Patri* ad finem omnium Pſalmorum cani curaret, quemadmodum in Concilio Niczno ſtatutum fuerat, atque in Oriente ſervabatur. Verum narratio hæc nullo fatis certo fundamento nititur; nullibi enim Canon iſte Nicæni Concilii in veteribus monumentis occurrit, neque Scriptor quiſpiam ritus illius meminit. Quod vero morem Orientalium Eccleſiarum attinet, Caſſianus, qui quinquaginta prope annis ante S. Hieronymum floruit, lib. 1. Inſtit. c. 9. affirmat, nuſquam ſe id in Oriente, ſed dumtaxat in Occidente ſervari vidiſſe: *Illud quod in hac Provincia videmus, ut uno canente in clauſula Pſalmi, omnes adſtantes concinant cum clamore*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *numquam per Orientem audivimus*.

Conſtat ex S. Baſilio lib. de Spir. S. c. 5. & ſeq. Doxologiam iſtam ejus ætate uſu valde receptam fuiſſe, atque cum ad ſermonum ſuorum finem dixiſſet *Gloria Patri, & Filio cum Spiritu Sancto*, non vero ut alii *in Spiritu Sancto*, ob mutationem iſtam multos conqueſtos fuiſſe; atque hinc anſam arripuiſſe Librum ſuum de Spiritu Sancto ad Amphilochium ſcribendi; ubi notandum ait, illos qui diverſis vocibus in glorificandis Patre, Filio, & Spiritu Sancto uti volebant, id dumtaxat feciſſe, ut diſſimilitudinem, atque inæqualitatem trium perſonarum Trinitatis comprobarent. Poſtea vero formulam ſuam *cum Sancto Spiritu* tuetur, noviciam non eſſe, eaque Eccleſiam uti, ut Majeſtatem Divinæ Naturæ demonſtraret. Illis vero, qui Scripturam ea voce *cum Spiritu S.* numquam uſam fuiſſe contendebant, reſpondet in Scripturis pariter non extare alteram *Gloria Patri per Filium unicum cum Spiritu Sancto*; præterea vero particulam *in* idem ſignificare hoc loco, atque particulam *cum*; Patres vero particula *cum* uſos fuiſſe, quod aptiſſima eſſet Arii, & Sabellii erroribus confutandis, atque quod in ſiniſtram interpretationem minus flecti poſſet. Attamen ſe formulæ huic pertinaciter addictum non eſſe, dummodo Spiritui Sancto gloria reddatur. Probat deinde, Doxologiam iſtam primis Eccleſiæ temporibus receptam fuiſſe; traditamque nobis eſſe ab Apoſtolis, quod evincit teſtimoniis S. Clementis Romani, S. Irenæi, S. Dionyſii Romani, S. Dionyſii Alexandrini, Euſebii Cæſarienſis, Origenis, Africani, Athenogenis, Gregorii Thaumaturgi, Firmiliani, Meletii, atque omnium Orientalium, qui eumdem morem ſervabant. Id Baronii ſententiæ favet, qui ad an. 304. exiſtimavit, laudem iſtam ab Apoſtolis profectam fuiſſe, atque Jeſu Chriſti præcepto niti, qui juſſerat Baptiſmum fieri in

Digitized by Google

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti . . . . Reperire quoque eſt Gloria Patri, in Libro de Virginitate, S. Athanaſii nomen præferente: *Cum ſurrexeris amenſa, dices Miſerator . . . Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; quæ verba ſuſpicari nos faciunt, Scriptorem illum non tantum S. Athanaſio poſteriorem eſſe, verum etiam potius Latinum fuiſſe; nam Græci dicebant *Gloriacum*, vel *in Spiritu Sancto*, Latini vero dicunt, *& Spiritui Sancto*.

Gloria Patri ramquam brevis quædam fidei profeſſio adverſus Arianos habebatur. Hinc Eccleſia illo utitur ad Hymnorum, & Pſalmorum ſuorum finem, ut in Officio ſuo incœptet, quod perenniter in Cœlis fiet, glorificare ſcilicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quare in Concilio Narbonenſi anni 589. can. 2. ſtatutum eſt, *Gloria Patri* ad cujuſque Pſalmi finem eſſe dicendum, licet quoque longiores Pſalmi in plures partes divifi eſſent: *ut per quemque Pſalmorum Gloria dicatur Omnipotenti Deo . . . . per majores Pſalmos prout fuerit prolixiores pauſationes fiant, & per quemque pauſationem Gloria Trinitati Domino decantetur*. Vigilius Papa in Epiſtola ſua ad Eutherium anno 538. illos coarguit, qui particulam *&* in *Gloria Patri* amputabant inter Filium, & Spiritum Sanctum, canentes *Gloria Patri, & Filio, Spiritui Sancto*, loco *& Spiritui Sancto*. Huic igitur fundamento ſuperſtructa fortaſſe eſt epiſtola ad Damaſum S. Hieronymo ſuppoſita, quæ Pontificem hunc hortatur, ut *Gloria Patri* ad finem cujuſque Pſalmi recitari curet. *Ut vox iſta Pſallentium inſua Romana Eccleſia die noctuque canatur, & in fine Pſalmi cujuſlibet, ſive matutinis, ſive veſpertinis horis conjungi præcipue ad Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*.

Diverſa ratio, qua *Gloria Patri* tam in Oriente, quam in Occidente recitatum fuit, clariſſime oſtendit, id a Concilio Nicæno compoſitum non fuiſſe; alias enim ubique eodem pacto decantatum fuiſſet, atque nemo illud immutare, vel loco movere auſus fuiſſet; quemadmodum enim Valafridus Strabo adnotavit, Græ iomnes tum præteritorum, tum præſentium temporum dicunt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & ſemper in ſæcula ſæculorum Amen*. Eodem pacto legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 3. c. 18. Hiſpani vero dicunt, *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum Amen*. Ita enim in Concilio Toletano quarto ſtatutum eſt anno 633. can. 7. *in fine Pſalmorum Hymnus dicitur, Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. In Gallia dicebatur, ut hodie; *Gloria Patri, & Filio*, non ut Ariani *Gloria Patri per Filium*, contra quos diſputans Gregorius Turonenſis l. 6. hiſt. c. 40. oſtendit Filium eſſe Deum ſicuti Patrem, atque ideo cum ipſo glorificari; contra vero Gloriam Patri per Filium dicendo, Filio gloria auferri, quaſi ipſe glorificandus non eſſet, qui Patrem ſuum petierat, ut ſe glorificaret, quique Pater reſponderat, *& clarificavi, & iterum clarificabo*, Johann. 12. 28.

Refert Sozomenus lib. 3. c. 9. Flavianum Antiochenum primum fuiſſe, qui Gloria Patri cantari curavit. Theodoretus, Nicephorus, atque alii Scriptores ejuſdem rei auctores ſunt, Conſtantii Imperatoris ævo Flavianum, ut ſe Arianis opponeret, qui vocibus ambiguis ad glorificandum Dei Filium utebantur, quem Patre inferiorem eſſe affirmabant, cum Monachos ſui Monaſterii Antiocheni congregaſſet, primum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* præcinere cœpiſſe. Scriptorum vero iſtorum ſententia hæc fortaſſe dumtaxat eſt, Flavianum hanc Doxologiam in ſuum Monaſterium primum invexiſſe, ubi ad eam diem uſu recepta non erat. Conſtat enim ex S. Baſilio, longe ante Flaviani tempora recitatam fuiſſe: *Flavianus coetus Monachorum cæterva primus omnium clara voce cantavit Gloria Patri*.

Conciliari itaque poſſunt hunc fere in modum Scriptores iſti omnes, ſi dicamus; omnibus retro ſæculis Deum Patrem cum Filio, & Sancto Spiritu in publicis Officiis glorificatum fuiſſe, & præcipue in Liturgia, ut conſtat ex S. Ju-

Digitized by Google

Justino : *Laudem ac gratiarum actionem Patri per nomen Filii, Sanctique Spiritus offert præcipuus Frater*; at mos *Gloria Patri* ad finem cujusque Psalmi dicendi in Oriente non obtinebat, teste Cassiano, sed tantum in Occidente.

Quod *sicut erat in principio* spectat, Concilium Vasionense secundum anno 522. ejus meminit veluti additamenti jam ubique recepti : *Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam . . . . in omnibus clausulis post Gloria Patri . . . . Sicut erat in principio nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen dicitur, ita etiam nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus*. Græci, atque Hispani *Sicut erat in principio* non dicebant, quemadmodum retuli, sed tantum, *nunc, & semper*, & *in sæcula sæculorum Amen*. Existimandum est autem, Romæ, in Africa, atque in Italia *Sicut erat in principio* inseri cœpisse ad trium personarum Divinitatem clarius designandam.

Ritus *Gloria Patri* ad Psalmorum finem in Defunctorum Officio non recitandi in Concilio Aquisgranensi præscribitur an. 817.

Græci Doxologiam appellare cœperunt Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis Deo*, quia Græce a voce *Doxa*, i.e. Gloria incipit, postea eandem appellationem *Gloria Patri* tribuerunt, eo quod ab eadem voce *Doxa* pariter incipiat ; Prior Doxologia major appellata est ; altera minor dicta. Antiquissimo autem Ecclesiæ more solebat ad diei finem in Templo decantari *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Postquam vero Ariana pestis serpere cœpit, Ecclesia Catholica ritum hunc diligenter servavit ; at Ariani Doxologiam immutarunt, & canebant : *Gloria Patri per Filium unicum in S. Spiritu*. Posthæc Doxologiæ forma a priori diversa Antiochiæ exaudiri cœpit sub Leontio Patriarcha Ariano, atque cum Catholici, & Ariani ad Psalmorum, & Precum finem Doxologiam canerent, Leontius, Arianus licet, pacis studiosus Doxologiam submisse recitabat, vocem vero non extollebat, nisi ad ea verba *in sæcula sæculorum*.

Ad glorificationis & collectarum finem additur *Amen* Hebræa vox, quæ *ita est*, vel *ita fit* significat, estque comprobatio eorum, quæ dicta sunt, atque ut expleantur, desiderium. Optat scilicet Ecclesia *Amen* post *Gloria Patri* ; ut gloria a se Trinitati data, eam reapse glorificet. In Scripturis populus respondebat *Amen* in precibus, actibusque publicis : *Respondebit omnis populus & dicet Amen*. Deut. 27. quibus verbis significat populus, probare se, & rata, atque firma habere, quæ a Sacerdote dicta sunt. In Tobiæ Libro cum Gabelus oraret, ut Tobiæ juniori ejusque uxori benediceret, orationi illi omnes respondebant *Amen* : *Cum omnes dixissent Amen*. Tob. 9. 12. 8. Paulus omnes fere epistolas suas voce *Amen* claudit, qua optabat, ut Gratia Dei cum illis esset, ad quos scribebat. Christus ipse in Evangelio affirmare aliquid volens plerumque *Amen* dicebat, id est : hoc quidem verum est, haud dubio, vel, res est, ut dixi modo.

Judæorum morem, qui *Amen* Sacerdoti precanti respondebant, Christiani imitati sunt. S. Paulus testatur, populum ita respondisse gratiarum actioni. *Quomodo dicat Amen super tuam benedictionem* 1. Cor. 14. 16. Sic S. Justinus in Apologet. *Post preces totus cœtus accinit Amen*. S. Augustinus hortabatur Episcopos, ut distincte preces, quæ in Ecclesia fiunt, pronunciarent, ut populus intelligat id, cui *Amen* respondere debet : *Ut Antistites distincte orent, quatenus populus ad id quod intelligit, dicat Amen*. De catech. rud. c. 9. Tertullianus in lib. de Spectac. c. 29. de voce ista agens testatur, eam in publicis precibus adhibitam, ad communionem, atque alias sæpe pronunciatam.

Ecclesia morem respondendi *Amen* ad precum publicarum finem a Synagoga accepit. In majoribus Ecclesiis, ubi populus vocem ejus, qui preces pronunciabat, percipere non poterat, subdiaconi signum longius distitis dabatur, ut vocem extollerent, atque *Amen* responderent. Sæpe etiam precibus, quæ submissa voce fiebant, *Amen* clare respon-

ſpondebatur. Refert s. Hieronymus, clamorem, qui Romæ fiebat ad precum finem, cum *Amen* reſpondebatur, tonitruo ſimilem fuiſſe: *In ſimilitudinem Cæleſtis tonitrui Amen reboat*, Lib. 2. in ep. ad Galat. Theodoretus in 2. Cor. 2. 1. ait, Laicum, qui *Amen* reſpondet ad ſolemnium precum finem, non minus participem eſſe Orationis meriti, quam illum, qui in conventu eam pronunciaverit. S. Benedictus in Reg. c. 11. jubet, ut, *Lectione Evangelii perlecta, reſpondeant omnes Amen; Quia debent omnes ad verba Dei attendere, & ea per Amen aſſerere vera eſſe*, ait Boherius in Commentario ad hanc Regulam. Alexander de Alis, & Bolethus de *Amen*, quod poſt Evangelium dicebatur, diſſeruere, illudque probant magis, quam dicere *Deo gratias*. In Officio Mozarabico *Amen* dicitur poſt Lectiones & Evangelia.

At mos ad Pſalmorum finem illud dicendi, a Pſalmis ipſis proficiſcitur, ad quorum finem, ſi quando *fiat fiat* legitur, in Hebræo eſt *amen amen*. Ita fit: quæ res operis finem ſignificat. Hinc ad Pſalmi 71. finem poſt verba illa *Fiat, fiat*, ſcriptum eſt, eo loco Davidis Jeſſe filii cantica deſinere: *Defecerunt laudes David filii Jeſſe*. Ad Hebræorum quoque exemplum S. Paulus Epiſtolas ſuas claudens, atque s. Joannes ad Apocalypſis finem *amen* dicebant; aut demum ad Tobiæ Cantici imitationem, quod ita definit: *Sit regnum ejus in Sæcula ſeculorum amen*. En igitur *Sicut erat* in ipſis Scripturis adhibitum.

Amen ad ſermonis cujuſdam exordium pro affirmatione ſumitur: atque hoc ſenſu Chriſtus in Evangelio ait: *Amen amen dico vobis*. Ad ſermonis finem vero pro conſenſus ſive adprobationis indicio accipitur, velut ad finem Pſal. 40. atque 88. *Fiat, fiat*, ita eſt, vel ita ſit. Voces vero iſtæ fortaſſe non ſunt 150. Pſalmorum Auctoris, ſed eorum, qui eos collegerunt, atque Pſalterium in quinque libros partiti ſunt. In Apocalypſi cap. 3. *Amen* ſignificat eum, qui ipſa veritas eſt, atque certiſſimus teſtis: *Hæc dicit amen, teſtis fidelis & verus*. Hebraice enim *amen* veritatem ſignificat, ſive id quod verum eſt. Eſt autem locus ille de Chriſto intelligendus, qui merito veritas appellatur, quomodo & ipſe dixit: *Ego ſum veritas*.

Addi etiam ſolet *Alleluja*, quæ vox eſt Hebræa, in Tobiæ Libro c. 13. extans, *per vicos ejus cantabitur Alleluja*; atque eo fortaſſe reſpexit s. Joannes in ſua Apocalypſi, cum Cæleſtem Hieruſalem deſcribens c. 19. Sanctos exhibet dicentes *Alleluja*, ſalus, gloria, & potentia Deo noſtro. Auctor vitæ Propheterum, inter opera s. Epiphanii, affirmat, Aggæum Prophetam *Alleluja* decantari curaſſe, cum Templum reſtitutum conſpexit, ut impleret, quod Tobias prænuntiaverat. Videre eſt etiam *Alleluia* ad plurium Pſalmorum initium, atque finem, eaque de cauſſa *Allelujatici* appellantur, iique ſunt, qui a Pſal. 113. uſque ad Pſal. 119. leguntur.

Tradit s. Gregorius lib. 7. ep. 64. Damaſum Papam *Alleluia* in Officium auctore s. Hieronymo invexiſſe, juxta Hieroſolymitanæ Eccleſiæ morem: *Nam ut Alleluia hic diceretur de Hieroſolymorum Eccleſia & B. Hieronymi . . . . traditur traſſum*. Loquitur autem s. Gregorius de tempore poſt Paſcha, atque per anni curriculum, non vero de tempore Paſchali; tunc enim tum Romæ, tum ubique recitari ſemper conſuevit.

Alleluia vox eſt Hebræa *Laudate Dominum* ſignificans, eſtque lætitiæ ſignificatio. Cani autem non ſolebat a Septuageſima uſque ad Paſcha, quia tempus triſtitiæ eſt atque luctus. Olim quoque prima anni die cani non ſolebat, ne Profanorum ſuperſtitiones imitari videremur, ut eſt in Concilio Toletano IV. s. Hieronymus Vigilantium confutat, qui, ut ſolo Paſchatis die caneretur, volebat; unde Sozomenum falli intelligimus, dicentem, ita Romæ ſervatum fuiſſe. Idem Latinis XI. Sæculo objectum fuit a Græcis, Michaele Cerulario duce. Humbertus vero Cardinalis affirmabat canere nos *Alleluia* per totius anni curſum, novem hebdomadis ante Paſcha exceptis. S. Auguſtinus teſtatur, ætate ſua Eccleſiarum morem hac in re non ubique eumdem fuiſſe; quædam enim

enim illud non decantabant, niſi a Paſchate uſque ad Pentecoſten, aliæ vero ſæpius urebantur. S. Iſidorus lib. 1. officior. ait, in Africa cantatum fuiſſe nonniſi quinquaginta poſt Paſcha diebus, atque Dominicis; in Hiſpania vero quotidie præter Quadrageſimalis jejunii tempus. In libro vero Originum c. 19. ſcribit *Alleluia* compoſitum eſſe ex duabus vocibus Hebraicis, quæ *Laus Deo* ſignificant, & *ia* unum eſſe ex Hebraicis nominibus, quæ Deo tribuuntur. *Amen* quoque, quod interpretamur, id quidem verum eſt, Hebraicam vocem eſſe; utrumque vero *Alleluia* ſcilicet & *Amen* Eccleſiæ ſermone adeo conſecrata eſſe, ut neque Græci, neque Latini, aliæve Nationes linguis ſuis interpretari auſæ fuerint, quia Apoſtoli in ſcriptis ſuis neque illa interpretati ſunt, neque eorum vim nobis aperuerunt, ut eadem ratione loqueremur in terris, quibus Sancti gloriam Dei laudant in Cœlis: *Amen & Alleluia ſacroſancta ſunt, ut etiam Joannes referat audiſſe cœleſtes exercitus dicentium Amen & Alleluia, ac per hoc ſic in terris oportet utraque dici, ſicut in Cœlo reſonant.*

S. Hieronymus de Alleluja agens ep. 17. ait, vocem iſtam Chriſtianis adeo gratam eſſe, ut Ruſtici, atque opus facientes profanarum cantionum loco *Alleluia* decantarent, ad laboris gravitatem leniendam: Fideles præterea atque Virgines ad Divinum noctis officium *Alleluia* pronunciando advocatos fuiſſe, quæ vox horologii atque ſigni loco deſerviebat, ſtatutum precibus tempus ſignificantis. Adnotat quoque in funere s. Fabiolæ reſonaſſe Templa vocis hujus cantu, extatque revera in Miſſalis Mozarabici pro Defunctis Miſſa. Ex Actis Sanctæ Radegundæ intelligimus, idem in Gallia fieri conſueviſſe. Græci etiam in officio pro Defunctis illo utuntur; Chriſtianorum enim mors tamquam veræ vitæ per gloriam exordium habetur. Juxta Regulam s. Benedicti dicitur *Alleluia* uſque ad primam Quadrageſimæ Dominicam; ſed qui Regulam hanc ſectantur, Romanæ Eccleſiæ morem uno conſenſu poſtea ſuſceperunt.

Ægyptii Monachi plerumque Alleluja ad cujuſque Pſalmi finem cantabant, eaque de cauſſa ad Pſalmi *Deus in adiutorium*, qui totus recitabatur, finem ad hanc diem ſupereſt. Honorius Auguſtodunenſis ait lib. 4. cap. 117. Alexandrum II. Papam juſſiſſe, ut *Alleluia* in *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ* mutaretur a Septuageſima uſque ad Paſcha.

Vox *Alleluja*, ſi verbum verbo reddas, *Laudate Dominum* ſignificat; tantaque eſt Eccleſiæ erga vocem iſtam veneratio, ut eam nulla interpretatione facta in cantu, atque precibus ſervaverit. Præter interpretationem iſtam ſignificat quoque omnis generis lætas acclamationes, cumque uſu ſacra effecta ſit, lætitiæ tantum, atque Feſtorum diebus adhiberi ſolet. Latina Eccleſia ejus uſum interdicit temporibus Pœnitentiæ deſtinatis. Ajunt præterea, *Alleluja* apud Hebræos majorem longe vim habere, quam Latinæ voces hæ *Laudate Deum*, quæ hortantur tantum ad Deum laudandum, cum e contra *Alleluja* interjectio potius videatur, quam verbum, vivos ſenſus exprimens cordis, quod lætitiam, quam ſentit, comprimere non valens, foras erumpit, atque in laudis, & gaudii voces effunditur, creaturaſque omnes ad Deum laudandum invitat, & furore veluti quodam correptum exclamat: *Laudate Deum, laudetur Deus, bonum eſt enim Deum laudare.*

Eccleſia ſæpe utitur Alleluja in ſuis Officiis poſt Antiphonas, Reſponſoria, & Verſiculos, præcipue Paſchali tempore; verſiculis autem, qui precum formam referunt, veluti ad preces, Primæ, & Completorii, ad *Domine exaudi orationem meam* adjectum non fuit, quia preces neceſſitatem, atque gemitum ſignificant, quod gaudio non convenit. Extant Breviaria quædam, ubi neque Paſchali tempore ad Primæ Reſponſorium *Chriſte Fili Dei vivi*, neque ad Completorium *in manus tuas* voce *Alleluja* utuntur. Non diffitemur, *Alleluja* ferendum non eſſe poſt aliquot Antiphonas, atque Verſiculos, qui in noſtris Officiis leguntur, quemadmodum poſt: *poſuerunt adverſum me mala pro bonis*

Digitized by Google

bonis, *Alleluja*; *& odium pro dilectione*, *All*: *All*: *Mittite in dexteram navigii rete*, *& invenietis All*: *qui me spernit, spernis eum*, *qui me misit*, *All*: *si oblitus fuero tui Jerusalem*, *All*: Loca enim essent seligenda, quibus vox ista aptius conveniret.

Dici adhuc solet ad Psalmum *Deus in adjutorium*, qui totus dicitur cum *Gloria Patri*, ad Litaniarum finem sub precum initium.

CAPUT XXVII.

De Invitatorio, atque de Psalmo Venite.

INvitatorium signum est, quo Ecclesia filios suos ad Divinum Officium vocat, atque re ipsa Psalmus *Venite* est quædam invitatio. Hinc in aliis quoque Officiis præter Matutinum adhiberi solebat, cum Fidelium pietas esset excitanda. In Vita S. Porphyrii Gazzi legimus, sanctum illum virum, cum anno 430. supplicationem instituret, ad quam populum suum hortatus fuerat, psalmum *Venite exultemus Domino* cantari curavisse, populum vero ad singulos Versiculos respondisse *Alleluia*. Parasceves die cum populi invitantur ad Crucis adorationem, dicitur: *Ecce lignum . . . . . Venite adoremus*. In Magistri Regula Invitatorium appellatur Responsorium hortationis. In Officio Mozarabico, *Jussus* vocatur, quasi Tuba esset ad Deum laudandum excitans. Romæ olim nullum erat Invitatorium: quod ad hanc diem servatur tribus ante Pascha diebus, atque in Defunctorum officio. Concilium Aquisgranense anno 816. mentionem facit Psalmi *Venite*, tamquam Invitatorii, jubetque, ut in Defunctorum Officio non recitetur, alias vero graviter, & absque præcipitatione cantetur, atque ut is, qui ad Matutinum venerit post *Gloria Patri* hujus Psalmi, locum suum in Choro non obtineat, sed postremo loco esse debeat: *Quod si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi 94. quem propter hoc substrahendo, & morose volumus dici, occurrerit . . . .* Hujus Canonis verba in S. Benedicti Regulam translata sunt, quo loco ante Psalmum *Venite*, atque Invitatorium statutum est, ut Psalmus *Domine quid multiplicati sunt* recitetur, propter verba hæc, quæ de somno, atque de surgendo meminerunt, *Ego dormivi*, *& soporatus sum*, *& exsurrexi*, quæ fortasse dicebantur, cum Monachi e lecto surgerent, vel ad Chorum irent, postea vero Officio inserta fuere.

Epiphaniæ die Invitatorium Romæ hactenus non dicitur, quæ res demonstrat, tempore, quo Oratio ista Officio inserta fuit, quod fortassis nono sæculo Concilii Aquisgranensis tempore factum est, cum Matutini Psalmi pro Epiphania ea ratione, qua adhuc hodie sunt, distributi essent, Psalmusque *Venite* ad tertium Nocturnum recitaretur, satius existimatum est, eum Invitatorio illius diei non adjicere, ne idem Psalmus bis in eodem Officio repeteretur: Quare Benedictini, qui ad tertium Nocturnum cantica habent, atque Carthusiani, qui Psalmos Epiphaniæ proprios recitant, inter quos Psalmus *Venite* non habetur, eum cum Invitatorio Epiphaniæ festo decantant.

Cum Romæ Invitatorium receptum fuit, iis tantum diebus, quibus populus ad Officium convenire consueverat, primum adhibitum fuit; populi igitur gratia Matutino fuit insertum. Ex omnibus Romanis Ordinibus intelligimus, majoribus festis duo Officia nocte habita fuisse, primum in Pontificio sacello recitabatur, & cantabatur sine Invitatorio a Presbyteris sacelli Pontificii ministris. Secundæ vero vigiliæ Invitatorium habebant, quia populus illis intererat. Testatur Amalarius ætate sua Invitatorium Dominicæ dumtaxat Officio, non vero Feriali præfixum fuisse, quia plerumque populus diebus, quibus opus fit, Officio non aderat, neque ad illud invitabatur; Clerici vero, atque Monachi, qui statis sui legead id tenebantur, Invitatorio opus non habebant; Quæ res in Defunctorum Officio adhuc superest, quod Invitatorio caret, Defunctorum commemorationis die excepto, quia illa dumtaxat die populi ad orandum pro Defunctis invitantur. Patendum igitur est, Invitato-

Digitized by Google

rium a Monachis originem habere, qui hoc signo mane excitabantur, verbaque illa, ut expergefierent, annuntiabantur: *Venite adoremus Dominum*, non secus ac in Monasteriis, cum Monachis somno excitantur, vel hodie dici solet *Benedicamus Domino*. Inde Invitatorii occasione Psalmus *Venite* additus fuit, ex quo Versiculus ille *Venite adoremus* petitus est. In Magistri Regula jubetur Abbas Invitatorium dicere; cum enim Pastor sit, gregem ad laudandum Dominum invitare debet, atque Religiosos suos excitare, ut ad Officium veniant. Meminit Amalarius Supl. c. 4. moris Benedictinæ Regulæ Invitatorium ferialibus diebus sine Antiphona dicendi; recitabatur scilicet Psalmus *Venite* sine Antiphonæ repetitione: *Invitatorium diebus festivis hebdomadalibus sine modulatione Antiphonæ solet dici*.

Ad Invitatorii Antiphonam vetus antiphonas canendi ratio superstes fuit. Dicebatur primum Antiphona ante Psalmum, atque ad singulos Psalmi versiculos repetebatur: Refert enim Sozomenus l. 5. c. 20. de Psalmis agens, occasione translationis Reliquiarum S. Babilæ Antiochiæ decantatis, eos, qui melius cantum callebant, incœpisse, universum vero populum respondisse, atque ad singulos Psalmi 96. versiculos repetiisse: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*. Cantus ille intercalaris appellatur, cum Antiphona post singulos Psalmi versiculos reperitur. Lugduni, atque Viennæ ad Rhodanum Antiphona ad Canticum *Magnificat* concinitur, & post singulos versiculos repetitur. Idem Romæ fit Epiphaniæ festo ad Psalmum *Venite*, qui ad tertium Nocturnum dicitur; atque in Adventu antiphonæ, quæ ante Natale recitantur, ad *Magnificat* repeti solent. S. Athanasius Apolog. de Fuga ait, cum a Diacono suo psalmum 135. *Confitemini Domino* . . . . cantari curasset, populum ad singulorum versiculorum finem respondisse: *Quoniam in æternum misericordia ejus*. Idem Scriptores alii plures commendant, inter ceteros Concilium Aquisgranense; S. Benedictus vero in sua Regula Invitatorium lente cantari vult, ut spatium conveniendi omnibus permittatur. Radulphus Tongrensis c. 43. ait, id suo ævo adhuc servatum fuisse, *omnino prostrahendo & morose*. Consuetudines Cluniacenses, atque Cistercienses Invitatorium festis solemnibus cum cappa ante altaris gradus cantari jubent, statuuntque, ut facies erga altare convertatur, dum *Venite* canitur.

Adfirmant Judæi, Psalmum *Venite* a Moyse sub vitæ exitum compositum fuisse post eorum mortem, qui per quadraginta annos itineris per deserta loca instituti murmuraverant, quia horum quadraginta annorum mentio fit versiculo 10. ejus Psalmi. S. Paulus Hebr. 4. ℣. 7. *Hodie in David dicendo, si vocem ejus audieritis*, cum Davidis nomine allegat. Fortassis enim pervulgatam opinionem sectabatur, quæ universum Psalterium Davidi tribuit. Nonnulli vero Christiani commentariorum Scriptores eum referunt ad cæremoniam Arcæ a Domo Obededomi in Tabernaculum translatæ, quod David Sione erexerat.

Ecclesia psalmum istum recitat ad Matutini initium juxta vetus Psalterium Romanum, quod quibusdam in locis a Vulgata differt, atque licet in pluribus Breviariis, & Psalteriis juxta vulgatam sit, attamen post Pii V. tempora ubique fere juxta vetus Psalterium Romanum receptus fuit. Romæ antequam Hymni recitari solerent, Psalmus *Venite*, veluti Hymni genus habebatur. Post tertium versiculum, *super omnes Deos*, addit Psalterium Romanum, *Quoniam non repellet Dominus plebem suam*. Sanctus quoque Augustinus, & Cassiodorus ita legunt, licet neque apud 70. Interpretes, neque apud S. Hieronymum verba illa inveniantur. Versiculo quarto Vulgata ait: *Altitudines montium ipsius sunt*, Romana vero, *Altitudines montium ipse conspicit*. Versiculo 10. habet Vulgata, *Quadraginta annis offensus fui generationi*, & non *proximus* fui. Romæ Epiphaniæ festo ad tertium Nocturnum, *Venite*, juxta Vulgatam refertur, non juxta vetus Psalterium Romanum, quod ad Matutini Invitatorium tantum servatum fuit, quod & Parisiis fieri solet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

De Hymnis.

HYmnus in Scripturis accipitur pro cujuſvis generis cantico in Dei laude n inſtituto, atque pro iis omnibus, quæ in Religioſis Conventibus cantabantur. Hoc igitur ſenſu Oratio a Chriſto poſt cœnam facta Hymnus appellatur, *Hymno dicto*. Verum Hymnos proprie appellare ſolemus carmina ad Deum laudandum compoſita, atque ad leges muſicas decantanda.

Jam diu Eccleſiaſtici viri inter ſe diſputant, an Poetica iſta cantica Officio ſint inſerenda. Concilium Bracarenſe I. anno 553. can. 32. iis uti vetat, jubetque, ne publicis precibus inferatur, niſi quod ex Scripturis excerptum ſit, atque ut Poetica omnia, & quæcumque humana elucubratio excludantur. *Ut extra Pſalmos, vel Canonicarum Scripturarum veteris, & novi Teſtamenti nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur, ſicuti & Sancti præcipiunt Canones*. Verum ſæculo inſequenti Concilia Toletana hymnos cani paſſa ſunt, dummodo ab inſignibus Scriptoribus ſint compoſita. Morem iſtum confirmant Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum exemplo, qui Hymnum poſt cœnam cecinerunt, atque præterea S. Hilarii, & S. Ambroſii auctoritate, qui Hymnos compoſuerunt, a pluribus Eccleſiiis receptos, pluriumque aliorum Doctorum teſtimoniis, qui Hymnos in Dei laudem, atque in Apoſtolorum, & Martyrum honorem conſcripſerunt. Addit Concilium iſtud can. 2. cani fas eſſe in Eccleſia ea, quæ in Scripturis non extant; quemadmodum *Gloria Patri* canitur ad cujuſque Pſalmi finem, quemadmodum & *Gloria in excelſis Deo*, quod a viris doctis compoſitum fuit. Eamdem eſſe Hymnorum rationem, atque Miſſarum, Collectarum, Profarum, & Benedictionum, quæ in Miſſa leguntur, nullumque Eccleſiaſticum Officium vix futurum, ſi omnia, quæ ex Scriptura non ſunt, amputentur. Ex quibus omnibus colligit Concilium illud, reprehendendos non eſſe eos, qui Hymnos Officio inſeruerunt: *Sicut ergo Orationes, ita & Hymnos in laudem Dei compoſitos nullus veſtrum ulterius improbet*, can. 8. Concilium Toletanum VIII. anno 653. Clericum ordinari verans, qui Pſalterium, cantica, & quotidianos Hymnos ignoret, ſatis oſtendit morem Hymnos canticis in Officio conjungendi, *Pſalterium Canticorum uſualium, & Hymnorum*. Intelligimus quoque Concilia hæc Eccleſiæ Hymnis annumerare, quidquid Scriptura hoc nomine appellat, licet Hymnos illos, quorum meminit Scriptura, affirmare non poſſimus carminibus, vel rythmis, aut certo pedum numero conſtitiſſe. S. Paulus 1. Cor. 14. Coloſſ. 3. Epheſ. 5. Canticorum, & Hymnorum meminit, quos Chriſtiani in Conventibus ſuis cantabant.

Plures ex antiquis Patribus Hymnos compoſuere, ut S. Gregorius Nazianzenus, S. Hilarius, & S. Ambroſius. Poſtremi hujus Patris Hymni in pluribus Eccleſiis recepti fuere, non Mediolani tantum, ſed etiam in Hiſpania. S. Benedictus quoque eos Breviario ſuo inſeruit, atque juxta illum, Hymnum dicere eſt canere *Ambroſianum*, quo nomine Hymnos appellat. Verumtamen plures ſunt a Prudentio aliiſque veteribus Chriſtianis Poetis accepti. Romæ vero ſero Hymni cani cœperunt; neque enim ullos videre eſt apud Amalarium, neque in ullis Romanis Ordinibus, ne in illo quidem quod Benedictus Canonicus S. Petri Guidoni de Caſtello inſcripſit, qui poſtea Pontifex fuit anno 1143. & Cœleſtinus ſecundus appellatus fuit; ibi enim nulla fit Hymnorum in Officiis, quæ deſcribit, mentio. Honorius Auguſtodunenſis, atque Hugo de S. Victore de Hymnis agunt, fortaſſe Gregorii Septimi, qui Monachus fuerat, tempore. Hinc diſcimus poſt duodecimum dumtaxat ſæculum Hymnos infertos fuiſſe. Radulphus Tongrenſis pleroſque eorum, qui ætate ſua dicebantur, refert, iidemque fere ſunt cum illis, qui hodie recitantur, ita ut nemo negare poſſit per ea tempora, decimo quarto ſcilicet

ſæculo, Hymnos Breviario inſertos fuiſſe. Conjicimus autem, id ab Haimone Franciſcanorum Generali præſtitum fuiſſe, cum Romanum officium Gregorio annuente anno 1240. recognovit. Sunt & nonnulli poſteriorum Scriptorum, ut Venantii Fortunati, Rabani, Strabonis, Joannis Diaconi, s. Bernardi, atque s. Thomæ in Officio Corporis Chriſti. Tandem ſi prioribus ſæculis Hymni aliqui in Breviario Romano fuere, conſtanter tamen adfirmandum eſt, duodecimo ſæculo nullos in Eccleſia s. Petri recitatos fuiſſe, atque cum Ulricus in conſuetudinibus cluniacenſibus Hymnorum Romanæ Eccleſiæ meminit, de ſingularium aliarum Eccleſiarum Hymnis agere voluiſſe. Lugduni vero atque Viennæ nulli ad hanc diem, niſi ad completorium recitantur. Pariſiis quoque haud dudum accepti fuere; in prima ſiquidem Breviarii editione 1492. excuſa nulli leguntur. Nulli quoque Hymni apud Græcos extant, neque apud veteres Orientis Monachos, cum Caſſianus eorum non meminerit, quemadmodum nec in Oriente Regulæ s. Columbani, s. Iſidori, s. Fructuoſi, neque Magiſtri, & Donati Regulæ. Prima illorum mentio fit in Gallia in s. Cæſarii, atque s. Aureliani Regulis tantum, atque in Italia in Regula s. Benedicti, qui eos ab Eccleſiæ Mediolanenſis moribus acceperat, ubi Hymni a s. Ambroſio compoſiti, fortaſſis canebantur, eaque de cauſa Hymnus a s. Benedicto Ambroſianum appellatur. Diſcimus ex Amalario in ſupplem. s. Benedictum, *conſuetum morem S. Ambroſii in nonnullis Eccleſiaſticis elegiſſe*. In Hiſpania Hymni s. Ambroſii, & s. Hilarii recitabantur, quemadmodum eos a conciliis Toletanis commendatos vidimus. Hymni ante Pſalmos dici ſolent horis omnibus, Veſperis, Laudibus, & Completorio exceptis; Unde intelligimus quidquid Pſalmos præcedit pro novitiis addiramentis habendum eſſe, quia olim officium a Pſalmis incipiebat. Fortaſſis etiam dici tantum ſolebant ad Laudes, & ad Veſperas, eaque ratio eſt, cur ſingulis majoris momenti feſtis mutari ſoleant ad duas illas horas.

Cum potiſſima Romani Breviarii Hymnorum pars circa dimenſiones metri & numeri leges peccaret, Urbanus VIII. Pontifex bonarum litterarum, & præcipue latinæ Poeſeos ſtudioſus, atque inter ſui ſæculi illuſtriores Poetas connumerandos, Hymnos iſtos emendari atque emandatos Breviario inſeri curavit. Pontifex iſte emendationi huic faciendæ viros plures, quemadmodum ipſe ait in ſua conſtitutione, adhibuit. *Juſſu noſtro aliquos eruditi viri ſuam ſerio curam contulerunt*; atque velut in decreto quodam Congregationis rituum legitur: *Idem facere coguntur, qui juſſu Domini noſtri Urbani VIII. ſacros Hymnos emendarunt*. Quibus ex verbis intelligimus Pontificem illum, licet Poeſeos laude excelleret, ipſum tamen eam emendationem non feciſſe, tribuique illi ſolent Hymni dumtaxat s. Bibianæ, s. Martinæ, & s. Eliſabethæ Luſitanicæ. Nonnulli de mutatione iſta conqueſti ſunt, affirmantque, Hymnos illos, ut ad Poeſeos, & Latinæ linguæ leges exigerentur, veterem ſimplicitatem a niſiſſe, atque pietatis vim, quam undique ſpirabant, penitus enervatam: *acceſſit latinitas, & receſſit pietas*. S. Ambroſius de Hymnis ſuis ajebat lib. 2. in Luc. *Negligere verba debemus, penſare myſteria*. Idem S. Bernardus ait in Epiſtola ſua ad Guidonem Montiramenſem, atque ad ejus Monaſterii Religioſos, qui ab eo petierant, ut lectiones & Hymnos componeret, quos legere & cantare poſſent die S. Victori ſacro, cujus oſſa in ſua Eccleſia quieſcere putabantur. Profitetur autem S. Bernardus ep. 311. non audere ſe opus viribus ſuis majus ſuſcipere, quod virum requirit majori auctoritate, vitæ ſanctitate, atque ſtyli ſublimiori præditum. Agens poſtea de illis, qui ad Hymnos componendos apti ſunt, eligendos ait, viros ſtyli ſublimitate, & vitæ ſanctitate præſtantes: *Eloquii dignitas, & auctoris*; de ſe vero loquens, atque de Hymnis ſuis, ait; *Hymnum compoſui, metri negligens, ut ſenſui non deeſſem ... ſenſus verborum non debet cedere verſui, ſed verſus ſenſui, ut ſenſum litera non excuſet, ſed ſecundet*. S. Gregorius dicere

cere quoque ſolebat, indignam rem eſſe, divinorum oraculorum verba Grammaticorum regulis ſubjicere . . . . *ipſam artem ſervare deſpexi, indignum enim vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis Oraculi reſtringam ſub regulis Donati*, Præfat. Moral. c. 57. In Romani Breviarii Hymnorum emendatione nongentos quinquaginta, & amplius circa metrum errores ſublatos fuiſſe ferunt, quæ res locum dedit Urbano VIII. dicendi: *Patres inchoaſſe potius Hymnos, quam perfeciſſe*.

S. Auguſtinus S. Ambroſii nomine allegat Hymnum *Deus Creator omnium, Polique Rector veſtiens*, atque l. 9. Confeſſ. cap. 12. *Æterne rerum Conditor*, *Noctem diemque qui regis*, l. 1. Retractationum cap. 21. *Jam ſurgis hora tertia qua Chriſtus aſcendit Crucem*; l. *de nat. & grat.* c. 62. Sunt & alii ex noſtris Hymnis, quos Caſſiodorus S. Ambroſio tribuit.

Henricus Valeſius acerrimam cenſuram tulit de horum Hymnorum emendatione, eoſque peſſime compoſitos, atque adverſus communem hominum ſenſum depravatos exiſtimat. Famianus Strada, Tarquinius Gallucius, & Hieronymus Petruccius, Jeſuitæ omnes, emendationi huic præfuerunt. Conſtat autem pauca eos circa ſententias immutaſſe, atque veteres cum emendatis conferenti, vix aliud diſcrimen occurret præter variam dimenſionem, atque loquendi rationem. Theophilus Raynaudus plurimi facit illorum emendationem Tom. 2. Quod Hymnorum delectum ſpectat, ratio habenda eſt vetuſtatis, atque antiquorum auctorum præferendi, eligendique aptius compoſiti; novitii vero penitus excludendi, cum probe conſcripti non ſint; præfetri autem præſertim debent qui perſpicuis verbis conſtant, atque piis animi motibus excitandis inſerviunt, nulloque negotio ab omnibus percipi poſſunt, ſacraque unctione redundant.

CAPUT XXIX.

De Pſalmis, ſive de Pſalmodia in Divino Officio.

PSalmodia omni ævo potiſſimam officii Divini partem conſtituit, atque hodie etiam horæ omnes certo Pſalmorum numero conſtant. Cum enim Eccleſia Synagogam per Pſalmos Deum laudare ſolitam vidiſſet, eos quoque ſibi familiares habendos cenſuit; tantoque libentius iis uſa eſt, quod, cum nemo Deum plene cognoſcere poſſit, nemoque præter Deum ipſum ſatis pro dignitate eum laudare queat, ipſius eſt, rationem, qua ſit laudandus, nos edoceare. Hinc numquam falli poterimus, preces illas ad eum fundentes, quas ipſe hominibus inſpiravit, ut in ſui laudem recitarentur: *Quia in Pſalmis laudavit ſe Deus, ideo invenit homo, quem ad modum laudares Deum.*

Pſalmorum Liber inſcriptus eſt *Liber Hymnorum vel Laudum*, quia maxima illorum pars de Divinis laudibus agit. Græci *Pſalmos* appellarunt, quia cantus muſicorum inſtrumentorum ſono conjungebatur.

Juxta omnium calculum Pſalmi CL. numerantur; at Hebræi Pſalmum nonum *Confitebor* in duas partes dividunt, atque pro duobus reputant, decimo initium dantes a v. 22. *ut quid Domine recceſſiſti longe*; atque ad Pſalmum uſque 113. *In exitu Iſraël*, eorum numeri a noſtris, atque a Græcis differunt, uno Pſalmo ſemper nos ſuperantes, ita ut qui nobis eſt 19. ipſis ſit 20. Pſalmum vero 113. in duos partiuntur eo loco *Non nobis Domine*, atque ita Latinorum & Græcorum 114. Hebræis eſt 116. Verum & ipſi Pſal. 114. *Dilexi quoniam exaudiet*, & 115. *Credidi* ſimul conjungunt, & Pſal. 146. *Lauda Dominum quoniam bonus*, cum 147. *Lauda Jeruſalem*, ex quibus unicum conſtituunt, quare cum vulgata circa ſummam conveniunt. Proteſtantes Judæorum diviſionem plerumque amplectuntur, Catholici vero Septuaginta Interpretum partitionem ſequuntur.

Pſal-

Digitized by Google

Pſalmi ſunt vetuſtum quoddam Poeſeos genus, ut in Religioſis Conventibus cantarentur inſtituti, atque deſtinati. Hæc ipſa obſcuritatis ipſorum cauſſa, quod fere Poeticis ſcriptis, Lyricis præcipue evenire ſolet, ut proſa oratione ſint obſcuriora. Poeta enim repentinis motibus abripi ſe ſinit, utiturque audacioribus figuris, atque libertate Poeſeos peculiari, ad opus juxta dimenſionis vel rythmi leges elaborandum. Quare Homeri, Virgilii, atque Horatii poemata, Ciceronis & Demoſthenis ſcriptis explicatu difficiliora habentur. Græcorum præterea & Orientalium Poeſis majori licentia atque audacia gaudet, quam Latinorum. Hinc tot translatitiæ voces, & figuratæ locutiones, quibus Pſalmi ſcatent, tempora promiſcue uſurpata, conjunctiones prætermiſſæ, atque frequentes argumenti mutationes efficiunt, ut Pſalmorum Liber omnium univerſæ Scripturæ codicum plane obſcuriſſimus ſit. Fatendum eſt tamen obſcuriorem longe fuiſſe ante J. Chriſti adventum, qui lucem iis maximam attulit; eſt enim ipſe unica illorum intelligendorum regula.

Dictum eſt a me Pſalmos compoſitos fuiſſe, ut in Templo decantarentur. Poſtquam David carmen aliquod compoſuerat, ſolebat illud ad Aſaph mittere, quem Scriptura Prov. 16. 7. & 24. appellat Prophetam ad Regis manum, ut muſicis modis illos aptaret, atque in Templo cani curaret a ſuorum Cantorum agmine. Cum vero David muſices eſſet perſtudioſus, pſallebat ipſe, atque in Templo canebat, modoſque invenire ſciebat pro piis carminibus a ſe conſcriptis.

Pſalmi Hebraice conſcripti fuere; omnium vero verſionum vetuſtiſſima eſt Septuaginta Seniorum interpretatio, ceteræque omnes Latinæ, ipſaque vulgata, ex Græca iſta Septuaginta Interpretum expreſſæ fuere. Horum interpretationi ſuccedit Aquilæ verſio, qui verbum verbo reddidit; poſt hanc vero Theodotionis, aliorumque.

Valde credibile eſt Latinam Pſalmorum Verſionem ex veteri illa Septuaginta Interpretum expreſſam fuiſſe; antequam ab Origene recenſeretur, cum ante Origenem in Latinis Eccleſiis verſio quædam eſſet; verum illa, quæ hodie utimur, non ea eſt, quam S. Hilarius, S. Ambroſius, & S. Auguſtinus citant; utuntur enim ſæpe locutionibus aliis, quam Vulgata, atque ſæpe etiam ab ea recedunt.

Veroſimillimum quoque eſt, primam Latinam Scripturæ interpretationem Romæ factam fuiſſe; cum enim innumeri Judæi ante Chriſtianæ Religionis exordia in Urbe eſſent, Scripturam vel Hebraice, vel Græce legebant; Græca enim lingua Romanis perquam familiaris erat. At cum Romani Chriſti fidem amplexi ſunt, Scriptura ex Græca in ipſorum linguam converſa fuit, ab ipſo uſque Apoſtolorum ſæculo, univerſaque Latina Eccleſia hac Pſalmorum verſione uſa eſt, uſque ad S. Hieronymi interpretationem. Tanta autem eſt verſionis hujus vetuſtas, ut auctorem ejus, atque tempus quo facta eſt, ignoremus. Illud tantum conſtat. Apoſtolorum tempore, ex Græco expreſſam fuiſſe, illaque univerſam Latinam Eccleſiam, Romanam præcipue in publico Officio uſam uſque ad Pii V. tempora, qui Romæ vulgatam emendari curavit, atque veterem Italicam in Eccleſia tantum S. Petri, atque aliquot aliis in locis ſervari voluit. Complura ejus loca ſuperſunt adhuc in Introitu, in Gradualibus, in Antiphonis, quæ vulgatæ emendatæ non reſpondent, quia ex Pſalterio Romano petita ſunt, quod Romæ XV. ſæculorum ſpatio uſurpatum fuerat.

Vetus hæc Latina Verſio, Italica appellata, ut nihil diſſimulemus, parum ſane puritatem illam ſermonis redolet, quæ Romæ primo Chriſtiano ſæculo obtinebat. Unica enim Apoſtolorum, & vetuſtiſſimorum Chriſtianorum cura erat, fideliter ſententias reddere, non emendato ſtylo uti: *Loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus*, ait S. Paulus 1. Cor. 11. Primi illi Interpretes fortaſſis peregrini erant, qui caſtigare latina lingua ſcribere neſcirent. S. Hieronymus Damaſo

maſo Papa petente circa annum 382. ut veterem Pſalmorum editionem juxta Græcum 70. Interpretum exemplar emendaret, quia ſæpe animadverſum erat, eam ab exemplari ſuo quandoque recedere; *curſim*, ut ipſe ait in Epiſtola ad S. Paulam, in id incubuit, neque poſtremam manum imponere voluit. Editio hæc Romæ recepta fuit, atque uſu Eccleſiarum comprobata. At populi, qui veteri Italicæ aſſueverant, eas confundentes tot mendis repleverunt, ut ipſe Bethlehemi exiſtens circa annum 384. oracus fuerit, ut novæ latinæ verſioni juxta 70. exemplar inſudaret. S. Paula, & S. Euſtochium id a S. Hieronymo petierunt, quod ipſe ſatis feliciter præſtitit; paulo enim poſt aliam Pſalmorum Interpretationem aggreſſus eſt, atque vero *iuillimium* eſt, eandem illam eſſe, quam nos Vulgatam appellamus, de qua eſt a Tridentino Concilio, ut pro authentica habeatur, pronunciatum; atque præterea cum nonnulla menda in poſtremam hanc verſionem poſt S. Hieronymum irrepſiſſent, ut emendaretur demandatum. Quare Vulgata noſtra revera vetus Italica non eſt, quæ ante S. Hieronymum obtinebat, neque nova Latina interpretatio ab eodem Sancto facta, ſed utriuſque commixtio. Hæc res occaſionem dedit dupliciis generis Pſalteria diſtinguendi, unum juxta 70 alterum juxta S. Hieronymum. Valafridus Strabo ait de ritib. Eccleſ. cap. 25. Romæ Pſalmos juxta 70. legi ſolitos; at in Galliæ, & Germaniæ Eccleſiis S. Hieronymi emendationem receptam eſſe: *Romani adhuc habent Pſalmos ſecundum 70. Interpretes, Galli, & Germani ſecundum emendationem, quam S. Hieronymus Paſer de 70. Interpretum editione compoſuit.* Ait quoque, a Gregorio Turonenſi, S. Hieronymi Pſalterium ex Græco 70. redditum Romæ in Gallam allatum fuiſſe. Ex his videre eſt duo Pſalteria, unum Romæ receptum, alterum in Gallia, utrumque ex interpretatione 70. expreſſum; primum vero emendatum dumtaxat, alterum autem omnino a S. Hieronymo converſum: *Quam Hieronymus de 70. Editione compoſuit.* Berno Augienſis de Pſalterio quodam agit in Epiſt. ad Megingr. ex Græco in Latinum a S. Hieronymo converſo, quod in Gallia, & Germania obtinebat, *Romani adhuc ex corrupta vulgata editione Pſalterium canentibus.* Quare Pſalmorum vulgata verſio, qua hodie utimur, non eſt vetus Italica, ſive vulgata ante S. Hieronymi tempora, ubique uſu recepta, ſed converſio alia a S. Hieronymo Bethleemi facta; atque hoc eſt vetus Gallicanum Pſalterium in Gallia a Gregorii Turonenſis ætate uſurpatum, juxta Valafridi Strabonis Epocham. At Strabonis narratio non uſque adeo dubio vacat; eſt enim Bernonis Augienſis ſententia, ipſum Sanctum Hieronymum Pſalterium in Galliam miſiſſe; alii vero opinati ſunt, S. Bonifacium Moguntinum Galliæ, & Germaniæ Eccleſiis illud tradidiſſe circa annum 750. Theodulphus Aurelianenſis de quodam Pſalterio in Gallia pervulgato loquitur, recitatque ex eo loca aliquot eadem pacto, quo in noſtris Bibliis leguntur. Antiphonæ vero, Reſponſoria, & nonnulli Introitus Romæ in Galliam allati fuere ſub Pipini Regno, atque Pauli Papæ Pontificatu; quibus fit, ut Pſalterium, & Antiphonarium iſtud eodem fere tempore recepta fuerint.

5 Romanum Pſalterium a Pio V. Romæ abolitum, adhuc perdurat in Vaticana Eccleſia, atque præterea in Mediolanenſi, & Venetæ S. Marci, licet nonnullo inter ſe diſcrimine; alibi vero ubique Vulgata recepta eſt; in nonnullis pariter Toletanæ Urbis in Hiſpania Eccleſiis Pſalterium Romanum canitur. Apud quamplures majori in pretio habetur Pſalterium Gallicanum, licet ipſum quoque a mendis omnino immune non ſit, quod verſion m omnium ſit accuratiſſima. Quod ſi aliquando ab Hebræo diſcedit, id fortaſſe evenit, vel quod aliquando Græcum exemplar corruptum fuerit, vel quod ex Hebræo expreſſum non ſit, ſed ex 70. interpretatione, ita ut non noſtrati, ſed Græcæ verſioni diſcrimina hæc ſint imputanda.

Quod vero Valafridus Strabo ait, Gre-

Gregorium Turonenſem verſionem Romæ receptam in Galliam invexiſſe, id mihi vero ſimile non fit, quod Epiſcopus ille locis, quæ ex Scriptura recitat, verſionem in Gallia pervulgatam non ſequatur. Atque ut unicum exemplum in medium afferamus, cum verſiculos 18. 19. Pſalmi 72. recitat, ita habet lib. 5. hiſt. c. 14. *Verumtamen propter doloſitatem poſuiſti eis mala*; in Pſalterio vero Gallicano legitur: *Verumtamen propter dolos diſpoſuiſti eis mala*. Legebatur etiam: *Perierunt propter iniquitias ſuas*; in Pſalterio vero Sancti Hieronymi habebatur, *Propter injuſtitiam ſuam*. Verſio itaque S. Hieronymi Gregorii Turonenſis ætate in Gallia recepta non erat; quare Bonifacii potius Moguntini tempore per Galliam, atque Germaniam Pſalterium, juxta S. Hieronymi interpretationem pervulgatum fuit.

In vita S. Valafridi Epiſcopi Eboracenſis anno 709. habetur, eum aboleri juſſiſſe interpretationem Pſalmorum S. Hieronymi, quæ ad illam diem in Anglia perfecta fuerat, atque Pſalmodiam peragi juxta verſionem Romæ receptam curaſſe: *Pſalmos quos ſecundum Hieronymum legerat more Romanorum, juxta 70. editionem memorialiter tranſmutavit*. Thomaſius duo hæc Pſalteria in lucem edidit ſub Pſalterii Gallicani, & Pſalterii Italici nomine, ex quibus diſcrimina, quæ intercedunt, ſpectari poſſunt.

Quod numerum Pſalmorum attinet, qui in Officio recitari ſolebant, nonnulli plures, alii pauciores, præcipue in Nocturno Officio, decantabant. Refert Caſſianus, Angelum Orientis ſolitarios hortatum fuiſſe, ut 12. Pſalmos recitarent. Chrodegangi Regula ejus, qui choro præſidet, arbitrio, quot Pſalmi ſint decantandi, permittit; conſtatque aliquando 40. vel 50. per noctem decantatos fuiſſe. Hinc Officium per ea tempora certam adhuc formam, velut hodie non habebat; Regula enim S. Benedicti Abbatem prudenter dijudicare vult, quot Pſalmi ſingulis Officiis ſint recitandi. Oriebatur etiam aliquando inter Orientales contentio, quis plures Pſalmos canendo percurreret.

Habemus ex Sanctorum Vitis, plures eorum univerſum Pſalterium quotidie recitaſſe. S. Benedictus vero ſtatuit, ut ſingulis hebdomadis abſolveretur; Pſalmoſque ita diſtribuit, ut per hebdomadam omnes recitarentur. Concilium Aquiſgranenſe anno 816. præcipit can. 70. ut verſiculorum diviſio ſervetur: *ut Pſalmi ſecundum diviſiones verſuum modulentur*. Si Pſalmos æque longiores eſſe accideret, religioni non ducebant eos in duas, vel tres partes ſecare, ut attentius recitari poſſent, neque ſolliciti erant de magno numero Pſalmorum celeriter decantando, ait Caſſianus l. 2. c. 12. ſed potius, ut eos magna cum attentione recitarent.

Amalarius quoque ait lib. 4. Offic. longiores Pſalmos diviſos fuiſſe, quemadmodum ſolemus ad Pſalmum *Beati immaculati*, qui in 24. partes diviſus eſt, ſolemnioribus diebus exceptis, cum Pſalmi affinitatem aliquam habebant cum dierum illorum hiſtoriis, velut Natali *Miſericordias Domini*, Pentecoſte, *Exſurgat*, Natalis Vigilia *Audite Cæli*, tunc enim Pſalmi non ſecabantur. *Quæ diviſio Pſalmorum non debet eſſe in proprietatibus Solemnitatum*. Juxta Romanum morem Dominicis diebus decem, & octo Pſalmi nocte recitantur, 12. ad Feriale Officium, novem autem Feſtis diebus 9. Lectiones habentibus. Capitulum *in die* Diſt. 5. *de Conſecratione* Decretum hoc Gregorio VII. Papæ tribuit.

Pſalmodia potiſſima ſemper fuit Chriſtianarum precum pars, quod in id ſemper intenti fuerint, ut e Scriptura peterent preces ad Deum fundendas, eumque laudarent, ea ratione, quam Spiritus Sanctus divinitus inſpiravit. Ea de cauſa per omnes orbis plagas Eccleſia diei, & noctis Officium ex Pſalmis compoſuit, Deum Eſther verbis alloquens: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo*. Eſt. 14. Complures etiam Pſalterium totum quotidie recitabant. Vide vitam S. Patritii Hiberniæ Apoſtoli, S. Gregorium lib. 4. Dial. ubi de S. Merulo agit.

Poſt Davidis tempora ad noſtram uſque

que ætatem Pſalmi piarum animarum delitiæ fuere tam in Synagoga, quam in Eccleſia. Lex autem ubique fere vigebat, ut Eccleſiaſtici, & Monachi Pſalterium memoriæ mandarent: Pſalmorum liber, Hebraice *liber Hymnorum*, ſive *Laudum* appellatur. Græci *Pſalterion*, ſive Pſalmorum librum appellant; eſt autem Pſalterion Muſicum inſtrumentum a Græco *Pſallo*, quod fidibus ludere ſignificat.

Hebræi Pſalterium in 5. libros dividunt, atque S. Ambroſius eos refutat, qui diviſionem iſtam agnoſcere nolebant, quod Scriptura Pſalterii tamquam unici libri meminerit. Attamen S. Hilarius, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus pro unico tanrum libro habent. Partitio iſta Pſalterii in 5. libros myſticis rationibus comprobatur a S. Gregorio Nazianzeno in *Pſalmum primum*. S. Hilarius exiſtimat, Pſalterium collectionem eſſe Pſalmorum diſperſorum, quos Eſdras in unicum volumen digeſſit; olim Pſalterium primò quotidie recitabatur. S. Benedictus vero, qui aliam Pſalmorum diſtributionem fieri ſinit a ſua quoque diverſam, præcipit tamen, ut quocumque modo Pſalmi dividantur, ſingulis hebdomadis Pſalterium univerſum abſolvatur. *Omnimodis his attendatur, ut omni hebdomadæ Pſalterium ex integro numero 150. Pſalmorum pſallatur* Reg. 1 c. 18. Poſtrema vero noſtrorum temporum Concilia veluti Remenſe anno 560. id ipſum adnotarunt; *a primæva Breviarii inſtitutione, id antiqui Patres voluiſſe videntur, ut ſingulis hebdomadis totum Pſalterium pſallatur.*

CAP. XXX.

De Antiphonis, & Reſponſoriis.

ANtiphonæ ita appellantur a Græca voce *Antiphonein*, quod canere, vel canentis voci reſpondere ſignificat. Hoc ſenſu Pſalmorum verſiculi, qui ordine per Choros alternos canuntur, Antiphonæ appellari poſſunt; id tamen aptius convenit brevibus Reſponſoriis minorum horarum.

Hodie Antiphonæ appellatio Pſalmi verſiculum indicat, qui ab utroque choro canitur ad finem Pſalmi, vocis modum ab ea accepientis: *Antiphona*, ait Amalarius lib. 4. c. 7. *inchoatur ab uno unius Chori, & ad ejus ſymphoniam Pſalmus cantatur per duos Choros, ipſa enim, ideſt Antiphona, coniunguntur ſimul duo Chori*. Hinc diſcimus Antiphonam Pſalmo vocis modum tribuere; *Ad Antiphonæ ſymphoniam*, quod indicio eſt totam antæ, & poſt Pſalmum cani ſolitam fuiſſe in omnibus Officiis, etiam ferialibus, quomodo quotidie fit ad Invitatorium, & cum Pſalmi initium Antiphonæ loco eſt, ut *Dixit Dominus* ad Dominicæ Veſperas.

Romæ enim ad Pſalmorum finem nullæ erant Antiphonæ, quod & hodie ſervatur ad minores horas trium, ante Paſcha diem, quibus *Alleluia* tantum dicebatur, ut in Paſchatis hebdomada fit, atque ad *Deus in adiutorium*, quod cuique Officio præmittitur, & olim totum recitabatur, atque ad ejus finem *Alleluia*. Alleluja autem ad Pſalmorum finem apud Caſſianum quoque occurrit. Ægyptii Monachi canebant illud ad duodecimi Pſalmi finem: *meris eſt inibi ſedentibus ſanctis ab uno dici Pſalmum cæteris vel audientibus, vel reſpondentibus*. Reſponſorium autem illud *Alleluja* erat: 12. *Pſalmum ſub Alleluia reſponſione conſumant*. Poſtquam cantus alternis choris inſtitutus eſt, excerptæ a Pſalmis fuere breves quædam preces, ſive ſententiæ ad leges muſicas decantandæ, atque juxta harum cantum, modos varios Pſalmi accipiebant. S. Gregorius Papa Antiphonis hiſce, atque earum cantui inſtituendo operam dedit, librumque componi curavit, Antiphonarium appellarum.

Antiphonæ iſtæ, ſive breviores preces ad ſingulos Pſalmi verſiculos repetebantur, præcipue ad *Magnificat*, & *Benedictus*; idque hodie ad Inviratorium ſervatur, quod ad ſingulos verſiculos Pſalmi *Venite* repetebatur, poſtea vero ad initium, & finem Pſalmi tantum repeti conſuerunt, ut Romæ fit in majori-

bus horis Festorum duplicium, vel ante, & post *Gloria Patri*, quomodo fit ad Missæ introitum, quare longe ante Festorum Duplicium ritum institutum Antiphonæ bis recitabantur, scilicet ante, & post Psalmum.

Vetus mos non solum duplicandi, sed etiam triplicandi Antiphonas servatur in Adventu ad O, quod ante Magnificat canitur, atque ante *Gloria Patri*, & post *Sicut erat*. In Breviario Romano quodam Venetiis anno 1549. excuso Antiphona ad Laudes pro Adventus commemoratione S. Thomæ die, *Nolite timere* dicitur sub initium, deinde *Gloria Patri*, atque repetitur ante, & post *sicut erat*.

Amalarius de repetitione Antiphonarum ad singulos Psalmi versiculos Feriarum diebus, hæc habet cap. 3. *Ex sensu Antiphonis quæ vicissim Chori per singulos versus repetunt*. Refert Vita S. Odonis Cluniacensis in Sæcul. Bened. ad protrahendum S. Martini officium, cujus Antiphonæ breves erant, & quod hyems esset, qua noctes longiores sunt, atque vigiliæ ea de causa longiores esse debent, Antiphonas eum ad singulos Psalmorum versiculos repeti curavisse, ut noctis Officium ad lucis usque ortum duraret: *Quia ejusdem Officii Antiphonæ breves sunt, & ejus temporis longiores noctes, volentes Officium ad lucem usque protendere, unamquamque antiphonam per singulos psalmorum versus repetendo canebant*. Cum autem Antiphonæ ad vocis modum Psalmis dandum solummodo institutæ sint; ea ratio est, quod nullæ sint in minoribus horis trium ante Paschа dierum, quia recitari tantum, non cani solent. Nullæ quoque habentur iisdem horis per Paschatis hebdomadam, quia earum cantus nihil aliud fere est, quam mera psalmodia. Primis Ecclesiæ sæculis unicus tantum Psalmos canebat, cujus rei vestigium adhuc supereſt, quod Psalmi initium a bunico, qui ceteris præcinit, decantatur.

Cantorum munus erat Antiphonas præcinere, atque Psalmis vocis modum dare. Romæ olim septem Cantores erant, qui Chorum unum componebant *Scholæ Cantorum* appellatum. Clerici hi erant, neque Presbyteri, neque Diaconi, sed ut plurimum Subdiaconi, quomodo S. Gregorius adnotavit. Cantores hi Antiphonam canebant, atque *Primicerius* horum cantorum, primus cantui initium dabat; alter post hunc *Secundarius* dicebatur, atque ita porro reliqui. Archidiaconi autem erat, eos, qui præcinere debebant, designare.

Nullibi in tota antiquitate occurrit, Presbyteros, vel etiam Diaconos Antiphonas præcinuisse; inferiores enim Clerici huic rei intenti erant, ut patet ex S. Gregorio, cujus verba referuntur in cap. *In S. Romana Ecclesia*, dist. 92. idque Romæ ad hanc diem servatur, exceptis diebus illis, quibus Papa ipse rem Divinam facit; Ceteris vero licet ipse Officio intereſſet, vel etiam Cardinales, soli dumtaxat Cantores Antiphonas præcinunt. *Clerici Antiphonas cantantes*, juxta Durandi observationem, *non vertunt vultus ad Altare, sed se ad invicem versi vultibus respiciunt*.

Discimus ex Amalario Metensis Ecclesiæ Diacono, quale fuerit Romanum Antiphonarium octavo sæculo, cujus specimen nobis ipse præbet, cum exemplum quoddam Romæ accepiſſet, quod Metis servatum est, atque Antiphonarium *Metense* appellatum fuit. Illud vero idem cum Romano erat, quemadmodum ipse teſtatur; *quæ scripta invenimus in Metensi antiphonario, scilicet S. Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ*. Postea exemplum aliud a Corbejensi Monasterio Amalarius accepit, ut ipse adnotavit in prologo suo, a Wala Corbejensi Abbate Roma allatum, illique a Gregorio IV. Papa dono traditum, atque ex hiſce duobus antiphonariis, tertium quoddam Amalarius compoſuit, illudque est, quod nomen ejus præfert, quo discrimina tantum abeo referuntur, quę inter duo illa antiphonaria erant, atque illa, quæ ipſi mutanda, vel servanda vita sunt.

Antiphonæ ex psalmis ipſis petitæ erant; antiphona enim sententia est, vel Oratio e psalmo, qui canitur, excerpta: Quod vel hodie servatur in to-

to

to fere Officio Feriali, atque Dominicis tam ad Matutinum, quam ad Laudes, & Veſperas. In Communi quoque Apoſtolorum ad Matutinum, & Veſperas, ad Laudes vero Antiphonæ ex Evangelio petitæ dicuntur. Religioni enim erat aliis uti, quam e Scriptura petitis. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis adverſus illos ſcripſit, qui alias invehere volebant, moremque iſtum Monachi ipſi ſervabant, ut ex Regula Pauli, & Stephani patet c. 14. *Nullus præſumat Reſponſoria, vel Antiphonas pro libitu, & non ex Canonica Scriptura deſumpta canere.* Olim plures pſalmi poſt unicam Antiphonam recitabantur, quemadmodum in minoribus horis fieri ſolet; quibus ſingulis unica tantum eſt, atque Dominicis ad primum nocturnum unica tantum ante quatuor pſalmos.

Romæ cum pſalmi initium antiphonæ loco eſt, mos ſervatur, illum ſine antiphona canendi, Feſtis Duplicibus Paſchali tempore exceptis, quibus ad Antiphonæ finem additur *Alleluja*. Pſalmi initium, tamquam Antiphona cum *Alleluia* canitur, poſtea tamquam pſalmus, idque videre eſt ex Nocturno Aſcenſionis ad pſalmum, *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, Alleluia.* Sæpe etiam juxta vetus inſtitutum Antiphona nil aliud erat, quam primus pſalmi verſiculus, qui ad ſingulos pſalmi verſiculos repetebatur.

Antiphonæ iſtæ a veteribus Scriptoribus *Reſponſones* appellantur.

Sic Caſſianus de *Alleluia* agens, quod poſt duodecim pſalmos canebatur, ait: *Duodecimum Pſalmum ſub Alleluia reſponſione conſumans.* S. Iſidorus Hiſpalenſis Reſponſorium vocat, quod alternatim, vel ab omnibus ſimul canitur, atque in Italia primum ait reſponſoria, & antiphonas inſtituta: *Reſponſoria ab Italis ſunt reperta, vocata hoc nomine, quod uno canente, conſonanter reſpondeat, antea autem id ſolus quiſque aiebat, nunc unus, interdum duo, vel tres communiter Choro in ſtrimis reſpondente*; vel ut Durandus inquit: *Reſponſorium eſt, cui omnes reſpondent.* Pſalmi tamquam Reſponſoria cani cenſebantur, cum Cho-

rus repetebat, quod Cantor præcinuerat, ut accidit, Scriptura teſte, Exod. 15. cum Maria ſoror Moyſis prima gratiarum actionis canticum, poſt Erythræi transfretationem cecinit, & mulieres ceteræ, quæ illa cecinerat, repetebant. *Sumſit Maria Tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino glorioſe. Præcinebat* ipſa; atque inde primus Cantor, qui vocis modum ceteris dabat, *Præcentor* appellatur; ille vero, qui poſt eum canit, atque repetit, *Succentor* dicitur. S. Ambroſius l. 9. exam. c. 5. Pſalmorum Reſponſoria appellat, cum viri in Eccleſia pſalmos cantabant, quos Clerus præcinere incœperat: *Cum Reſponſoriis Pſalmorum cantus vivorum, & mulierum.* Addit Pater iſte in Pſalm. 117. ita populos reſpondiſſe ad verba, quæ mane perlecta erant: *Venerunt gentes in hæreditatem.* S. Auguſtinus ſæpe ad ſuum populum, ait: *Pſalmum, quem cantatum audivimus, cui cantando reſpondimus*; atque de S. Monicæ ejus Matris funere agens lib. 9. Confeſſ. c. 12. ait: Evodium canere incœpiſſe pſalmum: *Miſericordiam, & judicium cantabo*, populum vero iisdem verbis reſpondiſſe.

Gregorius Turonenſis l. 8. Inſtit. c. 4. atque alii de pſalmis loquuntur, qui ut Reſponſoria canebantur, *Pſalmus Reſponſorius*. Scilicet cum Chorus repetebat, quod cantatum fuerat; ubi enim pſalmus quidam continenter ſine repetitione illa, aut interruptione, vel reſponſione canebatur, id *Tractim dicere* appellabatur, quemadmodum etiam hodie fit Septuageſimæ tempore ad Miſſam, quo Cantores ſoli *Tractum* canunt, Choro eos non comitante, neque intercinente; contra vero, cum *Alleluia* Gradualis inſtar dicitur, poſtquam Cantores id cecinerunt, Chorus idem repetit.

Antiphonam incinere eſt ejus totum edocere: antiquitus autem annuntiabantur, quia ſine libro canebantur; annuntiabantur vero illis, qui libris canebant; fruſtra ſiquidem illis annuntiarentur, qui antiphonarium præ oculis haberent.

Operæ pretium eſt animadvertere, Antiphonas, & Reſponſoria precibus ſucceſſiſſe, quas Veteres poſt Lectiones, & pſalmos faciebant. S. Cæſarius in ſua Regula ait poſt lectiones orandum: *Legas Frater tria folia, & orate. Legat alia tria, & orate.* S. Aurelianus quoque: *Unus Frater legat paginas tres, & fiat oratio; item legat, & fiat alia oratio.* Poſt lectiones enim ſequebatur oratio. In Regula ſancti Iſidori pro Monachis c. 7. hæc habentur: *Poſt conſummationem ſingulorum Pſalmorum proſtrati omnes humi adorabunt, celeriterque ſurgentes Pſalmos ſequentes incipiant.* Caſſianus quoque adnotavit ad ſingulorum Pſalmorum finem, tacitam Orationem factam, poſtea vero genua flexa fuiſſe. In Regula S. Fructuoſi, cum *Gloria Patri* dicebatur, proſternebant ſe, atque pſalmi ſinguli per breviorem quamdam orationem plerumque a pſalmo ipſo petitam claudebantur. Atque hæc eſt prima Antiphonarum noſtrarum origo.

Reſponſoria vocamus preces, quas poſt Lectiones dicimus, veluti reſpondentes, aliquid dicendo, quod ad ea, quæ lecta ſunt, referatur. *Reſponſorium*, ait Rupertus 1. p. c. 25. appellatum eſt, *quia reſpondet lectionibus, triſtia triſtibus, læta lætis, ſuccinente Choro.*

Ad Reſponſoria minorum præcipue horarum reperi ſolet, quod cantor ſolus cecinit; atque cum Cantores Clerici eſſent inferioris Chori, hinc Reſponſoriorum cantus Clericis junioribus reliquus fuit. In Arabicis Canonibus Nicæni Concilii Natutum eſt, ut Reſponſoria, & Verſiculi memoriter canantur. Docet nos Amalarius, verſiculum tenui, atque tremula voce cantatum, reſponſum vero illi fuiſſe altiori, atque liberiori voce. *In verſu non eſt anſus levare vocem, in repetitione exultat vocem.*

S. Benedictus *Gloria Patri* ad finem poſtremi Reſponſorii cujuſque Nocturni cani juſſit, idque ad ejus exemplum Romano Officio inſertum fuit: Amalario enim teſte, ſatis olim erat ad finem Reſponſorium repetere ſine *Gloria Patri*. Mos *Gloria Patri* prætermittendi ad Reſponſoria jejunii diebus, atque initium repetendi ſine *Gloria*, intelligitur ex Concilio Toletano IV. can. 16. *Hæc eſt diſcretio, ut in lætis ſequatur Gloria, in triſtioribus repetatur principium*, idque Paſſionis tempore ſervatur. Olim vero auctor eſt Radulphus Tongrenſis Propoſ. 12. *Sicut erat*, cum *Gloria Patri* in Reſponſoriis ſimul cantatum fuiſſe.

Jubet Ordo Romanus, illum, qui Reſponſorium incipit, verſiculum quoque canere. Juxta Romanum ritum, cum *Te Deum* ad Matutinum canitur, id nonni Reſponſorii loco eſt. Ejus rei Radulphus meminit Propoſ. 19. aitque, octavum hoc Reſponſorium Dominicis diebus ſemper eſſe: *Duo Seraphim*. Rationem vero ejus rei Durandus l. 6. c. 1. hanc reddit, ut, cum olim nona lectio de Trinitate recitaretur, affinitas aliqua inter Lectionem, & Reſponſorium eſſet; poſtquam vero Lectio iſta abolita fuit, Reſponſorium ad octavam Lectionem translatum fuit, eſtque commemoratio quædam peculiaris de Trinitate Dominicis diebus fieri ſolita. Micrologus c. 4. de Romanis hæc habet: *Romani non ſingulis Lectionibus ſingula ſemper ſubjungunt Reſponſoria, nam tertium, ſive nonum multoties prætermittimus.* Atque ita hodie fieri ſolet Feſtis, tres, vel novem Lectiones habentibus, quibus *Te Deum* tertii, & noni Reſponſorii locum obtinet.

Ritus duplex *Alleluja* ad minorum horarum Reſponſoria addendi, in Regula S. Benedicti c. 34. pro tempore Paſchali occurrit; atque ad hujus temporis imitationem Romæ quoque fit omnibus Domini noſtri Feſtis, ait Radulphus Propoſ. 22. Prima, & Completorio exceptis, quibus vetus mos ſervatur, eas ſine Alleluja extra Paſchatis tempus dicendi.

Amalarius rationem, qua Reſponſoria canebantur, deſcribens, ait de ordin. Antiph. Metis *Præcentorem* Reſponſorium incipere, ceteros vero Cantores proſequi; Præcentorem verſiculum, & *Gloria Patri* canere, ad medium vero repetitum fuiſſe, cum Romæ contra poſt verſiculum totus denuo verſiculus repeteretur, neque in duas partes, ut in Gallia, ſecaretur.

Digitized by Google

Antiphonarium Romanum plerumque S. Gregorio tribuitur, verum id certo affirmare non poſſumus. Joannes Diaconus, qui tribus ſæculis poſt eum vivebat, primus meminit hujus Antiphonarii lib. 2. de ejus vita cap. 6. aitque, Codicem manu exaratum ad ſuam uſque ætatem Romæ in Lateranenſi Palatio ſervatum fuiſſe.

Potiſſimæ Antiphonarum noſtrarum partis vitium eſt, quod Dominicis Feſtialibuſque diebus exceptis, promiſcue cujuſvis generis loca, ſeu Scripturæ, ſeu e Sancti cujuſdam vita adhibeantur, nulla tatione habita, num myſterio, aut feſto congruant. Primus Cantici Moyſis verſiculus, *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus eſt*, Antiphona fuiſſe videtur, quam Iſraelitæ omnes repetebant; quemadmodum & ille, quod mulieres poſt devictum Goliath canebant: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*, Reg. 18. 7. & 21. 11. quemadmodum & hemiſtichii hujus repetitio, *Quoniam in æternum miſericordia ejus* poſt ſingulos verſiculos Pſalmi 134. & repetitio, *& laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in ſæcula*, in cantico trium puerorum; Apoſtrophe ad omnes creaturas facta, qua ad Deum laudandum excitantur. Sunt præterea antiphonæ quædam, ex quibus ſententia perfecta elici non poteſt, cum earum intellectus a præcedente Antiphona pendeat, ut *ſi ergo lavi pedes*, atque aliis locis, ubi ad priores antiphonas eſt redeundum, ut nexus aliquis inter illas efficiatur; verum, cum ſeorſim canantur, vel tecitentur, non ſatis eſt ea a prioribus pendere, ſed plenam quæque ſententiam conſtituere debent.

Poſſet autem hic delectus inſtitui, ut primarum Veſperarum Antiphonæ myſterii Prophetiæ eſſent; cum e contra quandoque myſterium jam eveniſſe ſignificent, velut ad Aſcenſionis Officium *Viri Galilæi*, quæ Chriſtum ad Cœlum jam aſcendiſſe demonſtrat; ad S. Andreæ *Salve Crux*, qua Crucem ſalutans inducitur, antequam ad ſupplicium ductus dicatur; ad Aſſumptionis Virginis, initium fit illis verbis, *aſſumpta eſt Maria*; in Epiphania autem, *Providentes Magi aperiis theſauris ſuis*, priuſquam Magorum diſceſſus ab eorum patria, atque Bethleemum adventus referatur, atque hoc pacto Hiſtoria inverſo ordine a fine narrari incipit. Itaque primarum Veſperarum Antiphonæ ex antiquo Teſtamento: Nocturnorum vero ſumi deberent e Pſalmis; Laudum antiphonæ Myſterii, ſive Feſti hiſtoriam referre; ad ſecundas Veſperas vero meditationes Myſterio, ſive Feſto aptas complecti deberent; contra ſæpe propheticæ ad eas leguntur, quod Feſtum prænunciare eſt, quando id fere elapſum ſit: ut Purificationis die, *Venite ad Templum ſunm . . . . adhuc modicum, & venies*.

Eſſent præterea accuratius emendandæ earumdem antiphonarum repetitiones ad primas, & ſecundas Veſperas, ad Laudes, & Horas diei, atque earum loco iis temporibus proprias inſerere, quemadmodum pro Natali, aliiſque Feſtis habentur.

Reſponſoria vero optandum eſſet, ut cum Lectionibus affinitatem haberent, qualia ſunt Reſponſoria Dominicæ & Feriarum, quæ petita ſunt ex Libris paulo ante perlectis; Lectionum enim Reſponſoria inſtituta ſunt, ut quieſcendi ſpatium legenti concedatur, & ei, qui lecturus eſt, ſe parandi, atque ad auditorum attentionem conciliandam, ſpatiumque iis concedendum, quæ lecta ſunt, conſiderandi atque meditandi. Sæpe autem fit, ut quotidianæ e Scriptura lectiones nullam affinitatem habeant cum Reſponſoriis de Communi Sanctorum; immo ſunt quædam, quæ ex adverſo oppoſitas ſignificationes habent, velut cum legitur Hiſtoria Abſalonis vel Achabi, aut cujuſvis alterius mali Principis, dicitur, *Ecce Sacerdos Magnus*, vel *Sponſabo te mihi in Juſtitia*. Quælibet ergo Lectio proprium reſponſorium habere deberet, quod animo altius imprimeret ea, quæ lectio mentem edocuit. Si Lectio Hiſtorica ſit, aut minas vel promiſſa contineat, Reſponſorium moralis erit exhortatio pro varia argumentorum ratione. Cavendum eſt tamen, ne Reſponſoria ex iiſdem lectionibus ſumantur; hujuſmodi enim repetitiones tædium pa-

Digitized by Google

pariunt; attamen opus non est, ut Responsoria ex veteri & novo Testamento plerumque componere satagamus; illud vero magis necessarium est, ut Responsoria in rem apte cadant, præcipue post *Gloria Patri*; nam cum doxologia hæc cum Responsorio non cohæret, satius est illud post secundam vel tertiam Lectionem collocare. Possent præterea Festis diebus, cum de Feria lectum est, de Feria quoque Responsoria adiici.

CAP. XXXI.

De Versiculo, Pater, Benedictione, & Absolutione, quæ Lectiones præcedunt.

OLim nihil horum recitari solebat, quemadmodum constat ex officio trium ante Paschæ dierum, atque ex Regula S. Benedicti. Amalarius l. 3. c. 6. testatur Romæ sua ætate nondum *Pater* ad Psalmorum finem, ut in Gallia recitatum fuisse. *Quod nos Galli, finitis Psalmis nocturnalibus, solemus cantare orationem Dominicam, Romana Ecclesia prætermittit*. Juxta Cistercienſium morem ante Lectiones neque *Pater*, neque Absolutio dicitur. Præmonstratenses *Pater* dicunt quidem, sed nullam absolutionem habent. In hodierno Carthusianorum Breviario habetur *Pater* & *Ave Maria*, post quæ dicitur *Et ne nos* . . . . atque inde Absolutio. In Defunctorum officio, Versiculus tantum est, & *Pater*.

Versiculus est brevis oratio ad Deum post Psalmorum cantum fusa. Dicitur autem Versiculus a *Versando*, quod cum recitatur, corpora contra Altare vertantur. Canitur autem ab uno Cœtus totius nomine; chorus deinde junctis omnium vocibus respondet.

Amalarius l. 4. c. 4. ait, pluribus locis Versiculos post lectiones fuisse, quod Responsoriorum loco essent, fere ut in minoribus Horis Versiculus post Lectionem est; postquam vero Lectionibus præfixi fuere, Responsoria compolita sunt. Ritus autem *Pater* dicendi inde proficiscitur, quod ad Officii finem recitaretur, quemadmodum & hodie dicitur ad minorum Horarum finem in Ordine S. Benedicti. Testis est Cassianus, post Psalmos breves quasdam preces fieri consuevisse. S. Ambrosius vero l. 3. de Virgin. ait: *Volo post psalmos cum oratione Dominica frequentii contexas voce*; eadem oratio claudebat Nocturnum. Absolutio vero alia erat brevis oratio, quæ post *Pater* sequebatur, ita dicta, *ab absoluta prece*. Solet autem id fieri ad Primam & Completorium, post omnes enim preces, paulo antequam e Choro exeatur, dicitur: *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat* . . . vel *Benedicat & custodiat nos*. Operam vero perderet, qui alio pacto Absolutiones istas explicare tentaret, cum nihil commune habeant cum absolutione illa, quam remissionem etiam peccatorum appellare solemus; in tertia enim tantum mentio fit peccatorum, quorum venia petitur. *A vinculis peccatorum absolvat* . . . . Constanter itaque affirmandum est Nocturnum eo loco desinere solitum, atque ex Cassiano, Regulisque omnibus intelligimus, ad Psalmorum finem orationem quamdam factam fuisse, quæ collecta etiam dicebatur, & in vetustis Psalteriis ad singulorum Psalmorum finem adhuc conspicitur, eaque Psalmodiam definisse, hujus vero loco *Pater* positum fuisse. Lectiones ad Nocturnos a Monachis additæ fuere, qui cum choro, ut clerici, illico non existent, ibique diutius perstarent, Lectionibus vacabant; atque inde petenda est origo *Iube*, sive venia in cleri officium invectæ, quam Lector ab Abbate petebat.

Juxta veterem morem petebatur ab Abbate benedictio, antequam fieret lectio, verbis istis *Benedic Pater*; quemadmodum ex initio sermonum S. Ephrem constat, quia teste S. Hieronymo, publice in Ecclesia legebantur. Refert Gregorius Turonensis de Mirac. S. Mart. l. 3. S. Ambrosium Lectiones incipi noluisse, nisi Lectori prius ipse signum daret: *cui celebranti ita erat consuetudo ut veniens Lector, non ante legere præsumeret, quam Sanctus ei injunxisset*.

Cum

Cum autem die quadam Sanctus iste obdormivisset, Lectorque ad legendum paratus esset, *iubeat*, inquit, *Dominus Lectori Lectionem legere*. Ex hoc loco *Iube* clare perspicimus; in Missa vero duntaxat, ubi adhuc usurpari solet, Diaconus antequam Evangelium legeret, veniam a celebrante petebat, dicens, *Iube Domine benedicere*. Mediolani singula noctis Officia peculiares benedictiones habent.

Petrus Damianus lib. 3. de Virgin. ait, Lectorem non petere, ut Præpositus ipsi benedicat, sed ille, quem Præpositus jusserit, atque celebrantem ipsum benedictionem istam largiri non audere; sed illam a Deo petere. De nonnullis quoque Eremicolis agit, dubitantibus, an cum soli Officium recitarent, benedictionem pro Lectionibus petere deberent, atque dicere *Iube Domine*, vel ante Orationes *Dominus vobiscum*; Ad quem, ajebant illi, verba ista dirigemus? Num ad lapides, atque tabulas istas cellæ nostræ? Alii vero, ne adversus Regulæ mores peccarent, timebant. Petrus Damianus libellum conscripsit, quo illorum dubitationi respondet, Officium cum singillatim dicitur, eodem semper pacto recitandum, æque ac si in communi orantes psallerent. Ille enim, inquit ipse, qui Officium Canonicum recitat, totius Ecclesiæ nomine erat, atque loquitur, eamque repræsentat; alias omnia, quæ plurali numero efferuntur, amputanda essent, veluti Invitatorium *Venite exultemus*, atque etiam *Oremus*; Ecclesiæ vero Doctores aliud Officium pro singularibus hominibus, aliud pro universis instituissent; quemadmodum autem Ecclesia una est in pluribus, affirmari quoque posse, eam membro uno plures homines complecti, atque hujus veritatis gratia unicum pro omnibus loqui posse, non secus ac si cum pluribus oraret; sæpe etiam accidere solere, ut unicus plurium, plures vero unius nomine loquantur.

CAP. XXXII.

De Lectionibus.

MOs Scripturas legendi a Synagoga profectus est, ubi singulis Sabbatis capita aliquot ex Lege & Prophetis legebantur. Idem omnibus retro sæculis Liturgiæ tempore factum est; atque vetus, & novum Testamentum prælegebatur, populoque explicabatur, S. Justino teste Apolog. 3. *Die Solis cœtus fiunt, ubi Apostolorum, Prophetarumque litteræ, quoad fieri potest, præleguntur. Præpositus verba facit adhortatoria.* Convenimus, ait Tertullianus, ad divinas Scripturas legendas, sive ad hortandos, sive confirmandos fideles pro varia temporum ratione. Fidem nostram Lectionibus istis enutrimus, mentem elevamus, fiduciam nostram confirmamus, atque in Religionis nostræ disciplinam frequenti præceptorum suorum explicatione firmiter stabilimur. *Coimus ad Divinarum litterarum commemorationem*, Apolog. c. 38 Videamus vero, quo pacto Lectiones in noctis & diei Officiis invectæ fuerint.

Est a nobis jam semel admonitum, Romæ olim in Missa tantum, non vero in noctis Officio Lectiones fieri solitas fuisse; quod modo probandum est. Theodemarus Cassinensis Abbas in Epistola sua ad Carolum Magnum Imperatorem apud Paul. Diac. affirmat, S. Gregorium Papam, sive Honorium primos Lectionibus in Romano Officio usos fuisse, atque ad illorum exemplum Monachos quoque Officio suo illas inseruisse: *In Ecclesia Romana Sacras Scripturas legi mos non fuerit ante B. Gregorii Papæ, sed post institutum hoc a B. Gregorio, aut ab Honorio, ut ab aliis affirmatur.* Præterea in veteri quodam Ordine Romano e Codice manu exarato Sangallensis Monasterii descripto, atque a Thomasio pag. 403. 405. edito facultas datur diebus festis tot Lectiones legendi, quot cuique lubuerit, quia olim, ait Ordo ille Romanus, nullæ dici solebant: *Lectiones quinque, aut se-*

Digitized by Google

ſeptem aut novem, ut libuerit, quia antiquitus talis conſuetudo non fuit.

Quod Sanctorum paſſiones attinet, ſive Martyrum geſta, non legebantur niſi in eorum Eccleſiis ante PP. Adrianum I. qui primus ea legi juſſit in Eccleſia S. Petri: *Paſſiones Sanctorum vel geſta ipſorum, uſque Adriani tempora tantummodo ibi legebantur, ubi Eccleſia ipſius Sancti, vel titulus erat. Ipſe vero a tempore ſuo recitari juſſit, & In Eccleſia S. Petri legendas eſſe conſtituit.* Ita citatus Ordo. Hoc affine eſt Papæ Gelaſii verbis in decreto ſuo de libris vetitis, ubi habetur, juxta Eccleſiæ Romanæ morem acta Martyrum legi non ſolere, quod tutius videretur eorum ſcripta non legere, quorum nomina penitus ignota ſunt, vel quæ ab Emanuenſibus depravata ſunt, vel ab imperitis, aut infidelibus conficta, aut mendaciorum referta, qualia ſunt illa S. Quirici, S. Julitæ, S. Georgii, & alia plura.

Poſtquam Romæ mos Lectiones legendi frequentari cœpit, per omnes officii horas diſtributæ fuere, atque in Noctis Officio ſatis magno numero auctæ. Servatus fuit primum Laodicenſis Concilii Canon tertius Lectionem poſt ſingulos Pſalmos fieri jubens: *quod in Conventu fidelium nequaquam pſalmos continuare conveniat, ſed per intervallum, ideſt per pſalmos ſingulos recenſeri debeant Lectiones.* Conſtat quoque ex S. Paulo 1. Cor. 14. Lectionem poſt Pſalmos ſingulos factam fuiſſe; atque ea eſt ratio, cur Romæ feſtis illis, quæ novem Pſalmos habebant, novem quoque Lectiones aſſignatæ ſint. Lectiones vero iſtæ legebantur, donec qui Choro præſidebat, ut ceſſaretur, indicaret. Honos vero legendi poſtremam celebranti tamquam digniori deferebatur. Papæ Lectio erat Homilia ſuper Evangelium, ut videre eſt in Ordine Romano Benedicti Canonici S. Petri, cujus verba ſunt: *Nonam Lectionem legit Pontifex de Homilia, & dicit, Iube Domine benedicere. Nullus benedicit eum, niſi Spiritus Sanctus, tantum omnes reſpondent, Amen.*

S. Auguſtinus in Expoſ. Ep. 1. Joan. ſatis aperte ſignificat, in Eccleſia ſua Lectionarium fuiſſe Lectiones continens, quæ per anni curriculum legebantur, atque ita deſignatæ erant, ut aliæ legi non ſolerent; te ſtaturque de ſe, cum aliquoties Ordinem iſtum mutare tentaſſet, populum ſuum ea re adeo offenſum fuiſſe, ut morem jam olim invectum ſervare coactus fuerit. Verum S. Auguſtinus de Miſſæ Evangeliis tantum loquitur.

Cum Romæ Lectiones nocturno Officio inſeri cœperunt, illæ e Scriptura tantum peti ſolebant, quod ad hanc diem in Officio Feriali ſervatur. Poſtquam vero plures Nocturni inſtituti fuere, Ordo ille ſervatus eſt, qui adhuc tribus ante Paſcha diebus ſervari ſolet, atque Patrum ſermones varietatis gratia inſerti fuere. Ad tertium vero Nocturnum, novum Teſtamentum legebatur, non vero Evangelium, quia Miſſæ Lectioni deſtinatum erat. Verum poſtea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, ad exemplum S. Benedicti, qui primo Nocturno vetus Teſtamentum, deinde Evangelium legi juſſit; ſatius viſum eſt ad nimiam Officii longitudinem virandam, ut Evangelii initium ad tertium Nocturnum legeretur, atque Homilia, ſive cujuſdam Patris explicatio illi adderetur, ut quemadmodum Lectiones ſecundi Nocturni explicatio Patris cujuſdam Lectionis in primo Nocturno recitatæ, atque e veteri Teſtamento petitæ, cenſebantur, ita etiam tertii Nocturni Lectiones explicationem quandam Evangelii a quodam Patre traditam complecterentur. At vetus mos tribus ante Paſcha diebus ſervatus eſt.

Tria hæc Lectionum genera Dominicis dumtaxat, Feſtiſque diebus deſerviebant: quippe Feriis juxta veterem conſuetudinem nihil niſi e Scripturis excerptum legebatur, atque poſt Pii Quinti dumtaxat tempora Homiliæ ſuper Evangelium tam Quadrageſimæ, quam vigiliarum diebus legi cœperunt.

Ordo Lectionum e Scriptura, qui hodie Romæ ſervatur, refertur in cap. *S. Romana* diſt. 15. atque a Gratiano Gelaſio Papæ tribuitur. Verum dubitandum non eſt, Decretum illud a Gregorio Septimo eſſe editum, qui morem

Digitized by Google

rem Eccleſiæ ſuæ longe ante ſua tempora ſervatum confirmare tantum voluit.

Conſtat ex Amalario de ordin. Antiph. c. 6. Adventus tempore Iſajam Prophetam Romæ lectum fuiſſe, & Jeremiam Paſſionis tempore; Libros Regum poſt Pentecoſtem; Sapientiales Libros Menſe Auguſto; Job, Tobiam, Judith, Eſther, Menſe Septembri, Machabæos menſe Octobri, Ezechielem, Danielem, & 12. Prophetas minores, Novembri. Rupertus vero lib 10. cap. ult. adnotavit, Epiſtolas S. Pauli a Natali uſque ad Septuageſimam lectas fuiſſe; Geneſim autem, & Exodum Quadrageſima.

Inter Patres, qui in Eccleſia ad ſecundum Nocturnum legebantur, Decretum Gelaſio Papæ tributum annumerat S. Cyprianum, S. Joannem Chryſoſtomum, S. Hilarium, S. Ambroſium, S. Auguſtinum, S. Iſidorum, & S. Leonem Papam. Radulphus Tongrenſis ait, ætate ſua Bedam Romæ lectum non fuiſſe, neque etiam apud Carthuſianos, ſed tantum in Anglia, in Gallia, & in Germania, ejuſque tantum Commentarios in S. Marcum, & S. Lucam; Carthuſianos autem duas tantum vitas ex Patribus petitas legiſſe, ſcilicet S. Agnetis a S. Ambroſio, & S. Benedicti a S. Gregorio conſcriptas, moremque iſtum diligenter ſervarunt, cum pauca Sanctorum acta habeant, atque plerumque Feſtis diebus ſermonem tantum cujuſdam Patris legant, ipſo etiam S. Brunonis ipſorum inſtituti auctoris feſto die, de quo in Officio ne verbum quidem habent, ſi Collectam excipias; leguntque ad primum, & ſecundum Nocturnum S. Joannis Chryſoſtomi ſermonem. Quod Lectiones vero ſpectat, ex actis Martyrum, vel Sanctorum vitis petitas, Gelaſius Papa jure timens, ne aliquid ea, qua par eſt, auctoritate deſtitutum legeretur, maluit ea, de quibus dubitari poterat, prætermittere, atque commentitia penitus excludere. Clemens vero octavus e Breviario Romano plures legendas dubiæ auctoritatis reſecari curavit, eaſque tantum, quæ hodie leguntur, ſervavit a Baronio, & Bellarmino Cardinalibus in anteceſſum emendatas. At poſt Cardinalium illorum tempora Critica ars longius progreſſa eſt, juxta cujus Regulas plures ſunt in Breviario noſtro narrationes, nulla ſatis firma auctoritate fultæ, quæ mutandæ, vel omnino abolendæ eſſent.

Libri autem, qui in Eccleſia legebantur, hi ſunt: primo Divina Scriptura legebatur, cautumque eſt Carthaginenſi Concilio tertio: *ut præter Canonicas Scripturas nihil in Eccleſia legatur*. Statuit quoque S. Iſidorus Reg. c. 17. ut in Feriali officio Lectiones ex veteri, & novo Teſtamento ſumerentur, verum Sabbato, & Dominica ex novo omnes petendas. In Hiſtoria Colloquii Epiſcoporum Galliæ, Regis Gondebaldi tempore, apparet, Lugduni Scripturam tantum, Moyſem, Prophetas, Evangelium, & S. Paulum legi conſueviſſe. In Regula S. Aureliani ſex ſunt Lectiones veteris, & ſex novi Teſtamenti. Apud S. Benedictum quatuor priores ex veteri, poſteriores vero quatuor ex novo Teſtamento ſunt. Refert S. Auguſtinus Tract. 6. in Joan. c. 17. in Africa acta Apoſtolorum poſt Paſcha perlecta fuiſſe. Concilium Toletanum Quartum jubet, ut Apocalypſis poſt Paſcha legatur. Colligimus quoque ex S. Joanne Chryſoſtomo, Prophetas, & Apoſtolos lectos fuiſſe, quod ſæpe verba illa ingeminet: *Audiſti Prophetas, Apoſtolumque*. S. Ambroſius in Ep. ad Marcellin. de Libro loquens, qui pro more certo anni tempore legebatur, majori ſcilicet hebdomada, ſatis oſtendit, Lectiones quaſdam certis Feſtis adſignatas fuiſſe: *Hodie Librum Job legi, qui ſolemni more eſt decurſus, & tempore*. Cum vero Lectiones in noctis officio Romæ adhiberi cœperunt, Scripturæ Libri hoc fere pacto diſtributi fuere, ut videre eſt 15. Diſt. c. 5 *Romana*. Pentateuchum a Septuageſima uſque ad 15. dies ante Paſcha, per 15. vero illos dies Jeremias; Paſchatis die, totaque Paſchali hebdomada Homiliæ in Evangelium, octava Paſchatis Apocalypſis, Acta Apoſtolorum, & Epiſtolæ Catho-

Digitized by Google

licæ, uſque ad Pentecoſtem; ab hoc feſto ad Auguſtum Libri Regum, & Paralipomenon; ab Auguſto Salomon, ſive Libri Sapientiales; Septembri Job, Tobias, Eſther, Eſdras; Octobri Machabæi; Novembri Ezechiel, Daniel, & Prophetæ minores; Adventu Iſajas ad Natalem; atque poſt Natalem uſque ad Septuageſimam Epiſtolæ S. Pauli. In enumeratione iſta Liber Ruth, atque Judicum, & nonnulli alii, qui legi non ſolent, non inveniuntur, præcipue poſtquam Homiliæ Patrum, & Martyrum Acta addita fuere. Magnus enim iſte Lectionum numerus effecit, ut Scripturæ continenter, ut olim, perlegi non poſſet, ingensq; Feſtorum numerus Scripturæ lectionem hodie fere penitus ſuſtulerit.

Scripturæ lectiones ex ipſo Sacro Codice olim legebantur, Librique cujuſdam lectio, donec abſolutus eſſet, perdurabat; eratque ejus, qui Choro reſidebat, jubere, ut lectio ceſſaret, dicendo, *Tu autem*, reſpondente Lectore, *Domine miſerere nobis*, Chorus vero dicebat, *Deo gratias*. Benedictini ad Completorium adhuc lectiones legunt veteri mori propius accedentes. Monachus S. Galli in Vita Caroli Magni agit, Imperatorem illum ſignum Lectori, ut ceſſaret, dediſſe *fibilo* quodam *linguæ*. Aureliani Regula jubet, ut tres, vel quatuor paginæ legantur pro Scripturæ modo. S. Cæſarius vero ait, tres paginas ad ſingulas lectiones legendas. Ulricus in Conſuetudinibus Cluniacenſibus refert, Librum Geneſeos Septuageſimæ hebdomada perlectum fuiſſe, Iſajam ſex ante Adventum noctibus, Epiſtolam ad Romanos duabus. Conſtat ex Regula S. Cæſarii, & S. Aureliani propter Lectionum harum longitudinem Lectori ſedere licuiſſe: *Legat frater tria folia, legat alia tria, & levet ſe* Alicubi vero, ut ex Regula S. Pacomii, & S. Aureliani patet, qui officiis aderant, ne obdormiſcerent, opus faciebant, *ad Lectiones dum Lectio legitur, aut de ſparta, aut de Canape, aut aliquid hujuſmodi de manibus operamini, ut non ſomnus obrepat, ſi vero Dominicus aut Feſti ſunt dies, cui ſomnus venerit aliis ſedentibus, jubeatur ſtare*. Ita per longas haſce Lectiones Scriptura univerſa facile perlegebatur. Hodie vero Scripturæ Libri, ſemel in Officio cœpti, numquam fere abſolvuntur; idque ea de cauſſa, quod Matutinum mane, non nocte, ut olim recitari cœperit, vel quod Nocturni contracti fuerint. S. Benedictus jubet, ut hyeme tres Lectiones legantur Ferialibus diebus, æſtate vero unica tantum *propter brevitatem noctium*.

Quidquid in Eccleſia præter ſcripturam legebatur, ab Epiſcopo, vel a Synodo approbandum erat: nihil autem a Laicis hominibus compoſitum legi poterat juxta Cocilium Laodicænum can. 55. *Nihil a plebe editum legatur in Eccleſia*. Concilium carthaginenſe Tertium ſtatuit, ut *nullæ preces, orationes leganturniſi ſint in Synodo approbatæ*, can. 23.

Martyrum vero actæ ipſorum Sanctorum Feſto legi ſinit Concilium Milevitanum can. 12. *Legi paſſiones Martyrum in eorum anniverſario*. Trullanum falſa Martyrum, aliorumque Sanctorum acta legi vetat can. 63. *Quæ a veritatis hoſtibus falſo confictæ ſunt Martyrum hiſtoriæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui ea audituri eſſent ad infidelitatem deducerent, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas admittunt, anathematizamus*. Concilium iſtud tam aperte falſas Martyrum hiſtorias in Eccleſia legi vetans, ſatis demonſtrat, eas, quæ genuinæ erant, legi ſolitas fuiſſe. S. Cæſarius quoque ſerm. 140. & 300. apud S. Auguſt. Actorum Martyrum meminit, quæ ipſorum Feſtis legebantur. Piebat autem id in ipſorum tantum Eccleſiis, aut titulis, ut Hadrianus Papa adnotavit, qui eas primus in S. Petri Eccleſia legi curavit. Teſtis quoque eſt S. Auguſtinus ſerm. 315. quam diligenter Acta illa perpenderentur, aitque nihil de S. Stephano timendum eſſe, quia ejus martyrii hiſtoria in ſcriptura legatur. *Cum aliorum Martyrum geſta vix inveniamus, quæ in eorum ſolemnitatibus recitare poſſumus, hujus Paſſio in Canonico libro eſt*. S. Auguſtini ætate exiguo numero Martyrum acta cognita erant. Gregorius Tu-

Digitized by Google

Turonenſis lib. 1. de glor. Martyr. 86. Actorum s. Polycarpi meminit, quæ ejus feſto die lecta fuerant.

Martyrum actorum lectio ad Miſſam fiebat, actaque illa Miſſalibus, ſive Sacramentariis inſerta fuerunt, atque ante Epiſtolam, & Evangelium legebantur, brevisque quædam repetitio in Præfatione fiebat. Servatus fuit mos iſte in Gallia ad nonum uſque ſæculum, in Hiſpania vero ultra 10. quemadmodum ex Liturgia Gallicana diſcimus; conſcendebantque Epiſcopi Cathedram ad ea ſub Miſſæ medium explicanda; eaque eſt origo Homiliarum, ſive Sermonum, quos Patres in Martyrum laudem pronunciabant. Romani Lectiones iſtas Martyrum Miſſali ſuo inſeri paſſi non ſunt, ut ex Miſſalibus Gelaſii, vel s. Gregorii videre eſt, quæ vel in ipſis Præfationibus de Martyrum, & tormentorum genere iis verbis meminerunt, ut falſitatis nequaquam redargui poſſint. Optandum autem eſſet, ut eadem cautio in Nocturnis Officiis ſervata fuiſſet.

Nicolaus de Clemangis in Tractatu ſuo de Feſtorum imminutione, novorum Feſtorum celebrationem improbat, quæ ut prædia Eccleſiæ dono dentur, inſtitui ſolent, & praves iſte uſus, inquit ipſe, in plerisque Eccleſiis Officii ordinem ita invertit, ut nulla fere Officia de tempore in illis fiant, quia novitii iſti ſancti dies univerſos, atque aliquando Feſta Deo ſacra occuparunt: eaque ratio eſt, cur in Officio vix amplius Divina ſcriptura legatur, ſed tantum Sanctorum Hiſtoria; vetuſque Officium, atque Eccleſiæ ordo identidem ea de cauſſa mutandus eſt. Hiſtoriæ iſtæ ſanctorum noctis Officium adeo occupaverant, ut per plura ſæcula nihil fere aliud ad primum, & ſecundum Nocturnum legeretur, atque aliquoties novem ipſæ lectiones e vita ſancti petitæ eſſent, nihil vero e ſcriptura recitaretur.

Fuere quidam, qui ſuum erga ſanctos obſequium eo adduxerunt, ut illorum ſcripta, vel ipſis viventibus legerent. Refert s. Gregorius lib. 10. epiſt. 22. Ravennæ Moralia ſua in Job lecta fuiſſe, quare Epiſtolam ad ejus urbis Epiſcopum dedit, ut patris cujuſdam explicationes legerentur, admonens: *Neque enim volo*, inquit, *dum in hac carne ſum, ſi qua diciſſe me contigit, ea facile hominibus innoteſcere*. Id Lezovii non ſervatur, ubi qui poſtremam Breviarii hujus Eccleſiæ editionem fieri curavit, Homilias Clementis XI. Pontificis adhuc viventis inſeruit.

S. Ambroſius in Pſal. 1. ſilentii meminit, quod Lectionum tempore ſervari curandum erat, ne garritus excitaretur: quod dum pſalmi cantabantur, non accidebat; erant enim tunc omnes cantui intenti, neque garrulitati locus erat: *Quantum laboratur in Eccleſia, ut fiat ſilentium, quando lectiones leguntur*.

S. Joannes Chryſoſtomus in hom. de Ion. & David, ait: *Aſcendens qui legit, primo dicit librum, cujus eſt v.g. illius Prophetæ, & tunc profert, quæ is dicit*.

Conſtat præterea, in qualibet Eccleſia Lectionarium fuiſſe, quo Lectiones continebantur per annum recitandæ, ſive ad Miſſam, ſive ad Officium. Retulimus jam S. Auguſtini, & S. Ambroſii ea de re loca. Sidonius Apollinaris l. 4. ep. 7. Claudianum laudat S. Aviti Viennenſis cognatum, quod Lectiones in officio per anni curriculum diſtribuiſſet, & proprias pro Feſtis ſolemnibus inſeruiſſet. Auctor Vitæ S. Cæſarii Arelatenſis l. 1. c. 31. ait, Sanctum illum Epiſcopum Patrum Homilias collegiſſe, quas in officio per anni curſum diſtribuerat, ut nihil niſi pietati conciliandæ aptum in Eccleſia legeretur: *Homilias ſacras diſtribui curavit, ut projectis vobis frivolis, & caducis . . . .* Gennadius ait, Muſæum Maſſilienſem Presbyterum Lectiones proprias pro ſingulis anni ſolennibus Feſtis digeſſiſſe: *Codices proprios, qui in circulo anni legantur ad matutinum*: Concilium Bracharenſe II. jubet: *Ut per diernum ſolemnium vigilias, vel Miſſas omnes eaſdem non diverſas in Eccleſiis lectiones legant*. S. Benedictus in ſua Regula quotidianarum Lectionum curſum intermittit, ut proprias incidentibus Feſtis recitet: *Pſalmi, Antiphonæ, & Lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur*.

Jube autem, ſive venia legendi a Lectore petita demonſtrat, miſſione opus eſſe a Præpoſitis data, ut docendi alios, atque erudiendi munus exercere poſſit: legere enim revera erudire eſt; quæ ratio eſt, cur Lectores Theologiæ appellentur Doctores, qui eam diſciplinam tradunt. Hinc *Jube Domne* dicitur, non *Domine*, celebrantem non Deum alloquendo, contra vero ad finem *Tu autem Domine*, ſermone ad Deum ipſum converſo, veniam de peccatis inter legendum admiſſis petendo, vel ut in ejus nomine divini verbi lectionem abſolvere liceat; quare univerſi ad Deum convertuntur, gratias illi pro verbo ſuo agentes, *Deo gratias*. Omnes hi exigui ritus a Monachis profecti ſunt, neque adhuc Officio trium ante Paſcha dierum, neque Defunctorum Officio inſerti. Fuere tamen jam pridem in Romanum Officium invecti; cum Amalarius eorum meminerit l. 4. c. 3. ubi quærit, cur ante parva diurnarum horarum capita nulla petatur benedictio; eamque rationem reddit, quod plerumque Præpoſitus capita illa recitet, atque cum Jeſu Chriſti, quem repræſentat, locum obtineat, a nemine miſſionem, vel veniam petere teneatur.

Poſtquam Libri inſcriptio ſemel perlecta fuerat, ſequentibus diebus minime repetebatur; hinc ſine inſcriptione leguntur Lectiones Iſajæ ad primum Nocturnum Natalis; capita item ſine titulo leguntur, quia olim continuatio erant illorum, quæ ad Matutinum recitata fuerant, vel quod ex Epiſtola Miſſæ excerpta ſint, quæ nunquam ſine inſcriptione legitur.

Veruſtiſſimus eſt mos, atque ubique receptus, ad noctis Lectiones aſſidendi, quia valde longæ erant, atque ut majori cum attentione perciperentur. Ad Capitulum vero ſtatur, quia ſunt breves Lectiones, atque ut honos celebranti habeatur, qui eas recitat. Sic Sanctus Cæſarius ſerm. 300. append. Sancti Auguſt. *Quando aut paſſiones prolixæ, aut certe aliquæ Lectiones longiores leguntur, qui ſtare non poſſunt, humiliter, & cum ſilentio ſedentes attentis auribus audiunt, quæ leguntur*. S. quoque Benedictus in Regula c. 9. ait: *ſedentibus omnibus in ſcamnis legantur viciſſim a fratribus in Codice ſuper Analogium tres Lectiones*. Sic Petrus Damianus opuſc. 33. *prohibendum eſt, non modo Clericis, ſed etiam Laicis, ut niſi ſicuti mos eſt inter Nocturni Officii Lectiones nemo ſedeat*; Sæpe in Feſtorum Officio idem eſt Capitulum ad duas Veſperat, ad Laudes, & ad Tertiam, idque Romano Officio peculiare eſt; nam in Monaſticis Breviariis, & plurium aliarum Eccleſiarum ſingulis horis mutantur, idque ea ratione fit, quod Romæ Feſtis diebus nihil aliud pro Capitulo adhiberi ſoleat, quam Miſſæ Epiſtola, quæ ſæpe capitula pro omnibus illis horis ſufficere non poterat. Idem fit in Officiis ſolemnioribus, qualia ſunt Veſperæ, Laudes, & Tertia, quæ eſt præparatio ad Miſſam ſolemnem; in Officio Dominicæ vero, atque Feriali propria ſingulis horis habentur, neque repetitione opus eſt.

Cum Prophetæ legebantur, dici ad finem ſolebat: *Hæc dicit Dominus, convertimini ad me, & ſalvi eritis*, quod Carthuſiani ad hanc diem ſervant, eſtque Pariiis Adventus tempore reſtitutum.

Lectores habebantur Lectionibus legendis deſtinati. S. Gregorius lib. 4. ep. 44. Subdiaconos tantum, Clericoſque inferiores huic muneri addicit; hinc Presbyteri, & Diaconi nullas Lectiones dicebant: Martinus Bracharenſis in ſua Collectione Canonem refert, quo cautum eſt, ne is, qui Lector nondum ordinarus eſt, Lectionem legere jubeatur. *Non liceat in populo legere, niſi lector ordinatus*. Concilium Nicænum II. an. 787. can. 14. prohibet, ne qui prima tonſura nondum initiati ſunt, legere jubeantur.

Sæpe Lectores e ſuperiore loco, ut facilius ab univerſis audirentur, Lectiones prælegebant; *Qui ſuggeſtum aſcendunt*, ait Concilium Laodicænum can. 15. vel *ſuper Ambonem legentes*, ait Concilium Nicænum II. can. 14. Suggeſtus hi *Jube* vocabantur, unde ortum eſt *Jube*, quod vel hodie ſupereſt, cum lecturus benedictionem petit, his verbis, *Jube Domne benedicere*. In

Vir-

Virginum vero Eccleſiis *Domna* dicitur; Liber *Comes Hieronymi* inſcriptus a Baluzio tom. 2. Capitul. Theotingo noni ſæculi presbytero tribuitur, qui vetus Lectionarium emendavit, ac pluribus Epiſtolis, & Evangeliis pro Miſſa auxit.

CAP. XXXIII.

De Hymno Te Deum, *& de Verſiculo Sacerdotali.*

INter Cantica, & Pſalmos illud diſcrimen plerumque agnoſcimus, quod Canticum altiori voce decantetur, atque potiſſimum ad gratias Deo agendas pro inſigni aliquo beneficio inſtitutum ſit. *Te Deum* inter Cantica, vel Hymnos annumerari poteſt, atque in Chronico Idatio Mediolanenſi Epiſcopo tributo refertur, illud a S. Ambroſio, & S. Auguſtino, cum poſtremus iſte baptizaretur, compoſitum fuiſſe; ſed hæc mera fabella eſt, Idatius autem iſte anno 557. florebat. Gregorius ejus meminit in ſuis Dialogis l. 3. c. 4. Chronicum iſtud, illi tributum, nondum formis excuſum eſt; ajunt tantum, in Mediolanenſi Bibliotheca ſervari. Habetur ibi revera Chronicum MS. 600. annorum, quod Idatii nomen præfert; ſed inſcriptio longe recentiori manu exarata eſt: liber vero ipſe plurium manu, atque a variis auctoribus conſcriptus eſt. Prior pars a Landulpho, poſterior ab Arnulpho conſcripta eſt. Tantum vero abeſt, Chronicum hoc Idatii eſſe, ut Mediolanenſis Eccleſiæ Hiſtoriam ab octavo ſæculo uſque ad annum 1067. comprehendat. Inane igitur ſomnium eſt, affirmare, S. Ambroſium *Te Deum* compoſuiſſe eo tempore, quo S. Auguſtinum baptizabat, ut gratias Deo ageret pro Doctoris illius converſione. Nullus enim ejus rei idoneus Auctor eſt, neque in Sanctorum illorum Vitis, neque apud alicujus nominis Scriptores legitur.

Canticum hoc S. Ambroſio tribuitur a Durando; Abbo vero Floriacenſis Monachus S. Hilario adſcribit; quidam MSS. Libri S. Abundio, cujus nullibi alias mentio habetur. In Breviario MS. Montis Caſſini anni 1086. *Hymnus Siſebuti Monachi* Benedictini vocatur. Verum auctor iſte æque ac alter ignotus eſt. Quibuſdam in Libris Nicetæ nomen præfert, neque explicatur, num Epiſcopus Lugdunenſis, vel Trevirenſis fuerit. Primi illius meminerunt S. Benedictus in ſua Regula, & Ferrandius, S. Cæſarii Arelatenſis Diſcipulus, atque Aurelianus in ſua Regula. Amalarius quoque in Suppl. ad l. 4. ejus meminit, aitque, ante Matutini Evangelium cantatum fuiſſe, Natali excepto, quo poſtea canebatur; Abbatem illud præcinuiſſe, quia ejus eſt ceteros erudire; ad Evangelii finem *Amen* pronunciatum fuiſſe; Romæ *Te Deum* cantatum non fuiſſe a Septuageſima uſque ad Paſcha, neque Adventus tempore; a Monachis vero ſemper recitatum fuiſſe. Glaber Radulphus ſcribit l. 3. hiſt. circa annum 1000. plura Concilia in Gallia habita fuiſſe, ubi diſputatum fuit, cur Monachi *Te Deum* dicerent Adventus, & Quadrageſimæ Dominicis *contra Eccleſiæ Romanæ morem*. Reſponderunt Monachi, S. Benedictum eorum Patrem ita ſtatuiſſe, Pontifices, atque inter ceteros S. Gregorium iſtorum Regulam adprobaſſe; *his compertis Epiſcopi uſus Monachorum authentico ex more viguit*.

Petrus Damianus in vita S. Odonis Abbatis Cluniacenſis refert, ſanctum illum juſſiſſe, ut Monachi humi ſe proſternerent ad illa verba: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*, & ita a Monachis ſervatum eſt. In publicis ceremoniis, *Te Deum* cantatum fuiſſe comperimus ex vita Ludovici Pii, ubi dicitur decantatum fuiſſe, cum Stephanus Papa Remos advenerat. Cantatum quoque fuit, cum Ebbo Remenſi ſedi reſtitutus fuit, atque cum Carolo Calvo imperii Diadema impoſitum eſt.

Pluribus in locis veluti Romæ loco poſtremi Reſponſorii ad Matutinum dicitur ſtatim poſt poſtremam Lectionem. Pariſiis, atque in pluribus aliis Eccleſiis poſtremum Reſponſorium ſubſequitur. Lugduni pſalmi inſtar cum Antiphona

phona canitur, atque ad ejus finem *Gloria Patri*. Alicubi inclinari ſolebant ad *Sanctus*, & ad *Te ergo quæſumus*; Ubi vero *Sanctus* ter repetitur, in plures partes non ſecabatur, ſed unus erat verſiculus.

In hoc Hymno ſunt ſententiæ quædam e S. Cypriani libro de Mortalitate excerptæ, ubi de vita æterna agens ait: *Illic Apoſtolorum glorioſus Chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus, illic Virgines &c.*

Illud in hoc Pſalmo reprehenſum eſt, quod poſt tres Divinas perſonas laudatas, ad Jeſum Chriſtum convertatur, quaſi trium illarum numero comprehenſus non eſſet: *Tu Rex Gloriæ Chriſte.* Verum his repoſitum fuit, perſamiliare eſſe primis Patribus, poſtquam de Chriſto velut Divinarum Perſonarum una locuti fuiſſent, eum tamquam hominem conſiderare, & ab eo geſta carnem ſumendo pro ſalute noſtra extollere. Id ſane conſpicuum eſt inter cetera ex *Gloria in excelſis Deo*, cujus *Te Deum* eſt imitatio quædam, ex Symbolo Apoſtolorum, atque ex Nicæno, quæ eamdem rationem ſecuta ſunt, atque cum de Patris Filio agunt, ejus æternam generationem, atque incarnationem continenter deſcribunt, antequam de Spiritu Sancto agant. Symbolum vero S. Athanaſio tributum aliam viam ingreditur; poſtquam enim ea, quæ Filium ſpectant, in Perſonarum Trinitate comprehendiſſet, atque de Spiritu Sancto egiſſet, Dei Filii Incarnationem poſtea enarrat. Contra Hymni *Te Deum* auctor, poſtquam de tribus Divinis Perſonis egit, chriſto laudando, atque orando unice intentus eſt. Cum vero æterni Patris Filium eſſe fatearur: *Tu Patris ſempiternus es Filius*, ſatis oſtendit, eumdem hunc eſſe, quem prius verbis illis deſignaverat: *Venerandum tuum verum, & unicum Filium.* Refert Amalarius, ætate ſua Romæ *Te Deum* recitatum non fuiſſe, niſi Confeſſorum Pontificum Feſtis; invaluerat enim fortaſſe opinio, Hymnum iſtum a S. Ambroſio, atque a S. Auguſtino compoſitum fuiſſe, atque ad coleudos Pontifices Sanctorum horum Epiſcoporum Hymnus recitabatur feſtis diebus Sanctorum in Epiſcopatu ſodalium.

Canticum iſtud a quibuſdam Hymnus Dominicalis appellatur, quia olim Dominicis tantum dici ſolebat.

Verſiculus Sacerdotalis ita appellatus fuit, ut a reliquis verſiculis diſtingueretur, qui a pueris, vel a junioribus Clericis canuntur, & quia a celebrante dicitur; poſt quem ſequebatur Collecta, quia Matutinum Officium erat a Laudibus ſejunctum, quemadmodum Romæ Natalis nocte ſervatur. Carthuſiani Collectam diei propriam quotidie poſt Matutinum dicunt, cum *Benedicamus Domino*, antequam Laudes incipiant. Pariſiis, Meldis, atque in pluribus aliis Eccleſiis, item a Præmonſtratenſibus Verſiculus Sacerdotalis ſervatus eſt.

CAP. XXXIV.

De Laudibus.

LAudes Officium erant a Nocturni ſejunctum; hi enim noctu dicebantur, Laudes vero ſummo mane, teſte Gregorio Turonenſi de Mir. S. Martl. 2. c. 1. *Vigilias implevimus; mane autem facto, ſigno ad Matutinas commoto reverſi ſumus dormitum.* Hæc eſt vera Laudum ſignificatio, Matutinum ſcilicet Officium, ſive ut veteres Scriptores loquuntur, Matutinæ Laudes. Idem Gregorius Turonenſis mortem S. Galli deſcribens ait in Vit. Patr. c. 5. *Et ille Pſalmo 50. & benedictione decantata, & Alleluiatico cum Capitello expleto conſumavit totum Officium temporis Matutini.* Ex hoc loco intelligimus id omne, quo Laudes conſtarent, ſcilicet Pſalmo 50. *Miſerere*, Benedictione, ſcilicet pſalmo *Benedicite*, qui ſemper benedictio appellatur. Pſalmus Alleluiaticus eſt 148. atque duo ſequentes; duo *Laudate*, & *Cantate*. Capitulum Lectio erat, atque per eam Officium illud definebat, neque Hymnus ullus, aut *Benedictus* habebatur.

Hoc Laudum Officium adeo conſtan-

cer

ver ſummo mane Romæ dicebatur, ut ſatius viſum fuerit contrahere Matutinum, ut Paſchatis, & Pentecoſtes tempore fieri ſolet; quo Matutino in ſeram noctem dilato ob Sabbati præcedentis prolixiora Officia duo Nocturni amputabantur, atque Laudes ſtatim poſt primum incipiebant, ut refert Amalarius: *Ipſa quoque Eccleſia Romana quantocumque ordine, vel numero Lectionum viderit matutam procedere, dimittit Nocturnale Officium, atque incipit Matutinale.* Vox iſta *Matuta* a mane derivatur, atque Auroram ſignificat, unde Matutinus. S. Benedictus in ſua Regula c. 7. eadem de cauſſa jubet, ut aliquid e Lectionibus, & Reſponſoriis Matutini amputetur, atque ideo in pluribus Eccleſiis per æſtatem diebus ſolemnibus vigiliæ Matutinum citius incipit, quia cum Officium longius ſit, quam diebus aliis, eoque tempore nocteſ breviſſimæ, ſi Matutini recitatio ad mediam noctem differretur, Laudibus ſub lucis ortum initium dari non poſſet. Durandus l. 4. c. 4. teſtatur, morem iſtum Matutinum in majoribus ſolemnitatibus per æſtatem veſpere recitandi, ætate ſua valde frequentatum eſſe, ut Feſtis S. Joannis Baptiſtæ, & ſancti Petri. Propter eamdem hanc rationem, quod Officium longius fuerit hyeme, quam æſtate, Chrodogangus jubet, hyeme ſecunda tantum poſt mediam noctem hora ſurgendum eſſe, ut Nocturnorum finis in Auroram incidat.

Diſcimus ex Regula S. Benedicti, quæ fuerit Romæ laudum diſpoſitio; Sanctus enim ille vir Eccleſiæ Romanæ morem hac in re ſecutus eſt, Canticum e Prophetis excerptum ſingulis diebus canendi: *Canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana.* Juxta Regulam iſtam Pſalm. 66. *Deus miſereatur* ſine Antiphona dicitur: ad Laudes vero *Laudate*, Lectio, Hymnus, ſive *Ambroſianum*, Verſiculus, *Canticum* de *Evangelio*, ſcilicet *Benedictus* pro Matutino tempore, Litania, ſive *Kyrie*, & *completum eſt*, tandem *Pater*. Facile eſt perſpicere, quanta ſit inter hæc, & Laudes noſtras ſimilitudo, quibus *Miſerere* dicimus, quod Gregorius Turonenſis adnotavit; Dominicis vero *Deus miſereatur*, *Benedicite*, duo *Laudate*, & *Cantate*; mutabant quoque Prophetarum cantica ſingulis hebdomadæ diebus, quemadmodum & nos ſolemus. Concilium Toletanum IV. anno 633. jubet, *Benedicite* ſingulis diebus Feſtis ad Miſſæ Officium dici, atque *Hymnum trium puerorum vocat*, quod Romæ ſervatur in Miſſa Sabbathi quatuor Temporum.

Ratio, qua Laudes Romæ dicuntur, cum S. Benedicti Regula potius, quam cum Officiis aliis congruit. Scimus quidem ex Caſſiano in Orientis Monaſteriis e noſtris pſalmis plures ad Laudes recitatos fuiſſe; quod etiam ex Regula Aureliani innoteſcit; videlicet, *Deus Deus meus ad te*, duo *Laudate*, *Cantate*, & alios cum Hymno *Splendor æternæ gloriæ*, vel *Æterne lucis conditor*, breve Capitulum, & duodecies *Kyrie*: ſed nullum eſt Canticum neque e Prophetis, neque ex Evangelio. Idem conſtat ex loco S. Gregorii Turonenſis paulo ſuperius recitato. In Officio Mozarabico loco *Benedictus*, varia ſunt cantica, & Natali atque Feſtis B. V. ad Laudes dicitur *Magnificat*, atque S. Joannis Baptiſtæ Feſto *Benedictus*. Ubique fere *Laudate Dominum de Cœlis* inveniturcum duobus ſequentibus pſalmis, atque inde Officium hoc *Laudum* nomen traxit.

Laudum lectio *Capitulum* appellatur; a Gregorio Turonenſi, *Capitellum*; a S. Benedicto *Lectio brevis*, eratque memoriter a celebrante recitanda; quando enim unica Lectio in officio eſt, celebrantis eſt eam recitare. Ad Matutinum vero, quia complures ſunt, a pluribus perleguntur, atque poſtrema ex Evangelio petita digniori reſervabatur; eaque de cauſſa in capitulis iſtis *Jube* non invenitur, quia ille, cujus eſt ea recitare, ſcilicet celebrans officium pro arbitratu ſuo ordinare poteſt, neque alterius venia opus habet. Hiſce vero capitulis non præfigitur ulla inſcriptio ob rationem a nobis jam allatam.

Hymnus ad Laudes, Veſperas, & Completorium poſt Pſalmos dicitur, aliis vero horis ante Pſalmos, quod ex Regula S. Benedicti acceptum eſt. In

Re-

Regulis s. Cæſarii, & s. Aureliani Hymni poſt Pſalmos dicuntur ad omnes officii Horas, idemque ordo ubique ſervatur, ſcilicet Pſalmorum, Hymnorum, & Capitulorum.

A S. quoque Benedicto Evangelii Canticum *Benedictus* ad Laudes ſumptum eſt, in aliis vero Monaſticis Regulis non occurrit. S. Benedictus nullam Antiphonam ad *Benedictus* deſignavit, atque Romæ diu ſervatum eſt, ut ad *Benedictus*, & *Magnificat* Antiphonæ ex Evangelio eſſent petitæ pro ratione Feſti, quod incidiſſet. In quibuſdam Regulis, *Magnificat* ad Laudes dicebatur: mos Romæ *Benedictus* recitandi a s. Benedicto profectus eſt.

Litaniæ, ſive preces, quæ poſt *Benedictus* ſequuntur, extant apud s. Benedictum; olim autem *Kyrie* tantum ter dicebatur: in Regula Aureliani ſtatutum eſt, ut duodecies ſingulis diei Horis dicatur: Carthuſiani noviesad Laudes repetunt. S. Benedictus addit *Pater* pro Officii coronide; ſed huic ſuperadditæ deinde fuere breves quædam ſententiæ e Pſalmis excerptæ, quas Concilium Agathenſe anni 506. *Capitella Pſalmi appellat*; Pſalmus demum *Miſerere* totus infertus fuit. Amalarius ait, id ſua ætate ſervatum fuiſſe; diciturque ad hanc diem tribus ante Paſcha diebus ad Horas omnes, Laudes, & Veſperas, omnibuſque majoribus Feriis. In Eccleſiis quibuſdam alii Pſalmi recitabantur, ut *Domine ne in furore*, vel *Ecce quam bonum*, vel *De profundis*.

Preces hæ *Obſecrationes* dicebantur, quia pro Eccleſia, pro Rege, pro populo, juxta s. Pauli mandatum oratio fit. Amalarius *Preces flebiles præſentis vitæ* appellat; hinc Feſtis, & ſolemnibus diebus prætermittebantur. Superſunt tamen in Defunctorum Officio, & Romæ majoribus Feriis. Præſcribuntur quoque a Concilio Cloveshovienſi in Anglia octavo ſæculo can. 30. *Inſtitutum eſt per Horas Canonicas orationem* ....

Preces, quæ ad Laudes, & Veſperas majorum Feriarum diebus recitari ſolent, Monachis acceptæ ferendæ ſunt. Romæ, ubi Pontifex Epiſcopi ſimul, & Principis munere fungitur, pro Rege, & Diœceſano Epiſcopo oratio non fit: at in Gallia ſancitum fuit, ut Breviariis Romanis oratio illa inſeratur. Preces iſtæ plerumque a pſalmis petitæ ſunt, fiuntque pro privatis hominibus, pro Clero, *Sacerdotes*, pro Rege, *Domine ſalvum*, pro Republica, *Salvum fac populum*: pro ſingulis ordinibus, *Memento Congregationis*; pro defunctis, pro iter facientibus, atque præcipue pro Cruce ſignatis in Hieroſolymitanæ expeditione, vel captivis apud Infideles: *Pro fratribus abſentibus . . . pro æſtivis, & captivis*.

CAP. XXXIV.

De Collectis.

PReces, ſive Collectæ, quas poſt Litaniam dicimus, ſerius adhibitæ fuere. Sanctus enim Benedictus in ſua Regula, nullas præſcribit, Officiumque per *Pater* definebat, quod clara voce ab Abbate pronunciabatur, atque inde abire licebat: *Poſt orationem Dominicam Miſſas fieri*, ſive, poſt abſolutum Officium Conventum dimiſſum eſſe; ſolebat enim non in Eccleſia tantum, ſed etiam in Principum Palatiis, atque Judicum Prætoriis abſoluto conventu populus dimitti formula iſta: *Ite Miſſa eſt*, quemadmodum ex Epiſtola quadam Aviti Viennenſis conſtat ad Regem Gondebaldum data; idque in Eccleſia ad Liturgiæ finem adhuc ſupereſt.

Poſt *Pater* nulla erat Collecta neque in Regula s. Benedicti, neque in Romano Officio, teſte Joanne Diacono, qui affirmat, Dominicis diebus cœptum eas eſſe inferere, poſtea vero aliis etiam diebus: *Nonniſi Dominica in Officiis mitiur oratione, quædam aliæ orationes ſunt ſuperaddite*, atque oratio hæc *Collecta ad complendum* appellata fuit; quia per illam Officium abſolvitur, atque completur.

Collectæ ita dicuntur, vel quod e Scripturæ Libris collectæ ſint, vel quod Sacerdos populi vota colligat, aut deum

mum quod collecto tantum populo fiantt *Super collectam plebem*. In veterum scriptis collecta populi etiam conventum significat. s. Gregorius eas emendavit, atque in meliorem ordinem digeſſit, ex quibus Sacramentarium ſuum compoſuit. Quare eorum fere Auctor haberi poteſt; rara enim illarum ante ipſum mentio habetur. Collecta definit in clauſulam iſtam, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, quia Sacerdos Deum alloquitur per Jeſum Chriſtum Mediatorem in unitate Spiritus Sancti. S. Fulgentius teſtatur, Africæ Eccleſias preces ſuas iiſdem verbis abſolviſſe. Poſtrema verba, *Per omnia ſæcula ſæculorum* a Græca Eccleſia accepta ſunt. Refert s Irenæus, Valentinianos verbis, quibus in Eccleſia utimur, uſos fuiſſe ad confirmandos Æonas ſuos. Extat Epiſtola Fulberti Carnotenſis ad Hildegardum Decanum s. Hilarii Pictavienſis, qui Collectarum uſum poſt officium in Eccleſiam ſuam invehere volebat: Fulbertus vero ſuadet, ut veterem Eccleſiæ ſuæ morem non immutet: *Finitis autem Capitulis poſt orationem Dominicam, ubi dicitur, Domine exaudi orationem meam, ſtatim eſſet ſubjungenda oratio, quæ ex libro Sacramentario recitatur; patere tamen Eccleſiam retinere uſum ſuum uſque ad præſens.*

Animadvertendum itaque eſt, licet nullibi majori eloquentia, quam Romæ Collectæ conſcriptæ ſint, ſerius tamen in Divinum Officium invectas fuiſſe, atque pro Miſſa tantum deſerviſſe. Horæ omnes *Pater* abſolvebantur; Collectæ vero dicebantur, cum populus conveniebat, ut ab una ad aliam Eccleſiam tranſiret, teſte Micrologo cap. 3. *Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper Collectam populi fiunt dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam ad ſtationem faciendam*. Stationes autem ſtæ ad Miſſam celebrandam fiebant. Valafridus Strabo cap. 22. ait, Celebrantis eſſe recitare Collectam, quia ipſe incipere, atque abſolvere officium debet.

Affirmat Micrologus cap. 5. Collectas nonniſi ex Sacramentario s. Gregorii ſumendas eſſe, ubi omnes collectæ ſunt, atque juxta Concilium Mileſitanum a Concilio probandas eſſe; juxta Carthaginenſe vero Concilium, cui s. Auguſtinus interfuit, ad Patrem eſſe dirigendas: *Nullus ad altare Patrem pro Filio, aut Filium pro Patre nominet, ſed ſemper orationem ad Patrem dirigat*; atque ita præceptum a Jeſu Chriſto traditum Matth. 6. ſervari, qui cum oramus, *Pater noſter*, dicere juſſit. Tertullianus Apolog. c. 21. ait, Chriſtianorum Fidem Deo per Chriſtum honorem tribuere, atque tunc nos a Deo exaudiri, quia Filium ſuum, quem precibus noſtris illi proponimus, agnoſcit. Idem quoque apud s. Juſtinum habetur. collectæ propterea *per Dominum noſtrum Jeſum* abſolvuntur. Adnotavit Micrologus c. 3. poſtquam mentio de Filio in Collecta facta fuerat, finem illis verbis impoſitum fuiſſe: *Qui tecum vivit, & regnat*, ſicuti Natalis feſto: *Præſta ut natus Salvator*, atque ita de aliis. In oratione ita mentio fit Trinitatis: *Qui tecum vivis in unitate Spiritus*. Ordo vero Romanus, atque antiquiſſima exemplaria habebant: *Qui tecum vivis, & regnas Deus in unitate*: hodie autem *Deus* poſt *in unitate Spiritus Sancti* dicitur, quod Micrologi ætate adeo Romæ nemine obſiſtente invaluerat, ut vetus ratio ſine ſcandalo reſtitui non potuiſſet; adeo ejus uſus deſueverat.

Mos Officia per *Pater* abſolvendi in Concilio Toletano IV conſpicitur can. 10. atque in officio Mozarabico ſervatur. *Pater* alta voce dicitur, atque ad ſingulas petitiones *Amen* reſpondetur, quarta excepta, *panem noſtrum*, ad quam dicitur: *Quia tu es Deus*. Poſtea oratio ſequitur. Joannes Abrincenſis, Archiepiſcopus poſtea Remenſis, in ſuo de Officiis Tractatu XI. ſæculo ſcripto, ait, Laudes, & reliquas Officii Horas per Dominicam orationem abſolutas fuiſſe, Feſtis exceptis: *Laudes in veteribus Horis cum Oratione Dominica, & precibus, exceptis Feſtis, Oratione vero ſemper complentur*. Hinc apparet mos preces amputandi diebus Feſtis.

Quod attinet Commemorationem, & ſuffragia Sanctorum poſt Officium,

Micrologus cap. 4. ait, juxta veterem Romanum morem, unicam orationem etiam ad Miſſam recitari ſolitam fuiſſe. Sed cum eorum numerus in Miſſa auctus fuit, idem in officio quoque præſtitum eſt: conqueritur vero de magnifico Commemorationum numero, quibus officium refertum fuerat, optatque, modum quemdam in iis adhiberi. Agit c. 30. de commemoratione Crucis, quæ in Adventu non fiebat uſque ad Pentecoſten, tam ad Veſperas, quam ad Laudes, etiam Feria ſexta: Dominicis vero per hoc tempus Trinitatis commemorationem omiſſam fuiſſe: *Ab Adventu uſque poſt octavam Pentecoſtes ſolitam mentionem Sanctæ Crucis ad Veſperam, ſive ad Matutinum, & in Feria ſexta, & de S. Trinitate Dominicis diebus retinere ſolemus.* Queritur etiam de illis, qui Crucis commemorationem repetebant medio tempore, quod Purificationem, atque Septuageſimam intercedit: *Cum illo tempore*, inquit, *de Infantia Chriſti potius quam de Paſſione canitur, atque legitur.* In Concordia s. Dunſtani mentio fit ſuffragiorum Crucis, B. V. atque Patroni, pro quorum ſingulis Antiphona deſtinatur, ſub unica tantum collecta: *Quibus finitis cantent Antiphonam de Cruce, inde antiphonam de B. Maria, & de Sancto P.* Unica autem collecta, ſive oratio varia hæc argumenta, quorum Antiphonæ recitatæ fuerant, comprehendebat.

In Commemorationibus Sanctorum communis *ora*, vel *orate pro nobis*, N. *ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*, legitur apud Petrum Damianum opuſc. 15. c. 9.

Ut ad Laudes redeamus, videmus ex Regula Aureliani, Pſalmos omnes, qui recitabantur, ad matutinas preces referri: *Judica me Deus*: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*: *Laudate Dominum de cœlis*: *Cantate*: *Laudate Dominum in Sanctis*: quod Romæ in primis Feriarum Pſalmis ſervatum eſt: Feria ſecunda dicitur, *Mane exaudies*, Feria tertia, *Emitte lucem tuam*. Feria quarta, *Exitus Matutini*. Feria quinta, *Mane ſicut herba*: *Repleti ſumus mane*. Feria ſexta, *Audiam hoc mihi mane miſericordiam tuam*.

Nonnulli exiſtimarunt, *Te Deum* ad Laudum officium pertinuiſſe: ſed ex Natalis officio habemus, Hymnum illum ad Matutinum, antequam prima Miſſa inciperet, recitatum fuiſſe. Verſiculus Sacerdotalis, qui in nonnullis Eccleſiis dicitur, id poſt officium factum fuiſſe demonſtrat.

Quod ſi nonnullis anni temporibus Crucis, aliorumque Sanctorum commemoratio omittitur, id ea gratia fit, ut temporum illorum argumento unice intenti ſimus: tempore Paſchali vero, commemoratio eſt potius Reſurrectionis, quam Paſſionis Jeſu Chriſti.

Antiphona *Sancta Maria ſuccurre miſeris* . . . . pro commemoratione Virginis, eſt Ambroſii Auſperti Monachi Beneventani octavi ſæculi in quodam ſermone falſo s. Auguſtino tributo, quemadmodum in Breviario Romano legitur ad ſecundum Nocturnum 9. Septemb.

CAPUT XXXV.

De Prima, atque de Symbolo S. Athanaſii.

PRima erat oratio, quæ Sole ſupra Orizontem orto fiebat: *Iam lucis orto ſydere*. Pagani fere omnes Solem adorarunt; Perſæ, atque orientales manus oſculo, cum oriebatur, ſalutabant. Scriptura vero ſalutationem iſtam prohibet. Gentilium Sacerdotes ad orientem ſacrificare volentes ſe convertebant, eorumque Templa orientem ſpectabant, qui mos ad Chriſtianos etiam tranſivit, qua de cauſſa eos criminabantur Ethnici, quaſi Solem adorarent: adorabant vero Solem juſtitiæ, qui in Scriptura *Oriens ex alto* dicitur.

Ante Caſſiani tempora nullum Horæ primæ veſtigium extat, teſtaturque l. 3. Inſtit. c. 4. in Monaſterio Bethleemitico ætate ſua additam Officio fuiſſe, eique tres Pſalmos, atque tres collec-

Digitized by Google

ſtas tributos, id vero per Orientem non ſervatum. Videri etiam poſſet *is*, Laudes potius quam Primam ſignificare voluiſſe; veteres enim Scriptores, qui matutinæ orationis meminerunt, *mane ſurgendum*, de Laudibus noſtris intelligendi ſunt. Itaque Caſſiano teſte in Bethleemitico Monaſterio Prima ad Laudes addi cœpit, ut Monachis negotium daretur otioſis alias ad Tertiam uſque futuris, qui vel obdormiſcere cœpiſſent, vel ſi cubitum conceſſiſſent, ad Tertiam uſque, cum per intervallum illud omni opere vacarent, jacuiſſent. Prima, *altera Matutina* ab ipſo appellatur, quia mane orto jam Sole dicebatur. S. Aurelianus Primam Laudibus jungit, præſcribitque ad Primam duodecim Pſalmos, Hymnum, & tres Lectiones: *Poſt Matutinas ad Primam duodecim Pſalmi dicuntur*. S. Benedictus aperte Primam a Laudibus diſtinguit, jubetque cap. 16. hunc ordinem in ea ſervari: *Deus in adjutorium*, Hymnus, tres Pſalmi cum *Gloria* ad cujuſque finem Lectio, Verſiculus, Kyrie eleyſon, inde abire licebat, *Miſſa fiat*.

Hora Prima Romæ Amalarii tempore recepta conſpicitur, qui l. 3. c. 2. refert a *Deus in adjutorium* cum *Gloria Patri*, initium illi datum fuiſſe; ſed nil habet de Hymno *Jam lucis*, quia nulli Hymni ejus ætate Romæ recitabantur. Hymnus vero *jam lucis* habetur in cap. 3. Libri *Speculum* inſcripti, qui Hugoni a s. Victore tribuitur. In Pii V. Breviario initium fit a *Pater*, *Ave*, *Credo*, quæ ſubmiſſa voce dicuntur, quia illa Officii non ſunt; deinde *Deus in adjutorium*, Hymnus *jam lucis* inter Ambroſianos, qui numquam mutatur, cum ad hujus Officii Horam referatur, quemadmodum & Collecta *Domine Deus omnipotens*, quæ ſemper quocumque demum Feſto eadem perſtat.

Prima ſine Antiphona dicebatur. Primus Radulphus Tongrenſis ſcribit, ſingulas diei horas Antiphonam habere. Minores autem Horæ olim nullam Antiphonam habebant, quemadmodum conſtat ex Ordinibus Romanis, hodieque ſervatur tribus ante Paſcha diebus, Paſchatis hebdomadæ, atque Feſtis duplicibus, quibus ad minores Horas Antiphonæ numquam duplicantur. Antiphonæ autem iſtæ pro minoribus tantum Officiis erant, quæ canebantur. Pſalmus *Beati immaculati* pro minoribus Horis peculiaris eſt Eccleſiæ Romanæ mos, aliuſque in Breviario Monaſtico ſervatur. Quare videmus in Vita s. Benedicti Aniauenſis. Pſalmum illum juxta Romanum ritum recitatum fuiſſe: *Divinum Officium juxta Romanum Pſalmo 118. perſolvatur*. Obiit autem is anno 821. Ante Pſalmum *Beati immaculati* ſex Pſalmi Romæ recitabantur, a *Confitemini* initio facto, atque adhuc in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis Dominicis diebus dici ſolent; verum in poſtremis Breviariis emendatioribus hi Pſalmi in ſex dies diſtributi ſunt, in Dominicam ſcilicet, & quinque alios hebdomadæ ſequentes dies, cumque ſeptimus pro Sabbato deeſſet, unde ea die Pſalmo caruerit. Dominicani, & Carmelitæ diebus Dominicis a Septuageſima uſque ad Paſcha novem iſtos Pſalmos recitare ſolent.

Poſt Pſalmos Primæ, Dominicis diebus dicitur Symbolum s. Athanaſio tributum: *Quicumque vult ſalvus eſſe*. Ejus auctor ignoratur, neque ejus in tota antiquitate mentio occurrit. Adverſus Arianos, Neſtorianos, aut Eutychianos numquam in teſtimonium adductus fuit, neque extat in veteribus operum S. Athanaſii Codicibus Mſſ. Proferri quoque non poteſt occaſio, tempus, aut ratio, cur s. Athanaſius ſymbolum hoc conſcripſerit, præterquamquod profiteatur ipſe in Epiſt. ad Antioch. numquam ſe formulas, aut ſymbola fidei conſcribere voluiſſe, cum pro conſtanti haberet eſſe Nicænæ adhærendum. Stylus, atque voces, quibus contextum eſt, demonſtrant, a Latino, non a Græco homine conſcriptum fuiſſe. Errores vero Neſtorianorum, Eutychianorum, atque Monothelitarum tam aperte impugnat, ut facillimum ſit arguere, illud poſt Hæreſes iſtas extortas, atque earum impugnandarum gratia compoſitum fuiſſe. Nonnulli Gallocuidam tribuunt, quod in eo ſcriptum ſit, Spiritum Sanctum

a Patre, Filioque procedere, atque in Concilio quodam Auguſtodunenſi s. Legerii ætate anno 670. recitatum ſit; exiſtimant enim eo reſpexiſſe canonem illum, qui de Fide s. Athanaſii, atque ſymboli Apoſtolorum agit: *Si quis Symbolum quod Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſii non recenſuerit . . . .* In Concil. o Toletano IV. anno 633. leguntur ſententiæ quædam, atque locutiones, quæ ex hoc ſymbolo petitæ videntur. Nihil tamen ibi dicitur eas a ſymbolo s. Athanaſii ſumptas fuiſſe; Canon vero Auguſtodunenſis fortaſſe non adeo vetus eſt, ut fert opinio; neque enim in vulgaribus Canonibus reperitur, ſed tantum in Ms. quodam Bibliothecæ s. Benigni Divionenſis. Diſſimulandum autem non eſt, a Gallis primum s. Athanaſii nomine probatum fuiſſe, neque inficias iverim, Gallum quemdam illud partim e Toletano Concilio excerpſiſſe, Sanctique Athanaſii nomine inſcripſiſſe, quæ ſuit Pithœi ſententia *lib. de Prece. S. Sanctî*, atque etiam Voſſii de *tribus Symbolis*, Carolique Magni ævo compoſitum fuiſſe, cum quæſtio de Proceſſione Spiritu Sancti agitaretur. Ex Græcis Emanuel Calecus lib. 2. non abhorret ab eorum ſententia, qui illud s. Athanaſio tribuunt. Verum ſi hæc eorum, & Latinorum conſtans fuiſſet opinio, Symbolum hoc a s. Athanaſio conſcriptum fuiſſe, ejus teſtimonium ſub diſputationum exordium prolatum fuiſſet, quibus dubitatio hæc pertractata fuit, cum tamen non videamus Latinos illis ſymbolum hoc tanquam s. Athanaſii opus a Photii ætate uſque ad Gregorium IX. obieciſſe, ſub quo ab ejus Apocriſariis primum in cauſæ patrocinium advocatum fuit, licet diſputatio illa ante quingentos annos excitata fuiſſet.

Alii vero exiſtimant, Symbolum hoc Vigilii Tapſenſis opus eſſe, qui ad quinti ſæculi finem vivebat, quia ſcripta ſua ſub alicujus Patris nomine edere ſolebat; quemadmodum ex ejus Dialogo adverſus Arianos patet, quem ſancti Athanaſii nomine conſcripſerat, ut ipſe in ſua Præfatione fatebatur: *Sabellium Photinum, Arium, atque ad noſtras partes, Athanaſium adduxi, ut veritas ad omnem notitiam perveniret.* Præterea quia Vigilius iſte libris ſuis Neſtorianos, atque Eutychianos impetere ſolebat, quod conſilium a ſymboli auctore ſibi quoque propoſitum fuiſſe videtur. Utut demum ſit, opus certe eſt Latini hominis, Græce poſtea converſum; quæ ratio eſt, cur Græca interpretatio, a Latino textu differat.

Affirmari non poteſt, quo tempore *Quicumque* Romano Officio inſertum fuerit. Verum Amalarius ea de re agit, teſtaturque ætate ſua recitatum fuiſſe. In Regula vero S. Benedicti nulla ejus fit mentio; neque etiam in novo Breviario Cluniacenſi. Hincmarus Remenſis in Synodo quadam an. 852. ſtatuit, ut perlegeretur, atque S. Athanaſii ſymbolum appellat.

Honorius Auguſtodunenſis l. 2. c. 19. refert, in quibuſdam Eccleſiis quotidie ad primam cum oratione Trinitatis, *Omnipotens, qui dediſti famulis veræ Fidei Trinitatis*, recitatum fuiſſe. In Catalogo Abbatum Floriacenſium ad Ligerim Tom. 2. Miſcell. Baluz. refertur, Theodulphi Abbatis tempore ad Primam tres Pſalmos quotidie perlectos fuiſſe, atque poſt eos explicationem Symboli S. Athanaſii ab illo Abbate compoſitam. *Explanationem Symboli S. Athanaſii quod ad Primam quotidie canitur.* Idem videre eſt in Ordinario S. Apri Tullenſis, atque in conſuetudinibus Cluniacenſibus, ab Ulrico collectis l. 9. c. 3. *Quicumque nulla die omittitur a nobis, ſed in privatis diebus finul cum aliis Pſalmis in Dominica poſt preces.* Poſt pſalmos quotidie dicebatur, & Dominicis poſt preces. Novum Breviarium Cluniacenſe hunc morem non ſervavit, ſed penitus Symbolum hoc præcemiſit. Carthuſiani quoque illud quotidie recitant poſt Pſalmos Horæ primæ, ſicuti etiam Eccleſia Senonenſis.

Mos illud Dominicis tantum recitandi, ut Romæ fit, in Attonis Baſileenſis Capitularibus reperitur: *Ut fides S. Athanaſii a Sacerdotibus dicatur, & ex corde die Dominico ad Horam Primam reciteturi.* Fiebat autem id memoriter. Ulticus quoque l. 1. c. 3. de more agit illud

lud Dominicis tantùm recitandi ; *Nonnullæ Eccleſiæ nonniſi in Dominica.*

Advertendum eſt cum Abbone Floriacenſi Abbate ad Ligerim anno 995. articulum de Spiritu Sancto non eadem ratione ab omnibus lectum fuiſſe ; quidam enim dicebant, *Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Alii vero, *Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, ſed procedens.*

Poſt Symbolum Lectio e Scriptura petita legitur. In Regula S. Aureliani duæ erant Lectiones, ex novo una, ex Veteri altera Teſtamento. In Magiſtri Regula duo quoque ſunt, ex S. Paulo, atque ex Evangelio excerptæ ; Evangelicam vero Abbas legere ſolebat.

Additæ deinde fuere Primæ Officio longiores preces, quæ in Regula S. Benedicti non inveniuntur, neque etiam in novo Breviario Cluniacenſi, licet Ulricus referat eas 31. verſiculos complexas fuiſſe : *Ad Primam ſunt preces, 31. verſiculorum* ; hæ vero preces ſunt in Breviario quodam Caſſinate undecimi ſæculi. In Regula Chrodogangi c. 18. ſtatutum eſt, ut ad Primam dicatur Pſalmus *Miſerere* ante *Confiteor*. Servati tantum fuere aliquot verſiculi, *Averte faciem . . . . Cor mundum . . . . Ne projicias me . . . . Redde . . . . .* Hæ vero preces a Monachis acceptæ fuerunt, atque Romano Breviario inſertæ Gregorii VII. ævo.

Confiteor ad Primam in Regula Chrodogangi invenitur : *Prima expleta dabunt Confeſſiones, dicendo, Confiteor Deo, & tibi Frater, quia peccavi in cogitatione, locutione, & opere, propterea precor te, ora pro me.* Confeſſio invicem fiebat, atque hinc dicebant, *Confiteor tibi*, reſpondebatur vero, *Miſereatur tui*. Juxta Chrodogangum *Confiteor*, non dicebatur inter preces, ut hodie ſolemus, ſed poſt Primam, atque ante pſalmum 50. *Convenientes ad Primam, dum completur ipſum Officium ante Pſalmum 50. docens Confeſſiones ſuas viciſſim.* Fiebat autem id fortaſſe ante verſiculos ex pſalmo 50. petitos. Sanctus Dunſtanus quoque *Miſerere* recitari vult poſt Primam cum pluribus aliis precibus. Lanfrancus ſeptem pſalmos, & Litanias hoc loco ſtatuit. In Breviario Ciſtercienſium tam ad Primam, quam ad Completorium, neque preces, neque *Confiteor* dicuntur. In Eccleſiis pluribus *Confiteor* erga Præpoſitum, non vero Celebrantem pronunciatur, illiuſque eſt *Miſereatur*, & *Indulgentiam* recitare, atque abſolutionem largiri. *In Confiteor* Confeſſio invicem fiebat : *Dicans omnes, quilibet cum ſocio ſuo, Confiteor*, reſpondebatur vero, *Miſereatur tui* ; vel Præpoſitus dicebat, *Confiteor* pro ſe ipſo tantum, Conventus vero ajebat, *Miſereatur tui*, atque poſtea *Confiteor* in commune ; Præpoſitus vero repetebat *Miſereatur veſtri . . . . Indulgentiam.*

CAP. XXXVI.

De Officio Capituli, quod dicitur poſt Primam.

CApituli Officium dicitur quidquid ad Primam recitatur poſt Orationem *Deus Omnipotens* uſque ad finem, quia id in Capitulo dicebatur, ubi tunc Conventus habebatur. Poſt Primæ, & Necrologii Officium opus ſuum cuique pro die illa diſtribuebatur, atque Martyrologii Lectio fiebat, Regulæ Caput aliquod legebatur, atque ad opus Monachi ſe præparabant. Locus ille *Capitulum* appellabatur, quia Capitulum Regulæ ibi perlegebatur. Quæ res nomen deinde dedit ipſi Canonicorum, & Monachorum Conventui, qui ibi habebatur. Chrodogangus jubet quotidie, Regulæ Capitulum poſt Primam legi ; quibuſdam vero locis poſt Tertiam. S. Dunſtanus, & Lanfrancus æſtate poſt primam, hyeme vero poſt tertiam id fieri jufſerunt.

Capitulum locus erat Clauſtro contiguus, atque plerumque ad ejus Orientalem plagam, ut Petrus Bleſenſis ſerm. 25. adnotavit : *Ad Orientem in Capitulo correctio Matutinalis.* Subeuntibus ex adverſo Crux obvia erat, quam venerabantur ; *Converſi ad Orientem ſalutent Crucem*, ut in pluribus Ordinariis ſcriptum

Digitized by Google

ptum eſt. Pluribus vero in locis nullum erat capitulum, ſed in Clauſtro Conventus habebatur. Ex Lanfranco cap. 1. diſcimus *ad ſignum Campanulæ*, quæ per *Miſerere* ſpatium pulſabatur, Monachos, ut ad capitulum venirent, admonitos fuiſſe. Idem jubet, ut ordine per paria veniant, quaſdam preces recitantes. Poſtquam vero capitulum ſubierant, ſibique mutuo ſalutem impertiti fuerant, conſidebant vultu ad Orientem converſo contra Crucem, atque coram ea ſubeuntes corpus inclinabant.

Ubi conventum erat, Martyrologii Lectio Sanctorum memoriam inſtaurabat; in diem ſequentem incidentes Sancti annunciabantur, atque ſub finem verſiculus *Preciosa*, atque Oratio, *Illi & omnes Sancti intercedant*, dicebatur, deinde *Sanctæ Mariæ, & omnes Sancti* adjectum fuit: quod a peculiari quorumdam pietate Romæ invecta profectum fuit; Oratio enim illa ad Sanctos illos tantum referebatur, quorum feſtum annuntiabatur. Verum ad majorem B. Virginis venerationem primo loco eam in Officio pronuntiari viſum eſt, cum ſit commemoratio Sanctorum in univerſum, vel Sancti cujuſdam peculiaris.

Sanctæ Mariæ reperitur in Breviario caſſinate XI. ſæculi. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. jubet can. 66. *ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur*, quod vetuſtiorem morem ſapit. In quibuſdam Ordinariis Monaſticis *Iube* dicebatur, antequam legeretur, juxta Monachorum ritum nihil publice agendi, vel legendi ſine peculiari quadam venia; benedictio vero illa erat, quam nos dicimus ad capitulum: *Dies, & actus noſtros in tua pace*. Martyrologium Sanctis in diem ſequentem annunciandis deſerviebat, non vero ejus diei, quo legebatur; Lunæ quoque, & menſis dies indicabatur. Apud Chrodogangum Regula ante Martyrologium legebatur: *Prima expleto veniant ad Capitulum, in eo aliquod Capitulum relegant; poſt Lectionem recitetur ætas Menſis, & Lunæ, & nomina Sanctorum, quorum Feſta craſtinus recipit dies, & poſtea dicant Preciosa in conſpectu . . . . quem ſequitur oratio a Priore ita & ipſi omnes Sancti intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum, ut mereamur poſſidere vitam æternam*. Ad Martyrologii finem: *Tu autem* non dicebatur; Celebrans autem abſolvi curabat, dicens: *Preciosa . . . & illi, & omnes Sancti*, eos intelligens, qui ob temporis anguſtias nominari non potuerant; aliquando enim Lectiones illæ tam longæ erant, ut totæ perlegi non poſſent; id vero in novo Cluniacenſi Breviario emendatum fuit, dicturque *ipſi*, vel *ipſæ, & omnes Sancti intercedant*.

Calendaria Martyrologiis occaſionem dederunt. Omnium, quæ extant, primum Calendarium a Papa Liberio compoſitum fuit ad quarti ſæculi medium, editumque a Bucherio Jeſuita an. 1634. quod illi Peireſchius comunicaverat. Extat & aliud quinto ſæculo a S. Eucherio Lugdunenſi compoſitum, quod Gentilium, & Chriſtianorum. Feſta complectitur; aliud quoque Carthaginenſis Eccleſiæ quinto ſæculo exeunte a Mabillonio publici juris factum. Calendaria Eccleſiæ Libris jungebantur; quare Calendaria compoſita fuere Feſtis, Stationibus, & Evangeliis cujuſque diei deſignatis; juxta Calendaria vero Martyrologia quoque digeſta fuere, quæ Martyrum nomina dumtaxat, atque locorum, ubi paſſi fuerant, ſub initia continebant. Primus Florus eorum geſta, tormenta, atque vitæ compendium addidit, quem Rabanus ſequutus eſt.

Martyrologii uſum apud S. Gregorium Papam l. 7. ep. 25. invenimus; Martyrum fere omnium nomina, inquit, per dies, quibus paſſi ſunt, diſtincta habemus. Concilium Cloveſhoenſe in Anglia anno 742. meminit Martyrologii Romani, quod tunc præ omnium manibus erat; per anni curſum, inquit Concilium, Sanctorum natalitia ſuis diebus celebranda ſunt, juxta Martyrologium Eccleſiæ Romanæ cum cantu illis proprio. Martyrologium hoc id ipſum eſt, quod S. Hieronymi nomen præfert, ſive aliud Roma Aquilejam miſſum, quo Ado uſus eſt. Inde Beda Martyrologium anno 730. compoſuit, aliud

aliud Florus anno 830. aliud Rabanus circa annum 842. aliud Vandelbertus Monachus Prumienſis, verſibus conſcriptum anno 848. aliud Ado an. 858. Verum omnium celeberrimum eſt Martyrologium Uſuardi Monachi S. Germani Pratenſis Pariſiis anno 875. ſcriptum, quod Romæ tamquam omnium commodiſſimum receptum fuit; illudque ipſum eſt, quod hodie in Eccleſiis viget, quæ Romanum recentius adhuc non receperunt.

Martyrologium Romanum, quo hodie utimur, digeſtum fuit Gregorii XIII. Papæ juſſu ab octo viris ſelectis, inter quos Baronius erat. Olim in S. Joannis Lateranenſis, atque aliis præcipuis Urbis Eccleſiis ſolum Uſuardi Martyrologium legebatur; ſed ad recentius iſtud conſcribendum quatuor alia Martyrologia typis jam excuſa adhibita fuere, quæ recentes ad Uſuardum acceſſiones erant, ſcilicet Belini Patavini, Auguſtiniani, qui Martyrologium ſuum Venetiis anni 1498. excudi curaverat cum inſcriptione hac: *Martyrologium Curiæ Romanæ*; Maurolici Benedictini, atque Abbatis Meſſanenſis, qui Martyrologium ſuum ediderat, atque inſcripſerat: *Martyrologium ad uſum S. Eccleſiæ Romanæ*; Molani Doctoris Lovanienſis, quod primum Lovanii anni 1568. editum fuit, atque inſcripſerat: *Martyrologium Uſuardi*; & Galeſinii Mediolanenſis, Protonotarii Apoſtolici, qui Uſuardum maxime deformavit, nullumque delectum ſervavit, atque nihilominus Gregorio XIII. Pontifici inſcripſit cum Epigraphe: *Martyrologium ad uſum Romanæ Eccleſiæ accommodatum*. His Sancti Græcorum Menologii additi fuere.

Legebatur quoque in capitulo Necrologium, eorum nomina ſcilicet, qui ex hac vita migraverant, initio ab inſignioribus viris facto, poſt quos Epiſcopi, de Eccleſia benemeriti, qui eam conſtruxerant, amici, fœderati, aliique defuncti nominatim appellabantur, eorumque merita in Eccleſiam enarrabantur, atque preces pro illis fiebant. Recitari ſolebat pro illis *De profundis*, vel *Miſerere*, cum *Requiem*, atque Oratio, & *Requieſcant in pace*. Singula hæc in precibus Monachorum Fuldenſium carolo Magno oblatis videre eſt: *Liceat nobis orationum, pſalmodiæ, & Vigiliarum modum tenere, quem Patres noſtri habuerunt; pro amicis noſtris viventibus, & Defunctis, id eſt quotidianam precem pro te Domne Auguſte, & pro liberis tuis, & pro omni populo Chriſtiano, quam mane, quando in unum convenimus, & Capitulum de Regula coram Fratribus legebatur.*

Tertio loco eorum, quæ in Capitulo fiebant, erat operis diſtributio ſingulis quibuſque; antequam vero diurno operi initium daretur, preces recitabantur, quæ incipiebant a *Deus in adjutorium* ter repetito, atque in Orationem *Dirigere* definebant. Alicubi, ut Lezovii, hæc oratio penitus omittitur Dominicis, Feſtiſque diebus: *In diebus feſtis a populo*, quia illis diebus opus facere non licet. In aliis vero Eccleſiis viſum eſt, eam ſervare, cum ſit invocatio quædam Divini auxilii pro omnibus diei actibus, & valde ſimilis illi *dirigere corde, corpora, actus*. Ad *Kyrie*, quod poſt *Deus in adjutorium* ſequitur, genua flectebant uſque ad finem *Pater*, juxta S. Dunſtani mandatum, atque conſuetudines Ciſtercienſes. Oratio *Dirigere* contracta fuit; in Ordinariis autem Monaſticis valde longior eſt: *Dirigere, Sanctificare corda . . . . In hac via tua, & in operibus manuum tuarum*. In conſuetudinibus vero Ciſtercienſibus additur Benedictio, *Adjutorium*, ℟. *Qui fecit Cœlum*.

Sancti Patres juſſerunt, clericos, & Monachos opus manuum facere, tam ad victum parandum, quam ut pauperibus opitulari poſſent. Videndus eſt Liber S. Auguſtini adverſus deſides Monachos conſcriptus: *de opere Monachorum*. S. Benedictus idem Monachis ſuis univerſis præcepit, cujus rei innumera ſunt exempla, atque monumenta. Ciſtercienſium, & Carthuſianorum Ordo idem diu in Occidente ſervarunt. S. Franciſcus idem ſuis mandavit, ut ex ipſius Regula, atque Teſtamento intelligimus. Cluniacenſis Ordo opus intermittere cœpit, ejuſque loco longiora Officia, atque



In pluribus Ordinariis minores horæ absolvebantur per *Kyrie Eleyson*, preces, *Pater*, & *Miserere*; dicitur quoque *Miserere* tribus ante Pascha diebus, atque preces majoribus Feriis.

In quibusdam Ecclesiis Festis diebus Tertia canitur solemniter cum cappis, & Organo: in aliis vero fit incensatio; ut Parisiis, atque alibi Pentecostes die fieri solet; Fiebat quoque in nonnullis Ecclesiis solemnium Festorum tempore ad Tertiam, Sextam, & Nonam, sicuti fit singulis Matutini Nocturnis. Sexta plerumque meridie canebatur, atque ideo in quibusdam Ordinariis legitur *Meridie orandum est*, ad Sextam designandam. Recitabatur autem meridie ante prandium, atque ideo pro versiculo dicitur: *Dominus regit me... in loco pascuæ*, quæ verba ad cibum in prandio sumendum referuntur.

Tertiæ igitur, Sextæ, & Nonæ Officium ita appellatur, quia Tertia, Sexta, & Nona diei hora dicebatur. Sexta dicitur, cum Sol cursus sui dimidium confecit, Nona postrema erat diei hora. Amalarius l. 4. c. 1. adnotavit quatuor horis Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ duodecim psalmos recitatos fuisse ad Deum singulis diei horis psalmo uno venerandum.

CAP. XXXVIII.

De Vesperis.

VEsperarum Officium habitum semper fuit, tamquam omnium diei horarum maxime solemne, respondebatque vespertino sacrificio, quod Deus ab Hebræis fieri volebat; offerebant autem hi thus ardens, eaque de causa thus ardens ad Vesperas circumfertur, quemadmodum & ad Laudes, quæ matutino Hebræorum sacrificio respondent. Præterea vespere Christus Ce- sacrificium instituit, inquit S. Ig- rificio respondent. Offic. c. 20. hinc Ecclesia in Christus nullus Christi hujus sacrificii honorem , inquit S. Chrysost. , indemniter celebrat. *Vesperæ* Ecclesiasticæ nunc Ecclesia *vesper vocatur*, ficii nonnullis ficii nonnullis nunc Ecclesiasticæ nunc Ecclesiasticæ Christus nullus Christi hujus sacrificii honorem , inquit S. Chrysost. , indemniter celebrat. *Vesperæ* Ecclesiasticæ nunc Ecclesia *vesper vocatur*, rificio respondent. Offic. c. 20. hinc Ecclesia in Christus nullus Christi hujus sacrificii honorem , inquit S. Chrysost. , indemniter celebrat. *Vesperæ* Ecclesiasticæ nunc Ecclesia *vesper vocatur*, rificio respondent. Offic. c. 20. hinc Ecclesia in Christus nullus Christi hujus sacrificii honorem , inquit S. Chrysost. , indemniter celebrat. *Vesperæ* Ecclesiasticæ nunc Ecclesia *vesper vocatur*, *& decidente Sole exoritur*, ait s. Isidorus. Alii *Lucernarium* appellat, vel *Officium Lucernarum*, eo quod cereos, & Lampades ad Officium hoc accendebant, ut tenebras pellerent; dicebatur enim, cum Lampades accendebantur: *Accensis lucernis*. Magistri Regula *Horam duodecimam vocat*, quod hora duodecima diei postrema recitaretur, sicut & Prima ad diei initium. Ecclesia Mediolanensis officium vespere ad hanc diem decantat, neque nisi luminibus accensis absolvit. Florentiæ, & Lugduni quarta tantum post meridiem hora peragitur. S. Ambrosius l. 5. de Virgin. Vesperas appellat, *Horas inclinationis*.

Constat ex Constitutionibus Apostolicis, ex s. Basilio l. ad Amphilochium, s. Joanne Chrysostomo in Psalmum 118. s. Hieronymo Epistola ad Lætam, s. Epiphanio, aliisque Patribus, Christianos vespere orasse, psalmosque decantavisse, qui ideo *Psalmi Lucernales* dicebantur. Preces vero istæ occasionem dederunt origini hujus Officii, quod procedente tempore publicum, & solemne effectum est. Aliqui pro Nocturno Officio illud habent, ut Cassianus, a quo *Lucernaris hora* dicitur, quia valde fero recitabatur; alii vero inter diei Officia enumerant, ut s. Benedictus, qui cibum sumi ad Vesperas jubet, atque Vesperarum horam ita distribui, ut luminibus opus non foret ad prandendum post Vesperas Quadragesimæ tempore. Hodie vero Benedictini hyeme Vesperas tertia post meridiem hora, æstate vero tertia, & semis recitant. Meminit quoque hujus Officii Concilium Toletanum, quod *Lucernarium* appellat, atque in Ecclesia recitatum fuisse ostendit. *Lucernarium vero nisi in Ecclesia non legatur*. Concilium Agathense can. 30. jubet, ut quotidie peragatur: *Hymni Matutini, & Vespertini dicbus omnibus celebrentur*. Socrates l. 5. c. 25. *Lucernæ accensionem* illud vocat, ob cereos, & Lampades, quæ accendebantur; immo preces nonnullæ fiebant, cum Lampades accenderentur, ut videre est ex Officio Mozarabico, in quo Vesperæ incipiunt ab Oratione, quæ in luminum accensione recitatur, dicitur-

Digitized by Google

que preces ad occupandos Monachos ſubſtituit. Petrus cluniacenſis pro Ordine ſuo apologiam conſcripſit, aitque l. 1. ep. 28. Monachos ſuos peculiares rationes habere pro manuum labore prætermittendo; Is enim a Monachis ideo tantum uſurpatus eſt, ut deſidiam evitarent; cum autem ipſi utilioribus operibus diſtinerentur, manuum laborem miſſum fecerunt. Commendabatur olim Monachis manuum labor, quia nullos reditus habebant, atque plerumque illiterati erant. Hodie vero reditus habent, atque cum pro populorum ſalute laborent, utilius Eccleſiæ deſerviunt, Divino Officio, atque litteris ſtudentes, quam ſi agros colerent, aut ſegetes meterent.

Veteres Monachi labori adeo dediti erant, ut Officium ipſum habita laboris ratione diſtribueretur, atque ſæpe minoribus feſtis contraheretur, ut promptius ad opus redirent. Conſtat ex Caſſiano, eos veſpere tantum poſt opus peractum convenisſe, Dominica, & Sabbatho exceptis, reliquas vero preces opus facientes recitabant. S. Benedictus in Regula ſua Monachos foris laborantes ab Officii lege ſolvit, jubens tantum, ut illud ſingillatim recitent, atque ideo 12 Lectiones recitabant iis duntaxat diebus, quibus opus non faciebant, atque octo tantum, Feſtis illis, quibus opus fiebat. Hinc Oratio de opere *Deus in adjutorium* Feſtis, & Dominicis non recitabatur: *diebus privatis tantum, die autem Dominica prætermittas iſtas preces, Deus in adjutorium*, ut in plurimis Monaſticis Ordinariis legitur.

In vita S. Bernardi Abbatis Tironenſis (*Bollandus* 14. *April.*) Monachi illum orant, ut Officium contrahat, quo pro labore tempus ſuperſit; atque cum Sanctus ille Deum conſuluiſſet, reſponſum hoc accepit: *Quod Deus malebat illos laborando ſibi victum acquirere, quam tam multiplicibus Pſalmodiis inſiſtere.*

Quarto loco ſiebat in Capitulo Lectio canonis, ſive Regulæ in Monaſteriis, abſentes vero ejus loco Nonæ capitulum recitabant. Clericorum Regula legebatur, ſcilicet Chrodogangi, vel Concilii Aquiſgranenſis anni 816. aliquando Paſtorale S. Gregorii, vel aliquid huic ſimile; inde examen conſcientiæ quilibet faciebat, atque peccatorum ſe accuſabat, quæ Officii tempore admiſerat, & correctio, atque pœnitentia illis imponebatur. Feria ſexta peculiare capitulum habebatur pro ſpiritualibus negotiis tantum, atque moribus, eratque Colloquii quoddam genus. Chrodogangus teſtatur, Dominicis, Feria quarta, Feria ſexta, atque Sanctorum Feſtis Tractatum, ſive Homiliam de pio quodam argumento agentem perlectam fuiſſe; inſtitutum vero noſtrum, inquit, quotidie ad capitulum veniendi, ad Verbi Dei cibum animæ præbendum inventum eſt, atque ut Epiſcopus, vel Archidiaconus, ſive ille, qui ipſorum loco præſidet, quæ corrigenda ſunt, ſtatuat, atque agenda demonſtret.

Explicabatur igitur Regulæ capitulum, quod legebatur, vel concio quædam habebatur, quæ *Sermo* appellata fuit. Apud Carthuſianos majoribus Feſtis *Sermo* habetur, ſive concio in capitulo.

Lectiones quoque in capitulo fiebant in Clauſtris, quæ ſecus ac hodie aperta non erant, ſed clauſa, nullique pervia. Ibi legebant, ſtudiis vacabant, atque conventus habebant; ſæpe etiam hyeme tantum in capitulum ibant, aliis vero annis temporibus ſub clauſtris conveniebant, ubi ſubſellia diſpoſita erant ad ſedendum, cum legere, vel Sermones, & Lectiones audire volebant: *quæ forte in Clauſtro ſedentes in Codicibus legeratis*, ait S. Bernardus ſerm. 47. in Cant.

Juxta Regulam S. Pacomii Capitulum habebatur ad operis juſſa accipienda, initiumque ab Oratione fiebat; atque dicebant; *Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.* Id in noſtris Breviariis ſervatum eſt cum *Deus in adjutorium, Gloria Patri, Adjutorium.* Quilibet neceſſaria ad opus inſtrumenta accipiebat, atque ad illud bini, & bini pergebant, pſalmos recitantes, ut jubet S. Pacomius c. 58. Dum opus vero fiebat, anctore

Caſ-

Caſſiano l. 3. c. 2. eorum aliqui pſalmos canebant. S. Baſilius in Regulis majoribus c. 37. Auguſtinus in lib. de opere Monachorum c. 12. idem teſtantur: alii vero ſilentium ſervabant, atque meditationi vacabant juxta s. Pacomii mandatum c. 35. In aliis Regulis Pater aliquis, dum opus fiebat, aliquid prælegere ſolebat, quo laborantium mentes utiliter occuparentur; fiebant quoque preces ad operis finem, atque in reditu.

Palam etiam nominabant Monachi in capitulo illos, qui munus aliquod hebdomada illa obire debebant, atque Eccleſiæ, vel Refectorio, deſervire.

Suorum quoque peccatorum palam ſe accuſabant, juxta veterem morem, quem apud Sanctum quoque Baſilium videmus ſerm. 5. de Inſtit. Monach. *Completo die, & abſoluto opere convenit, ut unuſquiſque ante requiem* (Veſpere enim conſcientiæ examen in communi fiebat) *Conſcientiam in corde judicent, & ſi quid fecerint, quod non oportet, vel cogitaverit, vel locutus fuerit extra id quod dicet, vel . . . . non abſondat delictum, ſed in communi annuntiet, ut per communem orationem ſanetur morbus illius cui tale malum contigerit.* Conveniebant itaque Veſpere ad conſcientiam examinandam, atque ut ſe publice accuſarent; hinc *Confiteor Deo* profectum eſt, & *tibi Pater, & vobis Fratres.* S. Benedictus c. 46. jubet, ſi aliquis peccatum quoddam admiſerit, vel aliquis fregerit, aut amiſerit, ſi illico id Abbati, vel capitulo non denunciet, atque donec corripiatur expectet, ſeverius eum puniendum eſſe. S. Iſidorus in ſua Regula ſtatuit, ut ter in hebdomada capitulum habeatur ad eos corrigendos, qui erraverunt. Ex S. Dunſtano, Lanfranco, Ciſtercienſium moribus, & Cluniacenſium conſuetudinibus conſtat in Ordine s. Benedicti capitulum quotidie habitum fuiſſe. Idem mandat Chrodogangus canonicis ſuis. In pluribus vero Ordinibus bis tantum, vel ter in hebdomada fieri ſolet, Feria ſecunda ſcilicet, quarta, & ſexta. Ordo autem, qui ibi ſervabatur, hic erat. Poſtquam Regulæ capitulum perlectum fuerat, qui peccati conſcius erat, ſe ejus accuſabat, humi ſe proſternens, inde Præpoſitus pœnitentiam imponebat, atque palam ii denunciabantur, quos criminis reos eſſe conſtabat, neque tamen ſe accuſaverant. Quo autem pacto id peractum fuerit, diſcimus ex Trithemio in exercit. Monachor. *Dilectus hoc, vel illud commiſi. Rogo quatenus emendare ſe propter Dominum velit:* Illico vero, qui, denunciatus fuerat, humi ſe ſternens ajebat, *Mea culpa*, ut ex S. Dunſtano, & Lanfranco intelligimus. Cum vero plures eodem nomine appellabantur, omnes ſe humi proſternere debebant, cum ſe appellari intelligebant, donec ille, qui denunciatus fuerat, deſignaretur; pœnitentia vero pro Abbatis arbitratu imponebatur.

Lanfrancus jubet, ut reus virga quadam percutiatur, vel nudus, vel veſtibus indutus pro criminis gravitate. In conſuetudinibus Ciſtercienſibus c. 19. videre eſt Monachos veſtibus exutos, ut flagris in medio capitulo flagellarentur, nil dicentes niſi *mea culpa*, ego me *emendabo*, neque illos cædere ceſſabant, donec Abbas juberet. In Vita s. Stephani Obazinenſis flagellatio fiebat per *Miſerere* intervallum, quod cœtus recitabat, atque ictus ſingulis verſiculis infligebatur; Cum vero gravius eſſet peccatum, plures pſalmi addebantur. Verum Lanfrancus, & s. Dunſtanus prohibet, ne is, qui reum denunciavit, illi puniendo adhibeatur, vel qui in inferiori loco eſt, eum, qui ipſo major eſt, cædat. Præcipue vero commendatur, ut nihil indecorum in eo, qui denudandus ſit, appareat; vetat quoque ne irrideatur, immo ut ejus miſereantur, jubet. Juxta mores Ciſtercienſes, atque conſuetudines Cluniacenſes, qui denunciatus eſt, neque purgare ſe, neque defendere debet; verum ſe pœnitentiæ a Priori ſtatutæ ſubjicere. Cautum eſt quidem, ne quiſquam levibus tantum indiciis, vel conjecturis denuncietur, ſed teſtes extare debeant ejus rei, quæ objicitur, idque non acerbe, ſed leniter, mitique animo faciendum, habendamque curam eſſe, ne coiquam ſcandalum præbeatur. Videri hac de re po-

teſt Gotfridus Vindocinenſis, qui libellum conſcripſit de ratione, qua Monachi ſe accuſare, vel purgare in capitulo debeant. S. Bernardus denunciationes iſtas Monachis ſuis commendat, neque eas quacumque de cauſſa omittendas exiſtimat: *Nemo*, inquit, *vitia palpet, peccata diſſimulet nemo, nemo dicat. Numquid cuſtos Fratris mei ego ſum . . . . nemo quod in ſe eſt aequanimiter ferat, cum viderit Ordinem deperire, minui diſciplinam: Eſt enim conſentire, ſilere cum arguere poſſis, & ſcimus quia ſimilis poena facientes manebat, & conſentientes*. Serm. in Nativ. S. Joan.

CAP. XXXVII.

De Tertia, Sexta, & Nona.

ORientalium mos erat, diem in 12. horas æquales dividere: quas a Solis ortu, uſque ad occaſum numerabant: *Nonne duodecim ſunt horæ diei*, ait Jeſus Chriſtus in Evangelio Joan. 11. alio loco vero Paterfamilias variis diei horis uſque ad undecimam, operarios in vineam mittit, atque ab opere duodecima ceſſabant: *Circa undecimam horam* Matth. 20. Horæ iſtæ longiores, aut breviores erant pro dierum ratione, & breviſſimis hyemis diebus duodecim enumerabantur horæ, æque ac longiſſimis æſtatis. Oratio ternis quibuſque horis elapſis fiebat, ſcilicet Tertia, Sexta, & Nona. Horæ iſtæ ab ipſo uſque Synagogæ tempore. Orationi ſacræ erant, ipſique Apoſtoli horis illis orabant. Hinc Tertullianus eas Apoſtolicas horas appellat, tamquam ab Apoſtolorum more profectas. S. Cyprianus de Orat. Dom. ait, hora Tertia orandum eſſe, ut Spiritum Sanctum, qui hora illa deſcenderat, veneremur; Sexta, quod Chriſtus Cruci affixus ſit; atque Nona mortuus. Refert Caſſianus lib. 2. Orientis Monachos tres horas iſtas dum opus facerent, recitaſſe, atque ad eas recitandas Dominicis tantum convenifſe. Tres Pſalmos dumtaxat ad Tertiam, ſex ad Sextam, & novem ad Nonam abſolvebant. Teſtis eſt Gregorius Turonenſis lib. 10. hiſt. Injuriоſum XV. Epiſcopum Turonenſem juſſiſſe, ut in Eccleſia illa Tertia, & Sexta recitarentur; unde ſuſpicari poſſemus, ante ejus tempora privatim tantum, atque ex Fidelium pietate, nulla lege jubente, recitatas fuiſſe: *Hic inſtitutis Tertiam, & Sextam [in Eccleſia dici, quod modo in nomine Domini perſeverat*. In Vita S. Cæſarii Arelatenſis legimus, eum ſtatuiſſe, ut impoſterum Clerici, Tertiam, Sextam, & Nonam publice cantarent, quo Pœnitentes, & Laici illis adeſſe poſſent; atque in Regula ſua ſingulis horis iſtis ſex Pſalmos tribuit, s. Benedictus vero tres dumtaxat, Lectionem, Verſiculum, & Kyrie. S. Aurelianus ſex Pſalmos recitari vult: S. Columbanus tribus Pſalmis plures breviores preces addit, ſuntque illæ, quas jejunii diebus ad Laudes, & Veſperas dicimus. Horæ ſingulæ a primo Pſalmo incipiebant, ut ante Paſcha fit; verum s. Benedictus jubet, ut prius recitetur, *Deus in adjutorium*, atque ideo hujus moris auctor habetur. Hymnum ipſe ante Pſalmos ponit, ſed s. Cæſarius, & s. Aurelianus poſt Pſalmos ſtatuunt, ut nos pro temporum, & Peſtorum ratione ad Completorium ſolemus. In Ciſtercienſium Ordine Hymnus ad Tertiam, & Completorium mutatur. Pſalmi, *Beati immaculati*, diſtributio pro horis iſtis, peculiaris eſt mos Romanæ Eccleſiæ, qui in nulla Monaſtica Regula invenitur. S. Benedictus Anianenſis tamen hunc Romanum morem ſervabat, ut in ejus Vita ſcriptum eſt: *Divinum Officium juxta Romanum: Pſalmo 118. perſolvebat*. In Cluniacenſi Monaſterio quatuor pſalmi ſingulis horis recitabantur, ut Monachi ad Veſperas faciunt.

Quod Lectiones ſpectat, nullæ erant apud Monachos Orientis: In Occidente vero, s. Benedictus, s. Cæſarius, s. Aurelianus unicam præſcribunt: S. Iſidorus, & Regula Magiſtri duas, unam ex Veteri, ex Novo Teſtamento alteram; vel ex s. Paulo unam, alteram ex Evangelio.

In

Digitized by Google

In ploribus Ordinariis minores horæ abſolvebantur per *Kyrie Eleyſon*, preces, *Pater*, & *Miſerere*; dicitur quoque *Miſerere* tribus ante Paſcha diebus, atque preces majoribus Feriis.

In quibuſdam Eccleſiis Feſtis diebus Tertia canitur ſolemniter cum cappis, & Organo: in aliis vero fit incenſatio; ut Pariſiis, atque alibi Pentecoſtes die fieri ſolet; Fiebat quoque in nonnullis Eccleſiis ſolemnium Feſtorum tempore ad Tertiam, Sextam, & Nonam, ſicuti fit ſingulis Matutini Nocturnis. Sexta plerumque meridie canebatur, atque ideo in quibuſdam Ordinariis legitur *Meridie orandum eſt*, ad Sextam deſignandam. Recitabatur autem meridie ante prandium, atque ideo pro verſiculo dicitur: *Dominus regit me... in loco paſcuæ*, quæ verba ad cibum in prandio ſumendum referuntur.

Tertiæ igitur, Sextæ, & Nonæ Officium ita appellatur, quia Tertia, Sexta, & Nona diei hora dicebatur. Sexta dicitur, cum Sol curſus ſui dimidium confecit, Nona poſtrema erat diei hora. Amalarius l. 4. c. 1. adnotavit quatuor horis Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ duodecim pſalmos recitatos fuiſſe ad Deum ſingulis diei horis pſalmo uno venerandum.

CAP. XXXVIII.

De Veſperis.

VEſperarum Officium habitum ſemper fuit, tamquam omnium diei horarum maxime ſolemne, reſpondebatque veſpertino ſacrificio, quod Deus ab Hebræis fieri volebat; offerebant autem hi thus ardens, eaque de cauſſa thus ardens ad Veſperas circumfertur, quemadmodum & ad Laudes, quæ matutino Hebræorum ſacrificio reſpondent. Præterea veſpere Chriſtus Cenæ ſacrificium inſtituit, inquit S. Iſidorus de Offic. c. 20. hinc Eccleſia in Veſpertini hujus ſacrificii honorem Veſperas adeo ſolemniter celebrat. *Veſper autem a ſydere, quod veſper vocatur, & decidente Sole exoritur*, ait S. Iſidorus. Alii *Lucernarium* appellat, vel *Officium Lucernarum*, eo quod cereos, & Lampades ad Officium hoc accendebant, ut tenebras pellerent; dicebatur enim, cum Lampades accendebantur: *Accenſi lucernis*. Magiſtri Regula *Horam duodecimam vocat*, quod hora duodecima diei poſtrema recitaretur, ſicut & Prima ad diei initium. Eccleſia Mediolanenſis officium veſpere ad hanc diem decantat, neque niſi luminibus accenſis abſolvit. Florentiæ, & Lugduni quarta tantum poſt meridiem hora peragitur. S. Ambroſius l. 5. de Virgin. Veſperas appellat, *Horas incenſi*.

Conſtat ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ex S. Baſilio l. ad Amphilochium, S. Joanne Chryſoſtomo in Pſalmum 118. S. Hieronymo Epiſtola ad Lætam, S. Epiphanio, aliiſque Patribus, Chriſtianos veſpere oraſſe, pſalmoſque decantaviſſe, qui ideo *Pſalmi Lucernales* dicebantur. Preces vero iſtæ occaſionem dederunt origini hujus Officii, quod procedente tempore publicum, & ſolemne effectum eſt. Aliqui pro Nocturno Officio illud habent, ut Caſſianus, a quo *Lucernaris hora* dicitur, quia valde ſero recitabatur; alii vero inter diei Officia enumerant, ut S. Benedictus, qui cibum ſumi ad Veſperas jubet, atque Veſperarum horam ita diſtribui, ut luminibus opus non foret ad prandendum poſt Veſperas Quadrageſimæ tempore. Hodie vero Benedictini hyeme Veſperas tertia poſt meridiem hora, æſtate vero tertia, & ſemis recitant. Meminit quoque hujus Officii Conciſium Toletanum, quod *Lucernarium* appellat, atque in Eccleſia recitatum fuiſſe oſtendit. *Lucernarium vero niſi in Eccleſia non legatur*. Concilium Agathenſe can. 30. jubet, ut quotidie peragatur: *Hymni Matutini, & Veſpertini diebus omnibus celebrentur*. Socrates l. 5. c. 25. *Lucernæ accenſionem* illud vocat, ob cereos, & Lampades, quæ accendebantur; immo preces nonnullæ fiebant cum Lampades accenderentur, ut videre eſt ex Officio Mozarabico, in quo Veſperæ incipiunt ab Oratione, quæ in luminum accenſione recitatur, dicitur-

Digitized by Google

que *lumen offerre*. Recitatur autem *Kyrie, Chriſte, Kyrie, Pater noſter*, deinde *In nomine D. N. I. C. lumen cum pace, Amen, hoc eſt lumen oblatum*, ℟. *Deo gratias*. Eadem iſta oratio, dum lumina ad Officium veſpertinum accenduntur, facienda, legitur in quodam Hymno Prudentii, quod male inſcriptum fuit *ad incenſum Cerei Paſchalis*, nullo enim modo pro Cereo Paſchali, ſed pro Veſpertino Officio deſervit, quo filice percuſſa ignis excitabatur ad Cereos accendendos, idque quotidie Veſpere fieri ſolebat, hodieque idem fit, cum cereus Paſchalis accenditur, qui, ut lumen præboret, ſub Paſchalis noctis tempus accendebatur.

Circa Veſperarum Officium nonnulla erant in Eccleſiis diſcrimina, quæmadmodum & in ceteris Officiis. Aliqui ſex Pſalmos, & ſex Lectiones recitabant, alii vero plures, aut pauciores. Hodie autem quatuor pſalmi apud Monachos, quinque in ceteris Eccleſiis canuntur. Apud Ciſtercienſes pſalmi ad Veſperas numquam mutantur, atque illis, qui Feriis ſingulis proprii ſunt, ſemper utuntur, aſſirmantque, S. Benedictum, ut pſalmi Feſtis mutarentur, non juſſiſſe, niſi ad Nocturnum Officium. Carthuſiani e contra pro Feſtorum ratione pſalmos mutant. Dominicani quinque pſalmos *Laudate*, ad primas Veſperas Feſtorum ſolemnium recitant.

Eſt autem omnino adnotandum, Judæos Feſtorum initium a Veſpere duxiſſe, *A Veſpera ad Veſperam*, atque ad ipſorum imitationem Eccleſia Feſta ſua a Veſperis vigiliæ incipit; atque ea ratio eſt, cur ſolemnius peragantur. Hinc Feſtum deſiiſſe cenſendum eſſet ad ipſius Feſti diei Veſperas, atque ideo in Pontificio facello Papa primis tantum Veſperis plerumque adeſſe ſolet, idque ſervatur Feſtis, quæ *Simplicia* appellantur, quæ ſecundas Veſperas non habent, atque in Officio Corporis Chriſti, quo ſecundæ Veſperæ primarum tantum repetitio ſunt. Concilium Truſlanum can. 20. ait: *Poſt Veſpertinum ad Altare ingreſſum Sabbato nemo genuflectat uſque ad Veſperam in die Dominica, in qua poſt ingreſſum in Completorio genua rurſus flectimus*. Hinc ad Officium Veſperarum; quod male *Completorium* redditur, quia tunc Græci Completorium non noverant, genua flectenda erunt; quia, ut ait Concilium, *Feſtum ex tenebris in lucem finiemes, ut in perfecto, & integro die, ac noſtro reſurrectionem celebremus*.

In pluribus Eccleſiis iidem pſalmi, atque Antiphonæ ad primas, & ſecundas Veſperas recitantur, quod in Romano Officio adhuc ſupereſt B. Virginis Feſtis, in Virginum Officio, atque Feſto Corporis Domini. Alicubi ad primas Veſperas dicuntur pſalmi Feriæ cum Antiphona Feſti propria; ad ſecundas Veſperas vero quinque Dominicæ pſalmi cum quinta Laudum Antiphona, quando nulla propria extet ex pſalmis petita, ut extant in Natali, atque ad ſecundas Veſperas Apoſtolorum, Dominicis, Ferialibus diebus, atque Feſto Corporis Chriſti; atque tunc quinta Laudum Antiphona Veſperis, ut quintæ horæ diei, deſerviebat, velut prima Antiphona Primæ, ſecunda Tertiæ, atque ita de ceteris.

Veſperarum Capitulum ab Amalario Antiph. c. ult. *Lectio a Paſtore prolata* dicitur; Præpoſitus enim, ſive celebrans illud recitabat, atque ea ratio eſt, cur *Jube* non adſit.

Amalarius Reſponſoriorum meminit, quæ in quibuſdam Eccleſiis poſt Capitulum recitabantur, atque ait, ſe ea Metis non invexiſſe, eo quod ignoraret, cur potius ad Veſperas ante *Magnificat*, quam ad Laudes ante *Benedictus* adhiberentur, & quemadmodum nulla erant ad Laudes, nulla quoque pro Veſperis deſignavit. Romæ nulla ſunt Reſponſoria, neque ad primas, neque ad ſecundas Veſperas. Pariſiis, atque in pluribus Galliæ Eccleſiis unicum tantum eſt Reſponſorium ad primas Veſperas Feſtorum Dupliciumdumtaxat, non vero ad ſecundas: Alicubi vero ſunt Reſponſoria tam ad primas, quam ad ſecundas Veſperas. Benedictini tam ad Veſperas, quam ad Laudes quotidie habent Reſponſoria, illis, quæ ad minores horas adhibentur, ſimilia, breviaque Reſponſoria appellantur; poſtremo tantum verſiculo poſt Hymnum, atque

Digitized by Google

que ante *Magnificat*, vel *Benedictus* translato. Amalarius l. 3. c. 7. *Magnificat* Canticum, vel Hymnum B. Virginis appellat, agitque de more eum quotidie ad Vesperas canendi : *In S. Ecclesia mos inolevit, ut quotidie Hymnus B. Mariæ cum Psalmodia Vespertinæ Laudis ab omnibus canatur*, deinde *Kyrie* dicebatur, post ea vero Collecta.

Olim benedictionem post Vesperas impertiebantur, quemadmodum & ad aliorum Officiorum finem ; Episcopi solent etiam ad hanc diem Benedictionem post Laudes, & post Vesperas, cum rem Divinam faciunt, impertiri, idque a Concilio Agathensi can. 30. mandatum est. *Plebs Collecta Oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur*. In Vita S. Cæsarii Arelatensis l. 2. legimus, eum benedictionem elargitum fuisse ad Vesperarum finem : *cum expleto Lucernario Benedictionem populo dedisset*.

Amalarius ait, duo se, dum adolescens esset, animadvertisse, cum moribus nostris communia ; 1. primas Festorum Vesperas magis solemnes fuisse, quam secundas ; atque Antiphonas, & psalmos proprios recitatos fuisse, in secundis vero Vesperis Feriæ proprios. 2. populum frequentiorem primis Vesperis adfuisse, atque plures Cereos, quam in secundis accensos fuisse ; unde discimus ad secundas Vesperas Festum jam elapsum esse, neque eas amplius ad Festum pertinere Veteres existimasse.

Radulphus Tongrensis Propos. 10. ait, Fratres minores morem ad secundas Festorum Vesperas *Dixit*, aliosque Dominicæ psalmos recitandi invexisse, postremo tantum immutato, qui proprius Festi est, in Gallia vero solemnioribus festis quinque *Laudate* Psalmorum loco recitatos fuisse, atque in Germania feriæ psalmos fuisse servatos.

Extat apud Thomasium vetus psalmorum in Officio distributio, quæ Romæ vigebat : *Distributio Psalmorum ad opus Dei* ; atque ibidem hæc habentur : *Ad Vesperas, recedente sole, ac die cessante, in Festis sive majoribus, sive minoribus semper dicuntur Psalmi Feriæ currentis, nisi aliter notentur* Proprii in Natali tantum, in Cœna Domini, atque aliis quibusdam diebus his similibus habentur.

Apud Scriptores complures Vesperæ *duodecimæ* appellantur, propria vero ipsarum hora sexta est Vespertina circa Æquinoctium. Vetus Vesperarum Hymnus apud S. Cæsarium, aliosque erat, *Iam ter quaternis*, quæ verba duodecimam diei horam significant ; atque in parabola Evangelica de mercenariis, ait Dominus, *Circa undecimam vero*, quæ est quinta post meridiem ; Vesperarum vero horam deinde designat : *Cum sero factum esset*.

CAP. XXXIX.

De Completorio.

COmpletorium ita dicitur, quia tunc diei preces absolvuntur. S. Benedictus Officium hoc primus instituit, neque enim apud Scriptores alios ante ejus tempora invenitur. Juxta ejus Regulam antequam Officium hoc recitetur, Cassiani Collationes legendæ erant, seu Patrum Vitæ, aut alius quidam pietati conciliandæ aptus liber ; ejus vero loco brevis lectio statuta fuit, quæ ad hujus Officii initium recitatur.

Græci Completorium non habent, atque apud eos postremum diei Officium Vesperæ sunt. Apud S. Joannem Climacum legimus, Abbatem quemdam Monachis suis certum Psalmorum numerum post Vesperas recitandum, antequam cubitum irent, demandasse, unde conficitur, nullum per id intervallum in commune Officium habitum fuisse. Euthymius Zigabenus de Officii horis agens, nullam completorii mentionem facit. Simeon Abbas Monasterii Sancti Mamæ ait, Monachos Vesperarum Officio absoluto Benedictionem ab Abbate suscepisse, inde vero in cellam quemque suam abiisse, januamque clausisse, atque post peculiares quasdam preces, atque lectiones culcitræ stramentitiæ incubuisse.

Primus Græcorum, qui Completorii meminerit, est Scriptor libri, *Anthos* appel-

appellati, qui floruit anno 1480. & Completorium Græcorum Officio inſeruit.

Benedictus Completorium inſtituit, tamquam veſpertinam Orationem, dum cubitum itur, recitandam, a quo ſanctus Aurelianus eam quoque accepit, quemadmodum & Regulæ Magiſter, apud quem c. 30. officium iſtud in hæc verba definit: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantium labiis meis.* Non licebat autem poſt hoc officium uſque in ſequentem diem loqui, cum diceretur *Domine labia mea*, qui *verſiculus* ideo *apertionis* dicitur, quod os aperire, ſive proloqui fineret.

Quæcumque Completorium præcedunt, a Monachis mutuata ſunt, & ſervabantur etiam apud Canonicos, ad inſtar fere Monachorum viventes; ideoque Clericis ad Primam, ſive mane Officium illud demandatum ſit, quod Monachi poſt Primam, antequam opus facerent, recitabant; ante Completorium vero ea, quæ Monachi, cum ab opere redirent, recitabant. Hinc Romæ Completorium incipit a *Iube* cum Lectione; atque imitatio hæc eſt eorum, quæ S. Benedictus c. 42. ſtatuit: conveniendum ſcilicet eſſe Veſpere ad Collationem habendam, cui initium dabatur Lectione aliqua. Poſtquam vero per horæ unius ſpatium Lectio facta fuerat, ait S. Benedictus, Præpoſitus, ut finis imponeretur, ſignum edebat, dicens: *Tu autem*, Lector vero reſpondebat; *Tu autem Domine . . . . Miſerere . . .* Lectio hæc, ſive collatio ſub Clauſtro, vel in capitulo fiebat, ad ejus finem vero dicebat Prior; *Adjutorium noſtrum*: inde in Eccleſiam ibant, atque ibi quilibet conſcientiam ſuam ſcrutabatur, ſignoque a Priore accepto invicem confitebantur, dicentes *Confiteor*, poſtea *Miſereatur* juxta Regulæ præceptum: *dicunt omnes quilibet cum ſocio*, *Confiteor*, cui reſpondebant *Miſereatur tui*.

Romæ tribus ante Paſcha diebus completorium a *Confiteor* incipit: ea, quæ præcedunt, in choro non dicuntur, atque reliquo anni tempore Monachorum collationi capitulum, & Epiſtola ſancti Petri ſubſtitutum fuit; atque in pluribus Ordinariis etiam Monaſticis adnotatum eſt, Lectionem iſtam ab illis fuiſſe recitatam, qui completorium extra chorum abſolvebant: *Lectio brevis extra Chorum, Fratres ſobrii eſtote . . Pater* ante Completorium in recentioribus tantum Monaſticis conſtitutionibus repertur: Pius enim IV. Breviario Romano illud inſeruit, & ſecreto recitari juſſit, ut doceret, id Officii partem non eſſe, & numquam eo loco recitatum fuiſſe. Loco *Confiteor* in S. Fructuoſi Regula c. 2. ſtatutum eſt, ut poſt Completorium venia invicem petatur, priuſquam cubitum eatur; *Recepto noctturno ſilentio, vale facientes invicem, & reconciliationi ac ſatisfactioni alterutrum infiſtentes laxant mutuo debita*. Hinc Pariſiis, atque in pluribus aliis Eccleſiis *Confiteor* ad finem eſt completorii, non vero ad initium, ut in Romano.

Verſiculus *Converte nos* novitium eſt additamentum. S. enim Benedictus incipit a *Deus in adjutorium*, atque *Converte nos* ſequebatur poſtea *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, eaque de cauſſa jubent quædam Ordinaria, ut prætermittatur, quando *Confiteor* non dicitur. Hinc Romæ ſubmiſſe canitur, atque ad *Deus in adjutorium* tantum altius vox extollitur.

Confiteor invicem dicebatur: dicebat enim unus *Confiteor*, alter vero reſpondebat, *Miſereatur tui*; atque ideo tacite recitatur ad Primam, & ad completorium, ne invicem ſe interturbent, atque impediatur, ne alter alterum audiat.

S. Benedictus tres tantum pſalmos in Antiphona ad completorium præſcribit, atque pſalmi ſemper iidem ſunt, poſt pſalmos ſequitur Hymnus, atque pro temporum ratione mutatur: Hyeme enim eſt Hymnus *Chriſte, qui lux es, & dies*; æſtate vero *Te lucis ante terminum*; poſt Hymnum dicitur Lectio, Verſiculus, *Kyrie*, finiſque Benedictione imponitur. Lugduni, & Viennæ Hymni ad completorium tantum dicuntur, atque Hymnus iſte pro temporum, & Feſtorum ratione mutatur. Hic autem mos in Eccleſias illas eſt recenter

centet invectus, cumque aliis horis hymnos inferere veriti sint, dicitur plerumque ad Completorium, quod alibi ad Vesperas recitatur.

Romæ quatuor psalmi ad completorium dicuntur cum Antiphona *Miserere*, quæ petita est ex psalmo *Cum invocarem*. Hymnus per totum anni spatium est *Te lucis ante terminum*, qui S. Ambrosio tribui solet. Hymnus iste numquam mutatur, quemadmodum neque Hymni Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ; dicitur quoque Canticum Evangelicum, *Nunc dimittis*, quod neque in Breviario Monastico S. Benedicti, neque Carthusianorum, neque Cluniacensium invenitur, sed est peculiaris Romanæ Ecclesiæ mos. Agit ea de re Amalarius l. 7. cap. 49. aitque, esse commendationem quamdam, qua animus noster Deo commendatur, somnumque ibi veluti mortem quamdam reputari: *Nunc dimittis* invenitur in constitutionibus Apostolicis ad preces Vespertinas. Preces *Kyrie*, *Benedictus Deus*, *Dignare nocte* a Monachis profectæ sunt, atque in Breviario cassinate undecimi sæculi conspiciuntur. Benedictio post completorium *Benedicat*, & *Custodiat* in Concilio Aquisgranense c. 48. præcipitur anno 816. ut *Benedictio post Completorium a Sacerdote dicatur*.

Amalarius l. 4. c. 8. meminit completorii eodem pacto, quo nos illud recitamus; tribuit scilicet illi quatuor Psalmos, *Cum invocarem*, *In te Domine speravi*, *Qui habitat*, *Ecce nunc*, Versiculum, & *Nunc dimittis*. Ait quoque Lectionem, aut Capitulum fuisse præterquam apud Monachos, non vero Romæ, ubi post *Nunc dimittis* cubitum itur, dieque absolvitur, eadem ratione qua Simeon optaverat ad vitæ finem pervenire, Canticumque istud collectæ loco erat. Ita quoque dicitur completorium tribus ante Pascha diebus; quare quidquid Psalmos præcedit, atque etiam Hymnus, Capitulum, Preces, & Collecta a Monachis addita, vel accepta fuerunt.

Oratio *Visita* in nullo Romano ordine, vel collectario, neque in alicujus antiquitatis Ordinario Monastico invenitur, atque fortassis a Fratribus Minoribus Romano Officio inserta fuit; nam in Breviariis, quæ præ manibus quotidie sunt, alæ duæ habentur ex Romanis Ordinibus excerptæ, atque illa longe elegantiores: *Deus qui illuminas noctem, & lumen post tenebras facis, concede nobis, ut hanc noctem sine impedimento Sathanæ transeamus, atque maiutinis horis ad altare recurrentes tibi Deo gratias referamus per Dominum nostrum Iesum Christum*, vel *Illumina quæsumus, Domine Deus, tenebras nostras, & totius huius noctis insidias tu a nobis repelle propitius per Dominum nostrum Iesum Christum*. Postrema hæc olim Parisiis dicebatur, atque in omnibus etiam Breviariis Monasticis, ipsoque Cluniacensi; *Visita* vero in Carthusianorum Breviario habetur, unde fortasse accepta fuit. *Visita* apud Monachos dicebatur, cum in Dormitorio aquæ benedictæ asperso fiebat, ut est apud S. Dunstanum c. 1. *Omni nocte post Completorium aspergatur domus requietionis eorum, recumbentibus eis propter illusiones Diabolicas*. Hinc Dei protectio petitur adversus insidias, quas Dæmon in Dormitorio tendere posset, atque Angeli invocantur, ut custodiant eos, qui dormiunt in Dormitorio. Hæc igitur Oratio composita non fuit, ut in Ecclesia recitaretur, ubi Dæmones insidias tendere non possunt, neque ibi Angelorum auxilium invocari per noctis tempus, quia in Ecclesia nemo dormire solet. Hæc igitur oratio a superiore dicebatur in suos Monachos, antequam recumberent; ac paulo post eis benedicebat dicens: *Benedicat, & custodiat vos*. Consimilis oratio extat in vita S. Aicardi Abbatis Gemeticensis sæcul. 2. Bened. dum fit aquæ benedictæ asperso in Dormitorio: *Suscipe Domine preces nostras, & muro custodiæ tuæ hoc Sanctum Ovile circunda, & omni adversitate depulsa fit hoc semper domicilium incolumitatis, & pacis. Per Dominum nostrum Iesum Christum*.

Ex quodam antiquo Tabulario Parisiensi intelligimus, Completorium recitatum fuisse paulo ante somnum: antequam dormitum eatur, inquit, quilibet

bet in sacellum suum, vel in Ecclesiam se conferat, atque ibi Completorium recitet; quare in Choro non recitabatur. Carthusiani ad hanc diem Completorium extra Ecclesiam in Cellis absolvunt. Refert Nangius, S. Ludovicum post cœnam Completorium absolvi curasse, filiosque suos, ut illi adessent, jussisse: *Volebat quod singuli essent cum ipso ad Completorium, quod post cœnam suam quotidie decantari faciebat.* Fortassis etiam pius ille Princeps primus Completorium in sacello suo cantari voluit, atque ad ejus exemplum in ceteris quoque Ecclesiis cantatum fuit.

Post completorium dormitum ibant, atque conscientiam denuo scrutabantur, dum lecto se committerent; crucis signum faciebant, aqua benedicta se lustrantes, neque amplius loqui licebat, aut tussire, vel excreare, ut jubet S. Fructuosus; *Recolligendum est de negligentiis suis, nec strepere, nec mutire ausus, aut excreare cum gratia nocturni somni capias silentium.* Benedictio, quæ post completorium dari solet, *Benedicat, & custodiat nos . . .* a Monachis profecta est, atque datur his verbis: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat, & maneat super nos*, quemadmodum in Monasticis Ordinariis videmus. Ejus mentio fit ab Hildemaro (*in cap. 20. Regulæ S. Benedicti*), atque respondetur, *Amen*, & clauduntur januæ Monasterii ante completorium, ut nemo a Benedictione absit; postea ter campana signum edebatur, quo admonebantur, ut tres orationes recitarent, quæ erant vel tria *Pater*, vel tres Psalmi, ut videre est in vita S. Benedicti Aianensis: inde antequam Monachi cubitum irent, aqua benedicta aspergebantur, quod & in Dormitorio fiebat, atque interim Oratio *Visita* recitebatur.

CAP. XL.

De Antiphonis, sive precibus ad B. Virginem, quæ post Completorium recitantur.

ANtiphonæ in Virginis honorem, quæ ad Completorii finem recitantur, pars Officii non sunt, sed *ad devotionem* tantum dici solent, quemadmodum in Parisiensi Breviario est adnotatum, locumque in Romano serius obtinuerunt. Adfirmat Sigonius, Gregorium IX. an. 1239. jussisse, ut *Salve* recitaretur; verum id in nullo Breviario ante annum 1520. invenitur; Cardinalis vero S. Crucis suo instituit, atque inde proculdubio Pius V. in Romanum suum transtulit. Wadingus ad an. 1249. profert Epistolam quamdam Joannis de Parma Generalis Fratris Minorum, ubi mentio fit quatuor Antiphonarum, quæ hodie recitantur, quasi per ea tempora usu receptæ essent. Omnium celebertima est *Salve Regina*. Refert Nangius in Vita S. Ludovici, Regem illum quotidie post completorium eam recitari curasse: *In fine Completorii specialis Antiphona Beatæ Mariæ alta voce cantabatur.* Ea Salutatio appellabatur, propter *Salve*, atque ita appellari solent novæ quædam Vesperæ, sive preces, quæ vespere recitantur præter Vesperas, & Completorium, quibus populi libentius, quam Ecclesiæ officio interfuntquia Salutationes hæ serius recitantur, vel Vesperis breviores sunt. Concilium apud *Pennam fidelem* in Hispania anno 1302. jubet can. 13. ut quotidie *Salve* post Completorium dicatur: *In laudem S. Virginis in singulis diebus post Completorium canatur Salve Regina alta voce cum versu Ora pro nobis, & ovat. Concede nos famulos.* Carthusiani post completorium *Salve* non recitant, sed ad Vesperas, ad Virginis commemorationem faciendam in Antiphonæ formam cum ℣. *Ave Maria*, & oratione *Famulorum*: Ad Laudes recitant *Tota pulchra* ℣. *Ave*, & *Deus, qui de B. Vir-*

Virginis utero. cluniacenſes Antiphonas iſtas non recitant. In ordine ciſtercienſium quotidie *Salve* dicitur; carmelitæ ad cujuſque horæ, atque etiam ipſius Miſſæ finem *Salve* recitant; Paſchali tempore vero *Regina*. Trithemius *Salve Regina* Hermanno Monacho Reichnarienſi in Svevia tribuit, *Contracto* appellato, quia ab infantia membra contracta habebat, obiit an. 1054. Hæc oratio *Salve* in ore omnium maxime fuit, extantque Sermones quatuor, atque Meditationes in *Salve Regina*, qui Sancto Bernardo tribui ſolent. In chronico Spirenſi ſcriptum eſt, cum *Salve* in Spirenſi Eccleſia caneretur, atque ibi S. Bernardus adeſſet, tres has poſtremas voces, atque genuflexiones addidiſſe: *O Clemens, o Pia, o dulcis Virgo Maria*. In oratione iſta nonnulla immutata ſunt; cum enim vulgo dicamus: *Salve Regina Mater miſericordiæ, Vita, dulcedo*, Carthuſiani e contra dicunt. *Salve, Regina miſericordiæ, Vita dulcedo*; ſecuti enim ſunt Hermanni Scripturam, qui ejus eſt Auctor. Ac in Sermonibus ſancto Bernardo adſcriptis; in cunctis Religioſorum ordinibus, in Romano Breviario, atque ubique fere dicitur *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra*. Neque enim gravius ducendum eſt, B. Virginem, miſericordiæ Matrem, noſtramque vitam, quam ſpem noſtram appellare, cum per eam Jeſum chriſtum acceperimus, per quem miſericordiam obtinemus, quique vitæ noſtræ principium, & auctor eſt, atque ad B. Virginis preces ſperamus id, quod Jeſus chriſtus ejus Filius nobis promiſit, atque pro nobis meritus eſt, vitam præcipue æternam.

Apud S. Ephrem extat hæc ſententia: *Salus mundi, cunctarumque animarum medela, atque tutela*. Apud S. Joannem chryſoſtomum vero hæc alia: *Mariam naſci, & vocari Dominam, & Reginam ipſa ſui germinis, hoc eſt, Chriſti Filii ſui fecit auctoritas*. chryſt ſerm. 142. Apud Albertum M. præterea, *Janua Cæli ſalvandis hominibus*. In ſermone vero quodam, qui a nonnullis S. Auguſtino tribuitur, ab aliis S. Fulgentio ſerm. 18. *de Sanctis*, quem Ambroſii Auſperti verius eſſe exiſtimo, Benedictini Monachi, atque Beneventani Abbatis, qui an. 978. obiit, hæc habentur: *Accipe quod offerimus, quia in te ſpes unica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum, in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum*. Tribuuntur autem hæc ipſius præcibus, atque interceſſioni. Sermo iſte S. Auguſtini nomen præfert in Breviario Romano, in Octava Nativitatis B. V.

In Vita S. Bonaventuræ habetur, eum quotidie Veſpere poſt completorium campanam pulſari curaviſſe; *ut fratres populum hortarentur ad ſalutandam B. Virginem, ſigno campanæ audito, quod poſt Completorium datur, quod creditum fit, eamdem horam ab Angelo ſalutatam fuiſſe*. Ferunt cum moris hujus, orationem ad B. Virginem poſt completorium faciendi, auctorem eſſe, atque *Salve Regina* cantari curaviſſe, unde oratio illa *Salutaris* appellata fuit, nomen orationi veſpertinæ etiam inditum. Diu per totum annum *Salve* dici ſolebat, quod Carmelitæ adhuc ſervant; poſtea vero varietatis gratia preces aliæ inventæ fuere, *Alma, Ave Regina*, & *Regina*, quæ ſunt Salutationes ad B. Virginem.

Thomas Cantipratenſis l. 3. de Apoſt. c. 10. ait: *Juſſu a Fratribus Prædicatoribus Pariſiis eſt ſanctum, ut poſt Completorium omni die cum Proceſſione, & ſolemnitate coram Salve Regina miſericordiæ, juſſi initio genibus in gloriam, & laudem gloriosiſſimæ Virginis decantetur*. Unde intelligimus, Scriptorem hunc *Salve* retuliſſe, ut ab Hermanno compoſita fuerat.

Quod reliquas antiphonas ſpectat, tribuitur quoque Hermanno Contracto, *Alma Redemptoris*, quæ verſibus hexametris conſtat in B. Virginis honorem. Ignoratur vero auctor *Ave Regina Cœlorum*. Apud Bzovium l. 2. mentio fit *Regina Cœli* pro tempore Paſchali. Hæ antiphonæ in noſtra quoque Breviaria invectæ ſunt, licet a Monachis compoſitæ fuerint. Occaſionem ex illis Proteſtantes arripuere nobis obtrectandi; quibus reponimus elogia iſta, quæ B. Virgini fiunt, eam noſtram vitam eſſe, at-

que noſtram ſpem, hoc ſenſu eſſe intelligenda, quod ea Jeſum chriſtum nobis dederit, qui noſtrum omnium vita, atque ſpes eſt, Rexque cœli, & terræ, quemadmodum & S. Paulus ad Theſſalonicenſes ait: *Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ . . . . Vos eſtis gloria noſtra, & gaudium*, Theſſal. 2. v. 19. 20.

Pater, Ave, & Credo, quæ ad finem completorii ſunt, *ſecreto* recitantur, neque pars Officii ſunt. Sunt autem addita a Pio V. iiſque adhuc recentius eſt *Sacroſanctæ*, neque priſcis Eccleſiæ precibus reſpondet; videtur enim in eo J. chriſti Divinitas ab humanitate ſeparari, atque eadem gloriæ celſitudo Beatis, atque Deo tribui.

CAP. XLI.

De Officio Dominicæ.

SEptenarii dierum numeri inſtitutio, quibus hebdomas componitur, Hebræis debetur, apud quos ſeptima dies Sabbathum appellatur, eſtque dies feſtus, atque quietis. chriſtiani ejus diei celebritatem in diem Dominicam tranſtulerunt ad Salvatoris Mundi reſurrectionem recolendam. Inditum autem illi eſt Domini nomen, quod Græce *Cyriacos*, vel *Anaſtaſimos* dicitur. *Dominicæ* appellatio ejuſdem cum Eccleſia vetuſtatis eſt; legitur enim in Apocalypſi c. 1. atque ad noſtra uſque tempora pervenit. Evangeliſtæ *unam Sabbathi*, vel *primam Sabbathi* vocant, ſcilicet primam poſt Sabbathum diem. S. Matthæus ait, chriſtum reſurreviſſe Sabbathi nocte exeunte: *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*. S. Marcus ait, id, ineunte, qui poſt Sabbatum ſequitur, die, factum fuiſſe: *Valde mane una Sabbatorum: mane prima Sabbati*. S. Joannes, *Die illo una Sabbatorum*.

Legimus quoque, die iſto celebrem fidelium conventum habitum fuiſſe Apoſtolorum ævo, atque Sacrificium peragi ſolitum: *Una Sabbathi cum convenirem ad frangendum panem*, Act. 20. Meminit S. Paulus 1. Cor. 16. eleemoſynæ, quæ in cœtibus illis ſingulis Dominicis colligebatur *Per unam Sabbati*. Quare nemini dubium eſt, Dominicæ diei celebritatem ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe, ad chriſti Reſurrectionis Myſterium colendum, ejuſque memoriam ſingulis hebdomadis renovandam.

Apud veteres quoque Patres Fidelium cœtus ea die habitos fuiſſe videre eſt, quæ a Gentilibus dies Solis appellabatur: *Conventus hos*, inquit S. Juſtinus Apolog. 2. *die Solis facimus, quia eadem die Servator ſurrexit*. Theophilus Alexandrinus apud Balſamon. de hujus diei celebritate agit: *Et conſentendo, & Officii ratio poſtulat, ut diem Dominicam honoremus, eamque feſtam habeamus*. S. cyprianus de Sacrificio, quod tunc peragebatur, loquens in lib. de Op. & Eleemoſ. eum diem *Dominicum celebrare* appellat. Omnium vetuſtiſſima lex de Dominicæ diei obſervatione lata eſt in concilio Laodiceno, poſtquam conſtantinus juſſerat, eam diem in univerſo Romano Imperio eſſe celebrandam, atque non Solis amplius, ſed Domini diem eſſe appellandam. Ab omni ſervili opere ceſſandum ſtatuit, ſolo agrorum cultu, cum neceſſitas urget, excepto.

Quemadmodum Dominica dies eſt Divino præcipue cultui ſacra, Deo laudando fere tranſigebatur: *Die Dominica nihil aliud agunt, niſi Deo vacent*, inquit Caſſianus. *Die Dominico*, ait s. Benedictus, *lectioni vacent omnes*, atque officium ea die longius fuiſſe perſpectum habemus. Scriptum eſt in vita s. Sabæ, in ejus Monaſterio noctem in precibus tranſactam fuiſſe. Ægyptii Monachi noctem in tria officia vel Nocturnos partiebantur. Apud s. Cæſarium, & s. Benedictum, atque ubique officium longius erat; idque Romæ ad Matutinum & Primam ad hanc diem ſervatur.

Officium Dominicæ diei incipit a Veſperis præcedentis diei, *a veſpera diei Sabbati uſque ad veſperam diei Dominici*, ait Auctor Sermonis 25. de Temp. S. Auguſtino cribati, fere ut apud Judæos Paſcha *inter duas veſperas* celebrabatur.

Ab

Ab ipſis uſque Mundi exordiis Deus a præcedente nocte diei initium dedit ; *Factum eſt veſpere & mane dies unus*. David præterea de die agens, quem Deo ſacrabat, a præcedente veſpere eum laudare incipit : *Veſpere & mane & meridie narrabo*. Eccleſia etiam omni ævo Dominicæ Officium a Veſpere inchoavit, quemadmodum ex Concilio Laodiceno can. 15. intelligimus : *A veſpera ad veſperam dies Dominica ſervetur* ; idem quoque teſtatur Caſſianus : *Sane vigilias, quæ ſingulis hebdomadibus a veſpere illucſcente Sabbato celebrantur*. Concilium Forojulienſe anno 791. jubet can. 13. Sabbato ſub veſperam a labore ceſſandum eſſe, ut Veſperis, quæ Dominicæ Officii initium ſunt, adeſſe liceat ; *Diem Dominicum inchoante noctis initio, ideſt, veſpere Sabbati, quando ſignum inſonueris*. Theodulphus Aurelianenſis can. 24. ait : *Conveniendum Sabbato die cum luminaribus cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam ; conveniendam ad vigilias ſive ad matutinum officium, concurrendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum ſolemnia*. De ſecundis veſperis non meminit, quia ad Dominicæ officium non pertinebant, atque tum demum ſolemniter celebrari, & Dominicis diebus, ceteriſque Feſtis addi cœperunt, cum populi vigiliæ Veſperis adeſſe ceſſarunt. S. Cæſarius in ſermone quodam ſ. Auguſtino tributo, more cererorum Epiſcoporum hortabatur tantum, ut Sabbati vigiliis, atque Miſſæ, quæ mane celebrabatur, adeſſent : *Veniat quiſque ad veſpertinam atque noctiuam celebrationem ; in die vero nullus a ſe ſacra Miſſarum celebratione ſeparet*. Hinc intelligimus Dominicis diebus tam Miſſæ quam Officio adeſſe Fideles oportuiſſe ; neque diu eſt, quod in Gallia a Sabbati Veſperis, Feſtorumque Vigiliis ab opere ceſſatum eſt, ut conſtat ex pluribus ſtatutis Corporis Artificum, quæ opificibus mandant, ut hora Nona Sabbatro, Feſtorumque vigiliis ab opere ceſſent, hora ſcilicet tertia poſt meridiem, ut Veſperis adeſſe poſſint.

Hujus moris immutatio apud Hattonem Baſileenſem in ſuis Capitularibus (Tom. 6. ſpicil. c. 8.) primum conſpicitur circa annum 811. quo loco ſtatuit, ut Dominica non amplius a diei præcedentis veſpere incipiat, ut Judæorum mori non adhæreret, ſed a mane ad veſperum tantum celebretur : *Omnem diem Dominicam a mane uſque ad veſperam, ne Judaiſmo capiantur*. Ante ea tempora vero Concilium Aquiſgranenſe mandaverat, an. 789. ut *a veſpera ad veſperam dies Dominica ſervetur*, Can. 14. Francofordienſe vero an. 794. ut *dies Dominica a veſpera in veſperam ſervetur* can. 21. Caroli M. Capitularia quoque præcipiunt l. 6. c. 186. ad Dominicum, alioſque Feſtos dies celebrandos Sabbato ſub veſperum, vel ea vigiliæ hora, qua lampades accenduntur, ad Eccleſiam conveniendum eſſe, atque totum Dominicæ diem, ceteraque Feſta, in Dei honorem eſſe tranſigendum : *Diem Dominicum . . . tantum divinis cultibus ſervientis, & a veſpere uſque ad veſperam dies Dominicus ſervetur*. Idem videre eſt in concilio Coyacenſi in Hiſpania an. 1050. quo ſtatutum eſt : *ut omnes Chriſtiani die Sabbati adveſperaſcente ad Eccleſiam concurrant, & Dominica matutinas Miſſas, omnes horas audiant*. Paria habet Decretalis Gregorii IX. Extra de Feriis c. 2. *Omnes dies Dominicos a veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari*, atque etiam cap. *Pronuntiandum de Conſecr.* d. 3. c. 1. quod Gratianus concilio Lugdunenſi tribuit, cum tamen ſit Hattonis Baſileenſis capitulum, quod Gratianus emendare voluit, atque ad veterem morem reducere, ſcribendo *a veſpera ad veſperam* loco *a mane ad veſperam*. Unde colligimus, morem iſtum diu viguiſſe, atque Hattonis ſtatutum parum ſervatum fuiſſe. Conſtat tamen Alexandri III. ævo id apud quaſdam Eccleſias obtinuiſſe, neque Pontifex ille eum morem damnat, quia *licet*, inquit Pontifex Extrav. de Feriis, *ſcriptum ſit de veſpera in veſperam celebrabitis Sabbata veſtra, feſtorum tamen principium & finis juxta regionum conſuetudinem debet attendi* . . . . Unde occaſio data eſt, ut vigiliæ Veſperæ hora tertia pomeridiana celebrari cœperint, atque ſecundæ Veſperæ inſtitutæ ſint, poſtquam populi primis adeſſe

Digitized by Google

ceſſarunt ; Eccleſia vero veterem morem veſperas vigilia decantandi ſervavit ; atque primæ Veſperæ ad hanc diem ſolemniori ritu celebrantur Pariſiis, & in aliis Eccleſiis, quæ ad primas, non vero ad ſecundas Reſponſorium recitant.

Eſt & aliud adhuc de Dominica adnotandum, eam tam Deo ſacram habitam fuiſſe, ut tunc nullius Sancti Feſtum celebraretur. Concilium Laodicenum eorum tantum commemorationem fieri permittit, qui in Quadrageſimales Feriis inciderint : *Quod non oportet in Quadrageſima natales Martyrum peragere, ſed Sanctorum Martyrum commemorationes facere in Sabbatis & Dominicis.*

Mos iſte Sanctorum Officia Dominicis non peragendi Romæ diu ſervatus fuit. Micrologus cap. 62. profitetur juxta Romanum ritum Dominica officium numquam niſi ob celebrius aliquod Feſtum, ut S. Joannis, & S. Petri intermitti : *Juxta Romanam conſuetudinem in omni Dominica Eccleſiaſtico conventui cum Officio Dominicæ ſatisfaciemus, niſi aliqua multum celebrior occurrat feſtivitas.* Radulphus Tongrenſis Propoſ. 13. ait, ætate ſua aliquot tantum Feſtorum officia Romæ Dominicis celebrata fuiſſe, ut B. Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri & S. Pauli, cum in Dominicam diem incidiſſent, nulla vero juxta ritum Ambroſianum : *Romanus uſus cæteris poſt Ambroſianum melius ſe habet, in quo præter quadam Feſta novem Lectionum cedunt Dominicis.* Optandum ſane eſſet, ut mos iſte rurſum reſtitueretur, cum hodie nullæ fere loco ſuo conſtiterint, niſi Adventus & Quadrageſimæ Dominicæ ; olim omnes per annum eodem jure gaudebant, atque cum Scripturæ Liber Dominica die legi incipiebat, ut Regum libri, vel alius quilibet, Feſtum in eam incidens, in aliam diem transferebatur ; poſtremus autem iſte mos apud Carthuſianos adhuc obtinet.

Concilium Provinciale Moguntinum an. 1549. hæc habet cap. 6. *Sed & Sanctorum ſolemnitates in diem Dominicam incidentes, etenſemus ſubmovendas, & in Feriam aliquam præcedentem vel ſequentem tranſferendas, quo Sanctorum omnium Domino ſua conſervetur ſolemnitas.* Idem in Concilio Remenſi an. 1564. propoſitum fuit.

In Eccleſiæ Mediolanenſis Officio omnia Sanctorum Feſta, ne Beatæ quidem Virginis exceptis, omnino Dominicæ cedunt, ſi Viſitationem, quæ pro Domini noſtri Feſto habetur, atque Crucis celebritates excipias. In novo Cluniacenſium Breviario ſolę majores ſolemnitates Dominicis diebus celebrantur, ſi in eas incidant, quod iterum aut tertio per annum evenire poteſt. Id autem apprime congruit ſtatutis Petri Venerabilis, cujus Stat. 2. hæc eſt præceptio, ut numquam Dominicæ officium prætermittatur propter Officium duodecim lectionum, quod in eam incidat, niſi ea majoribus eſſet, quæ per annum recurrunt ; his vero demptis priores octo Lectiones cum Reſponſoriis erunt de Dominica, quatuor poſtremæ vero de Feſto cum Laudibus ; at Miſſa, & quæ reliqua ſunt, de Dominica. Poſſet etiam res ita componi, ut celebritas, quæ in diem Dominicam incideret, puta ſi Patroni eſſet, ſaltem Pſalmi, Lectiones, & Reſponſoria primi Nocturni de Dominica eſſent. Joannes Abrincenſis in Feriam ſecundam rejicit Feſta omnia, quæ incidunt in Dominicas poſt Adventum uſque ad Pentecoſtem.

Quod Domini Noſtri Feſta attinet juxta veterem morem etiam Dominica die celebrantur. Iſidorus Peluſiota l. 3. ep. 110. de Natali agens ſub Theophaniæ nomine, ait, ſi in Dominicam incidat, duplex quaſi Feſtum efficere : Nam cum Theophania, aut carnalis Chriſti Nativitas Dominica die occurrit, duplicem ſolemnitatem efficit, ac veluti Feſtum in Feſto. Radulphus Tongrenſis Propoſ. 17. de officio Dominicæ verba illa Pſalmi 117. interpretatur : *Conſtituite diem ſolemnem in frequentationibus*, quemadmodum in Pſalterio Ambroſiano legitur, ſcilicet non eſſe id, niſi propter maximas celebritates omittendum : *Uſque ad cornu altaris.*

S. Auguſtinus Serm. 262. n. edit. rationem reddens, cur nullam de S. Leontio mentionem faceret, qui Baſilicam, ubi verba faciebat, extrui curaverat, cujuſque Feſtum in Aſcenſionis diem inci-

Digitized by Google

cidebat, ait: *Hodiernum diem Aſcenſionis ipſius celebramus: occurrit autem huic Eccleſiæ alia vernacula ſolemnitas. Conditoris Eccleſiæ hujus Sancti Leontii hodie depoſitio eſt, ſed dignetur obſcurari ſtella a ſole: ergo de Domino potius, quod ſæpe-ramus, loquamur, gaudet bonus ſervus, quando laudatur Dominus* . . . Tertio, Dominicis diebus nullæ publici Officii preces flexis genibus fiebant, qui mos vetuſtiſſimus eſt, cum apud Tertullianum tamquam ab omnibus receptus legatur: *Die Dominico nefas ducimus de geniculis adorare*. De Corona Milit. Ad hæc Concilium Nicænum an. 325. can. 20. morem quarundam Eccleſiarum abolevit, ubi Dominicis, & Paſchali tempore preces flexis genibus fiebant, jubetque, ut unius modi ratio ubique ſervetur, temporibus illis Deum in Eccleſiis, omnibus aſtantibus orandum eſſe. Hujus moris veſtigia nulla hodie ſuperſunt, niſi ad Antiphonas B. V. quæ poſt Completorium recitantur, atque ad *Angelus*; cetera eodem pacto Dominicis ac diebus ceteris peraguntur. Radulphus Tongrenſis conqueritur, quod ad ea ſymboli verba *Incarnatus eſt*, genua etiam Dominicis diebus flecterentur; putabat enim, id concilio Nicæno eſſe adverſum.

Trium Nocturnorum inſtitutio pro noctis Officio a Dominicis ortum habuit; ceterorum enim Feſtorum officium Dominicæ ſimile, quæ omnium in Eccleſia princeps eſt, effectum eſt. Teſtis eſt Caſſianus, Dominicæ officium tribus intervallis noctu peractum fuiſſe, nemine interim a choro diſcedente. Poſtquam enim tres Pſalmi alternis chotis cantati fuerant, alii tres alios Pſalmos incipiebant, atque tribus Lectionibus Officium abſolvebatur: *Tripartitis diſtinguunt Officiis*, lib. 3. c. 18. s. Benedictus Dominica tres Nocturnos recitari jubet cum duodecim Lectionibus, duodecim Pſalmis, tribus canticis, *Te Deum*, atque cum Evangelio, qui mos ſuperſtes, eſt in vetuſtis monaſteriis Cluniacenſium, Ciſtercienſium, & Carthuſianorum. Romæ tres Nocturni recitantur & novem Lectiones. Primus Nocturnus duodecim Pſalmos habet; atque ſolos duodecim iſtos, ut Feriarum diebus, noctis officium initio compoſuiſſe ſuſpicamur; verum ad Monachorum exemplum duo alii Nocturni additi fuere, qui propter brevitatem enim primo longiori conferendi non ſunt, quod ſane vetus erat noctis officium, licet ejus rei exordia demonſtrare non poſſimus; meminit enim Amalarius l. 4. c. 2. decem & octo Pſalmorum, qui Dominicis, ut hodie, recitabantur.

Laudes atque Prima eadem Romæ erant, ut eſt jam a nobis admonitum. Plures autem Pſalmi dicebantur, qui in quinque hebdomadæ dies diſtributi ſunt. Recitabant *Confitemini* propter Verſiculum *Hæc dies*, qui ad Dominicam refertur, loco Collectæ *Domine Deus omnipotens*. Feſtis diebus dicebant: *In hac hora hujus diei quæſumus Domine, tua nos reple miſericordia, ut per totum diem exultantes in tuis laudibus deleſtemur Per Dominum*. Radulphus ait, Mediolani *Confitemini* Dominicis, Feſtis omnibus, & Paſchali hebdomade recitatum fuiſſe.

Præter Officium fiebat Dominicis aquæ benedictio atque luſtratio. Mos a quam ea die benedicendi inde profectus eſt, quod Baptiſmi atque Paſchatis vigiliæ memoriam refricare volebant. Olim Fontis aqua ad luſtrandum Baptiſmumque repræſentandum adhibebatur; poſtea vero peculiaris aquæ benedictio inſtituta eſt. Aqua & ſal, quod illi infunditur, benedicuntur, atque exorcizantur eadem ratione, qua ſal Baptiſmo deſerviens exorcizatur, atque etiam oleum pro Cathecumenis, quod ea de cauſſa *Exorcizatum oleum* dicitur. Sal aquæ miſcetur, ut oleum atque Chriſma Pontis aquæ miſcetur; luſtratio vero immerſionem exhibet, quæ in Baptiſmo fiebat. Aqua benedicta primum inſtituta fuit ad domos & agros luſtrandos, ut conſtat ex Sacramentario Gelaſiano: *Ut ubicumque fuerit aſperſa, ſive in domo, ſive in agro, effugiat omnem phantaſiam, & omnem poteſtatem inimici*. Ergo, ut in Eccleſia aſpergeretur, deſtinata non erat; ipſa enim Oratio, *Exaudi nos..... viſites & defendas omnes habitantes in hoc habitaculo*, quæ vel hodie ſupereſt, oſtendit, domibus benedicendis inſtitutam fuiſſe.

Digitized by Google

fuiſſe. Sal exorcizatum, atque vinum illi miſcebatur: *Hic mittis vinum in ipſa aqua, & benedicis eam dicens, Domine Sancte Pater omnipotens*; ſacrum oleum præterea, atque inde per domus aſpergebatur: *Aſpergis cum hyſſopo per domos*.

Nonnulla etiam vetuſta Sacramentaria S. Gregorii nomen præferentia aquam ad aſperſionem dumtaxat in domibus faciendam deſignant; *Oratio aquæ exorcizatæ in domo*. Appellatio hæc aquæ exorcizatæ in precibus adhuc uſurpatur: *Ut ſiat aqua exorcizata*. Miſcebatur autem Sal exorcizatum loco olei, ut a Baptiſmi aqua diſtingueretur; quemadmodum Braulio Cæſaraugustæ Epiſcopus adnotavit in vita S. Æmiliani c. 24. *Salem exorsizet, & aquæ commiſcet more Eccleſiaſtico, ac domum ipſam aſpergere capit*. Poſtea aquæ hujus aſperſio in Eccleſia facta eſt, Fontis vero aqua Paſchatis & pentecoſtes diebus ſervata eſt. Domus vero vel hodie ea luſtrari ſolent, cum Viaticum, vel Extrema Unctio ægrotis affertur, atque cum nuptialis thalamus benedicitur. Micrologus undecimi ſæculi Scriptor eam domibus tantum benedicendis deſtinatam deſignat, quemadmodum & Anaſtaſius Bibliothecarius, vel Pontificale Damaſo falſo tributum in vita Alexandri: *Hic conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum*. Cum autem exorciſmi benedictiones tantum ſint, ſive preces ad Dei opem invocandam, atque res illas, quæ benedicuntur, ejus honori conſecrandas, mirum non eſt, ſi modo aqua exorcizari, modo benedici dicatur.

Hæc ipſa aqua benedicta, quæ per Eccleſiam aſpergebatur, domibus luſtrandis poſtea deſerviit. In Anglia Clerici inſtituti ſunt, quorum munus erat eam ad ſingulorum domos portare; ſiquid autem illis Fideles largiebantur, in neceſſarios ipſorum uſus vertebatur, ut conſtat ex Concilio Exoniensi an. 1287. ex ſtatutis Conventriensibus an. 1237. atque Sarisberiensibus an. 1256.

Aqua benedicta a Baptiſmali diverſa medio Nono ſæculo apud Leonem IV. Papam ſpectatur hom. de curis paſtoralis: *Omni die Dominica ante Miſſam aquam benedicite, unde populus aſpergatur, & ad hoc proprium vas habete*. Eſt autem hoc omnium vetuſtiſſimum, quę de aqua benedicta Gregoriana extent, monumentum, meminit enim ejus Sacramentarium S. Gregorio tributum. Hinc marus ejus uſum Paſtoribus præcipit in Capitularibus an. 852. can. 5. *Omni die Dominico ſuiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam factas in vaſe nitido, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur, & qui voluerint, in vaſculis nitidis ex illa accipiant, & per manſiones & agros necnon ſuper cibos & potum ſuum conſpergant*. Hinc intelligimus, populum aquam benedictam ſecum tuliſſe ad domos & agros luſtrandos, poſtquam Paſtor omnes ante Miſſam illa aſperſiſſet, ut ad Sacrificium rite pararet. Ejus inde mentio fit in Concilio Namnetensi nono ſæculo, atque in ſtatutis Auguſtanis an. 1032. Micrologus ait, ejus uſum a Canonibus præceptum eſſe. *In omni Dominicæ juxta Canones*. Exiſtimant autem per Canones intellexiſſe eum falſum Decretalem Alexandro I. tributam, quam refert Gratianus *De conſecrat.* Diſt. 2. c. *Aquam*. Nihil vero in illa de Dominica habetur, ſed tantum aquam benedicendam: *Aquam ſale conſperſam populi benedicimus*.

Preces omnes, quas ad aquam benedicendam adhibemus, octavo ſaltem ſęculo compoſitę fuere, cum Amalarius, Rabanus, ceterique omnes, qui Commentaria in Romanum Ordinem ſcripſerunt, earum meminerint. Sunt autem hæ; primum ſalis & aquę exorciſmus, deinde tres alii, quorum primus ad Patrem, alter ad Filium, tertius ad Spiritum Sanctum refertur, teſte Amalario l. 1. c. 25. Nullus apud Italos in Baptiſmali aqua ſalis uſus eſt; benedictę vero tunc primum fortaſſe miſceri cœpit, cum ab aqua Fontis diſtingui cœpit. Eędem vero ceremonię in benedicenda aqua, ut in Cathecumenis Deo conſecrandis ſervabantur; utebantur ſcilicet precibus, exorciſmis, ſacro oleo, atque ſale, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi tertio can. 5. Nulla ſalis mentio fit in Sacramentario Gelaſiano: ſed

sed tantum in Decretali Alexandro I. tributa, quę noni sęculi est opus, atque a Strabone, Grimaldo, Amalario, Rabano, atque aliis in testimonium adducitur. S. Optatus Milevitanus lib. 6. agit de aqua Ecclesię precibus benedicta, cui sal miscebatur, atque Donatistis ejus abusum exprobrat. Fortassis in Africa Baptismali aquę sal miscebatur, quemadmodum & sal Cathecumenis dari solebat, mosque iste circa octavum vel nonum Sęculum Romæ forsan receptus est: neque enim Vigilius Papa, qui instauratam Ecclesiam aqua lustrali benedici mandat, neque S. Gregorius, qui Idolorum Templa aqua benedicta lustrari jubet, ut in Ecclesiarum usum cedant, de sale meminerunt.

Constat præterea ex Rabano l. 7. c. 20. ejus ævo aspersionem Dominicis diebus Pontis aqua, ut Paschate, & Pentecoste, factam fuisse; tunc enim non recens aqua benedicitur, sed præteritæ diei aqua sumitur, atque canitur *Vidi aquam*, ad demonstrandum, eam lætitiæ aquam esse, quæ gratiam repræsentat, & Baptismi Sacramentum; aliis vero Dominicis dicitur *Asperges*, ad significandum, eam aquam pœnitentiæ esse, quæ sordes abstergat.

In pluribus Ecclesiis dum fit aspersio, Psalmus *Miserere* decantatur cum Antiphona *Asperges*, quæ a Psalmo isto petita est. Alibi vero aqua benedicitur in Sacrario ante Tertiam, aspersio vero fit in Ecclesia ante Missam; Dominicæque supplicatio, si origines scrutari velimus, nil fere est nisi aquæ benedictæ aspersio, quæ ante & post Tertiam fiebat. Aspersio hæc a celebrante fiebat, quem ministri Ecclesiam circumeuntes comitabantur, aliquando vero etiam extra Ecclesiam, præcipue in pagis ad benedicendos agros. Postea satius visum est, Clerum universum Celebranti conjungi, atque eum, dum aspersionem facit, comitari, ut Defunctorum Commemorationis die Parisiis fieri solet, ubi processio sive supplicatio appellatur.

In Monasteriis Religiosi viri celebrantem comitabantur, dum aspersionem faciebat in Claustro, atque in dormitorio. Hinc eorum Processionibus occasio data est, cum aspersio ab iis sejungi cœpit, aspersioneque soli celebranti permissa, chorus illi se adjungens Ecclesiam, & claustrum cantando circuibant. Postquam vero in Ecclesiam redierant, stationem in Ecclesia faciebant, celebrantem, ejusque Ministros expectantes, qui post lustratum claustrum simul cum choro, ad Dormitorium ascendebat, ut cellas benediceret. Eum vero non ad primos scalæ gradus, sed Ecclesiam denuo subeuntes in media Navi expectabant, Antiphonas canentes coram Crucifixo, vel in honorem B. V. aut de alio quoppiam argumento, idque Statio appellabatur, auctore Ulrico in Consuetudinibus Cluniacensibus l. 1. c. 10. *Conveniunt cum expectando facis Stationem ad Sanctam Crucem, & de illa una Collecta dicitur*. Hinc petenda origo collectæ, quæ post supplicationis reditum recitatur; est enim collecta Stationis. Cistercii, ubi unicus Monachus aspersionem intra domum faciebat, nulla erat supplicatio. Monachi Fuldenses in precibus Carolo M. oblatis c. 19. de supplicatione agunt, quæ singulis Dominicis fiebat. Cruce præeunte: *Ut Crucis gestatio in singulis Dominicis fiat ante Missam, fratribus sequentibus, Hymnos, & Antiphonas canentibus, sicut apud majores nostros usus est*. In vita S. Stephani Obazinensis habemus, supplicationem intra claustrum habitam fuisse, atque aqua totum Monasterium interius lustratum fuisse: *Diebus Dominicis agentes Processionem per Claustrum, & singulas officinas, singulis benedictionibus perlustrantes*.

In Ordinario Viennensi in Delphinatu celebrans alba, atqi stola indutus aspersionem facit, quem Acolythi præcedunt, cum candelabris, & cruce, Diacono, & Subdiacono comitantibus. Postquam vero Ecclesiam lustravit, idem præstat in cœmiterio, quæ res nihil sane nisi supplicatio est.

Sunt qui velint, verba hæc benedictionis aquæ: *Commixtio salis, & aquæ pariter fiat*, si eorum originem spectemus, rubricam tantum fuisse, quæ eo loco sal, & aquam miscenda esse monebat ad illa verba: *In nomine Patris*.

Dom-

Dominicę vero Miſſa plerumque ſolemnior erat ; populus enim univerſus cum Clero illi aderat , quemadmodum ab ipſis uſque S. Auguſtini temporibus factum fuiſſe intelligimus . Præterea Theodulphus Aurelianenſis in Canonibus ſuis jubet , ut Presbyteri omnes , atque Fideles tam in urbe , quam in vicino agro degentes , ad urbem , ubi Epiſcopus reſidet , ad Miſſam audiendam conveniant , vetatque aliam in Oratoriis , ſive in Monaſteriis , vel in Eccleſiis niſi ante octavam matutinam , januiſque clauſis celebrari, ne populus fortaſſe Epiſcopi Miſſæ , atque concioni adeſſe negligeret . Quare a primis uſque temporibus Fideles omnes in eumdem locum conveniebant ; cœtibus autem Epiſcopus præſidebat ; ab illo tantum Dei verbum audiebant : ejus ore orabant, ab ejus manibus Sacramenta percipiebant . Creſcente vero Fidelium numero plures cœtus in eadem urbe haberi oportuit , unde Parochiæ profectæ ſunt , quibus Presbyteri Epiſcopi nomine præſident, atque ad eas Fideles ventitant ad Dei verbum audiendum , orandum , atque Sacramenta percipienda .

Quum Miſſæ cæremoniæ Dominicis diebus peragebantur , celebrans decoro ornatu Miniſtris quoque magnifice comitantibus per Chori medium ad Altare procedebat . In quibuſdam Eccleſiis celebrans crucem geſtabat , quemadmodum Pariſiis fit,ut eam ſuper Altare ſtatueret;nullę enim cruces olim in Altaribus erant . *Gloria in Excelſis* Adventu , & Quadrageſima exceptis recitabant, ante Miſſæ initium thus incendebatur , alicubi vero ab oblationem , *ſuper oblata* , quæ vetuſtiſſima eſt thuris incendendi ratio . Unica tantum collecta Dominica recitabatur , Graduale cappa induti cantabant ; poſt Evangelium vero concio habebatur , quæ ſeorſim a Sacrificio non fiebat , ſed Liturgiæ pars ſemper fuit , quod S. Juſtinum , Tertullianum , S. Joan. Chryſoſtomum , S. Auguſtinum , aliaſque permultos conſulentibus patebit . Mos poſt meridiem concionandi novitius eſt , atque a Fratribus Mendicantibus invectus . Fiebat vero concio poſt Evangelium ; atque ubi *Credo* Miſſæ inſertum fuit , ſancitum eſt, ut ſingulis Dominicis recitandum eſſet . Fideles univerſi ad oblationem veniebant , veluti ſtatutum fuit in Concilio Matiſconenſi an. 585. c. 4. atque in Capitularibus *l. 6.* c. 170.

Panis quoque benedictus Dominicis offerebatur , atque ſub Miſſæ finem Communionis loco diſtribuebatur . Ejus rei meminit Hincmarus in ſuis capitularibus cap. 7. *Ut de oblatis , quæ offeruntur a populo , & conſecratione ſuperſunt , vel de panibus quos Fideles deferunt ad Eccleſiam , vel certe de ſuis Presbyter convenientes partes inciſas habes in vaſe nitido , & convenienti , ut poſt Miſſarum ſolemnia , qui communicare non fuerint parati , Eulogias omni die Dominico , & in diebus Feſtis exinde accipiant* . Simile Decretum Concilio Nannetenſi tribuitur . Verum non ſatis liquet , quo anno Concilium illud habitum fuerit . Burchardus lib. 5. cap. 29. Pio I. Pontifici illud adſcribit , quemadmodum & Ivo Carnotenſis part. 2. c. 3. verum id ex Epiſtola Pontificis hujus nomen falſo præferente ſumptum eſt . Leo IV. panis benedicti meminit in lib. de cura paſt. *Eulogias poſt Miſſas in diebus Feſtis plebi diſtribuite* . Idem habetur ex Ratherio Epiſcopo Veronenſi . Ep. Synod.

Juxta Cluniacenſium morem Eulogiæ iſtæ referente Ulrico in Refectorio ante prandium diſtribuebantur . Græci panem , ex quo Hoſtiam confecratam ſumſerunt , in minuta fruſta incidunt , atque adſtantibus offerunt , habeturque ab illis ſummo in pretio , quia preces quædam ſuper illo fuſæ ſunt , Deoque oblatus fuit . Pœnitentibus , atque Excommunicatis , quod his Miſſæ intereſſe non liceat,non diſtribuitur .

CAPUT XLII.

De Officio Feriarum .

FEriæ nomen , quod a Gentilibus ad Chriſtianos tranſiit , dies , quibus ab opere vacandum erat , apud illos demon-

Digitized by Google

monſtrabat. Chriſtiani vero primum, ut Dominicam, ceteroſque dies Domino ſacros ſignificarent, uſi ſunt: at paulo poſt ſingulos hebdomadæ dies ita appellarunt. Falſi autem ſunt, qui nomen iſtud illis a S. Sylveſtro inditum fuiſſe exiſtimarunt, ut profanorum Deorum nomina, a quibus denominabantur, aboleret; erat enim Feriæ appellatio longe ante S. Sylveſtrum inter Chriſtianos recepta, ut ex Tertulliano conſtat, qui *Quartæ, & Sextæ Feriæ* meminit adverſ. Pſych. quæ ſtationi, ſive jejunio erant, deſtinatæ. S. Auguſtinus opinatus eſt, Feriæ appellationem profanorum nominum loco invectam fuiſſe, ut alia eſſet in Eccleſia a Paganica loquendi ratio: nihilominus Gentilium nomina ad hanc diem ſuperſunt, atque Eccleſia pluribus Feriis eorum Sanctorum nomina indidit, quorum Feſtum celebratur.

Scriptura ſingulos hebdomadæ dies habito ad Sabbatum reſpectu appellat, Dominicam, *unam Sabbati*, Feriam ſecundam, & tertiam, *ſecundam, & tertiam Sabbati*. Eccleſia Sabbati loco, Feſti vel Feriæ appellatione utitur; dieu vero, quam Gentiles Lunæ, Judæi primam poſt Sabbatum appellabant, ipſa ſecundam Feriam vocat, atque ita de ceteris. Ita S. Auguſtinus in Pſ. 93. *Una Sabbati dies Dominicus eſt, ſecunda Sabbati, quem ſeculares Lunæ diem vocant, tertia Sabbati, tertia Feria, quam diem illi Martis vocant.* S. Iſidorus Hiſpalenſis l. 2. de Nat. c. 3. exiſtimat, appellationes iſtas Feriæ, vel Feſti a præcedente Sabbato acceptas eſſe, atque Dominicam primam Feriam, diem Lunæ ſecundam Feriam dictas fuiſſe, quod primus ſint, vel ſecundus poſt Feriam dies: *Prima aut ſecunda dies a Feria, aut a Sabbato*. Vel juxta S. Auguſtinum lib. 1. de ſermon. Dom. in monte ad Paſchalis hebdomadis formam, quæ tota Feſtis conſtabat, ceterarum hebdomadarum dies Feriarum nomen acceperunt: *In celebratione octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus*. Hinc aliarum hebdomadarum diebus Feriarum nomen inditum eſt, quemadmodum Dominica prima dies appellatur, licet id ſoli Paſchatis diei demonſtrando primum inſerviret.

Quod ſi Feriæ apud Paganos dies Feſti erant, Chriſtiani eam appellationem ſingulis hebdomadæ diebus indiderunt, quia nulla eſt apud ipſos dies, quæ Deo ſacra non ſit: *Omnis dies, etiam vulgata conſecratione fit*, inquit Tertullianus; vel quod Clericis Feſtorum loco ſinguli dies ſint, cum ob inſtitutum ſuum omnibus ſæcularibus negotiis renuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare debeant.

Ex Amalario intelligimus, Feriarum Officium eodem fere pacto, quo hodie eſt, olim diſtributum fuiſſe. Nocturnum Officium Invitatorium non habebat, idque diu poſt Amalarii tempora obtinuit. Unicus erat Nocturnus duodecim Pſalmis, & ſex Antiphonis conſtans. Semel tantum per noctem ſurgebant, neque noctis Officio protrahendo ſtudebant, quia interdiu opus faciendum erat. Hyeme vero, cum nuctes longiores ſunt, quatuor Lectiones, & quatuor Reſponſoria, ætate vero tres tantum recitabantur. Ad Laudes primus Pſalmus quotidie erat *Miſerere*, velut & hodie facimus; inter Pſalmos quotidie quoque Canticum erat a Propheta aliquo petitum; Iſaiæ Canticum Feria ſecunda dicebatur, aliis vero diebus illa ipſa, quæ ad hanc diem quotidie recitari ſolent. Singulis diebus *Deus Deus meus*, & *Deus miſereatur*, duo *Laudate*, & *Cantate*, atque ſemel *Gloria Patri* recitabant. Ad minores Horas nulla Antiphona habebatur, quod & hodie die, atque hebdomada Paſchali ſervatur, tunc enim *Alleluja* tantum dicitur, atque Dominicis adhuc ter tantum *Alleluja* recitatur, quater vero tempore Paſchali. *Kyrie* habebant, pluresque preces flexis genibus recitandas, quæ majorum Feriarum diebus adhuc ſuperſunt. Horas ſingulas preces hæ claudebant. *Pater*, atque *Miſerere*, quas genibus flexis recitabant; *Miſerere* noſtro etiam ævo dicitur tribus ante Paſcha diebus. *Te Deum* Dedicationis tantum, vel Apoſtolorum Feſtis dicebatur, teſte Micrologo cap. 30. Sabbatum vero jamdiu B. Virginis honori ſacrum eſt,

propter peculiarem commemorationem, quę de illa die hoc fiebat, ut refert Micrologus c. 48. *Sabbato per totum annum venerationi B. Mariæ ſoles obſecundare*. Concilium Avenionenſe an. 1326. jubet can. 1. ut ſingulis Sabbatis, niſi Feſtum novem Lectiones habens in eam diem incidat, B. Virginis Miſſa cum collectis pro Eccleſia, & pace celebretur: *Statuimus quod Miſſa de B. Maria additis collectis Eccleſiæ, Deus a quo . . . . in die Sabbati, ſi Feſtum novem Lectionum non impediat*, decemque dierum indulgentiam iis, qui huic Miſſæ aderunt, elargitur.

Eadem autem Divini Officii, atque Miſſæ ratio erat; in quibuſdam enim Eccleſiis propriæ Miſſæ non erant quibuſdam Feriis; tunc vero, ſi rem divinam facere libebat, Dominicæ, quæ præceſſerat, Miſſa repetebatur: At Officium, nocturnum præcipue, Laudum, & Veſperarum certo quodam Pſalmorum numero, ab aliis qui Dominica recitabantur, diverſorum ſemper conſtitit. Verum, quod minores diei Horas attinet, cum illæ pro Dominica primum inſtitutæ fuiſſent, poſtquam eas Feriis recitari placuit, quæ Dominica recitata fuerant, repetebantur. Ferunt autem, Alcuinum Caroli M. præceptorem votivas Miſſas ſingulis diebus adſignaſſe. Sed cum eas ad S. Bonifacii Moguntini preces compoſuiſſe dicatur, atque Alcuinus ſexdecim tantum, vel ſeptem & decem annos natus eſſet, cum S. Bonifacius obiit, verotimile non eſt, illarum hunc auctorem eſſe; vetuſtiores tamen ſunt Micrologo, qui earum meminit undecimo ſæculo.

Juxta harum Miſſarum Auctorem Feria ſecunda æternæ Sapientiæ cultui; Feria tertia Spiritus Sancti deſtinata erat. Græci angelos colebant, vel ut ipſi loquuntur, *aſomata*, ſive res incorporeas, quales ſunt Beatæ mentes.

Feria quarta Fidelium exercitationi deſtinata erat; quæ *Statio* appellabatur, conſtabatque jejuniis, & precibus, atque in peculiaribus Eccleſiis ad Martyrum monumenta fiebat, miſſaque ibi celebrabatur. Tertullianus hunc inter vetuſtiſſimos primitivæ Eccleſiæ mores enumerat, ſcilicet, Feria quarta, & ſexta jejunandi. Præter Tertullianum l. de orat. idem quoque habent S. Epiphanius Hær. 3. Petrus Alexandrinus in ſuis canonibus, S. Auguſtinus in ſua Epiſtola ad Caſulanum. Nos idem quatuor Temporibus ſervamus.

Feria quinta apud Gentiles præcipuo inter falſas Numina Deo ſacra erat, quæ cauſſa eſt, cur apud Gentiles pro Feſto fere habita fuerit. Extat Sermo S. Auguſtino tributus, quem S. Cæſarii opus eſſe exiſtimant, qui adverſus Paganicam hanc ſuperſtitionem declamat, jubetque ut ii, qui pravum hunc morem ſequi deprehenſi fuerint, ſevere puniantur, immo virgis etiam, atque fuſtibus cædantur. Concilium Narbonenſe an. 589. impium reputat Feria quinta, ſive die Jovis nomen præferente, ab opere vacare; privatque communione eos, qui id agunt, atque virgis ancillas, & famulos puniri jubet. Romæ ea die Miſſa non habebatur; in Sacramentario etiam S. Gregorii Feria quinta, etiam Quadrageſimæ tempore, Miſſa prætermittitur. Poſtea vero Dominicæ præcedentis Miſſa die illa repetita fuit. Gregorius II. an. 714. decrevit, ut Feria quinta Quadrageſimę tempore jejunium, & proprium Officium, aliorum dierum inſtar haberet.

Feriam ſextam Conſtantinus in Salvatoris noſtri Paſſionis memoriam coli juſſerat. Refert Sozomenus de Sancto Auxentio, qui ſæculo quinto floreba, eum hortatum fuiſſe, ut dies illa feſtorum inſtar coleretur, atque precibus, & jejuniis propter Dominicam Paſſionem tranſigeretur. In Occidente, atque alibi, ut Feria quarta, Statio ſicbat, & jejunium, vel quaſi, quæ Hora nona, vel tertia pomeridiana deſinebant; illis vero abſtinentia a carnibus ſucceſſit. Nicolaus I quoque de jejunio, atque abſtinentia Feriæ ſextæ agit ad Bulgaros ſcribens, ſed eos a jejunio, & abſtinentia Feriæ quartæ ſolvit. Socrates ait, Alexandriæ ea die nullam Miſſam fuiſſe, quod Mediolani Quadrageſimæ tempore ſervatur, Romæ vero die tantum Paraſceves.

Sabbatum omni ævo in Oriente, præterquam Alexandriæ, teſte Socrate l. 5. c. 2.

c. 2. celebratum fuit. Romæ autem, eum propter traditionem quamdam ſolemne non eſſet, haud dubio, ne Synagogæ quietem imitari videremur, ut Concilium Laodicenum can. 29. adnotavit, ea die jejunium fiebat. Id ſtatutum videmus in Concilio Eliberitano can. 26. quod Gregorius VII. in abſtinentiam a carnibus immutavit an. 1078. verum id ubique ſervatum non fuit.

CAP. XLIII.

De Officio dierum Feſtorum.

FEſtorum dierum uſus apud omnes Nationes viguit. Regum Natalis apud pleroſque omnes populos ſolemnis fuit. Liberi parentum natalem celebrabant. Conditarum quoque Urbium, templorum, & ſtatuarum erectionis, atque etiam Imperatorum, Heroum, & Philoſophorum Natales, vel poſt eorum mortem celebrabantur.

Natalis dies non is tantum eſt, quo orti ſumus, ſed ille etiam, quo Cæſar Imperium adeptus eſt, vel Pontifex Sacerdotium, atque ita de ceteris. Hiſce natalibus feſtis convivia agitabant, munera diſtribuere, ſacrificia, Genio præcipue, offerre, candidati incedere, atque petitis annuere ſolebant. Id autem natalis dies præ nuptiali amplius habebat, quod ejus celebritas ſingulis annis recurreret, nuptiarum vero ſemel tantum fieret, quod in lucem ſe veniſſe paucos, nuptiarum plurimos ſæpe pœniteat.

Fuere olim populi, qui natali die plorarent, lætitiæ vero cantica in propinquorum morte canerent. Meminit S. Joannes Chryſoſtomus quorumdam Monachorum, qui morem iſtum ævo ſuo ſervabant, illumque primævis Chriſtianis perfamiliarem fuiſſe ſcimus. At Martyrum Natalis ille dicebatur, quo mortem pro Chriſto fortiter obierant.

Mos orationes in funere habendi, atque cantica in defuncti laudem concinendi, ad rerum ab eo præclare geſtarum memoriam poſteritati mandandum Gentilibus, Judæis, & Chriſtianis communis fuit. Solebant autem quotannis renovari, unde ortus eſt mos Acta Martyrum annua mortis die perlegendi.

Inter Ferias autem, & Feſta illud erat diſcrimen, quod Feriis jus reddere, negotiis vacare, vel opus facere non liceret; Feſtis vero diebus plerumque opus non intermittebatur. Chriſtiani Feriæ nomen pleriſque diebus impoſuere: quod dies ſinguli apud Chriſtianos pro Clericis ſint, Feriarum inſtar; licet enim fas eſſet illis honeſtum aliquod opus facere, habebant tamen a Fori negotiis vacationem, atque ab omni ſervitutis, vel curarum, & ſollicitudinum ſæcularium onere.

Sanctorum Feſta celebrandi conſuetudo vetuſtiſſima eſt in Eccleſia; hoc a Domini noſtri feſtis diſcrimine, quod hæc ubique celebrarentur; Sanctorum vero Feſta in Martyrii tantum loco. Diu quoque nulla niſi Martyrum Feſta celebrata fuere, qualia ſunt Apoſtolorum, quod eos omnes Martyrium paſſos arbitrarentur, præcipue S. Petri, & S. Pauli, qui, ut omnium fuit celeberrimi, ita & primi Feſtos dies nomini ſuo ſacros habuerunt.

Feſtorum omnium antiquiſſimum eſt S. Polycarpi Feſtum. Conſtat enim ex Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſeb. l. 4. hiſt. c. 15. Chriſtianos ejus oſſa diligenter collegiſſe, atque velut ſummi pretii theſaurum ſervaſſe, & ſperaſſe ſe ejus Feſtum eo loco, quo condita erant, celebraturos, tum in ejus memoriæ honorem, cum ad Fideles, ut ejus exemplo pro Jeſu Chriſto alacriter pati non vererentur, excitandos. *Quo etiam in loco nobis concedet Deus natalem ipſius Martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare.* Conveniebant autem eo ipſo loco, quo Martyres paſſi fuerant. Conſtitutiones Apoſtolicæ de Apoſtolorum, & S. Stephani Protomartyris Feſtis meminerunt: *In diebus Apoſtolorum votent, item in die Stephani Protomartyris, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum.*

Harum Conſtitutionum auctor Hieroſolymæ fortaſſis ſcribebat, ubi S. Stephanus paſſus eſt. Quotannis dies quædam Martyribus cujuſdam loci, ſive

Digitized by Google

Provinciæ colendis conſecrabatur, quemadmodum colligitur ex S. Cypriano, qui de Carthaginenſibus Martyribus agens, teſtatur, ſingulis annis memoriam duorum Celerini patruorum, qui Martyrium paſſi fuerant, celebratam fuiſſe illa ipſa die, qua Martyrum memoria recoli ſolebat : *Sacrificia pro eis ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Conſtantinus mandavit, ut Martyrum Feſta religioſe ſervarentur. Quare in martyrii dumtaxat locis, atque in Sacellis eorum nomini dicatis, id fiebat, ſingulæque urbes Martyres ſuos venerabantur. Cum vero martyrum reliquiæ diſtribui cœperunt, illorum cultus extra ſuam Provinciam ampliſicatus eſt, atque nonnumquam ad diſſitas uſque Nationes pervenit, ut S. Stephano potiſſimum evenit poſt ejus reliquias inventas, & diſtributas, teſte Auctore ſermon. 77. inter Ambroſianos : *Cunſti Martyres devotiſſime percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ii venerandi ſunt a nobis, quorum Reliquias poſſidemus.* Concilium Moguntinum an. 813. de Martyrum Feſtis agens can. 36. ſtatuit, ea in locis, ubi reliquiæ haberentur, celebranda tantum eſſe : *Et illas Feſtivitates Martyrum, vel Confeſſorum, quorum Sanctæ corpora in unaquaque Parochia requieſcunt.*

Primis Eccleſiæ ſæculis perrarus erat Feſtorum uſus ; at procedente tempore in tantum excrevere, ut plures nimium hunc Feſtorum numerum ſcriptis ſuis improbaverint. S. Bernardus in Epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes adfirmat, haud ita facile eſſe multiplicanda, quod Feſtorum, & lætitiæ perpetua ſucceſſio Beatorum potius ſtatui, quam hujus vitæ propria ſit : *Patriæ hæc, non eritis frequentia gaudiorum, & numeroſitas feſtivitatum cives decet, non exules.* Joannes Gerſon in concilio Provinciali Remenſi an. 1408. Orationem habuit adverſus nimium Feſtorum numerum, quæ cauſſa erat, quod vel non ſervarentur, aut profanis actibus dehonestarentur. Nicolaus de Clemangis Archidiaconus Bajocenſis I. bellum quoque conſcripſit *De novis celebritatibus non inſtituendis*, atque inter cetera ait, tantum hunc Feſtorum numerum Fidelium animos, atque pietatem obtuere, neque per eum Deo vacare, Deoque impleri fas eſſe : licet enim Sanctis honos habeatur, ut Deus in illis colatur, atque Sanctorum cultus ad Dei cultum referatur ; populorum tamen mentes perſæpe e converſo mediis inhærentes, nullam de fine curam gerunt. Atque paulo inferius ; *Habuerunt*, inquit, *Majores noſtri tantam erga Sanctos devotionem, quantam nos habemus ; ſed ſecundum ſcientiam ſuis zelus eorum, qui noluerunt ita Sanctos coli, ut Deus negligeretur, nec juſtum putaverunt, tot Sanctorum in Eccleſia geſta recenſeri, ut non poſſent in ea legi veteris, & novi Teſtamenti ſacra volumina . . . .* Ait igitur Clemangius expedire magis, ut Feſta reſecentur, quam ut nova inſtituantur, quemadmodum majori in pretio ea, quæ rarius occurrunt, quam quæ ſunt obvia, haberi ſolent. Plurimi enim, inquit ipſe, diebus Feſtis Miſſæ non interſunt, vel ejus parti tantum, aut demum ſola Miſſa contenti ſunt, nullus vero Matutino adeſt, pauci Veſperis. Alii rus eunt, alii negotiis vacant, plerique mercatum, & luſum cunt. Divites iis diebus convivia agitant, cum potius conſcientiæ emundandæ ſtudere deberent. Plebeii homines comporationibus, choreis, blaſphemis vocibus, contentionibus, & crapula ſacros dies profanum in modum contaminant, adoleſcentes vero eo tantum confluunt, ut mulieres ſpectent diebus illis magis quam ceteris ornatas. Tandem rem ita claudit : quemadmodum Eccleſia olim vigilias ſuſtulit, quia malis pluribus occaſionem dederant, ita quoque Feſta reſecari poſſent. Adfert in hanc rem exemplum Michaelis Epiſcopi Altiſſiodorenſis, qui plura Feſta ſtatutis ſuis ſynodalibus ſuſtulerat, affirmatque populorum per ea tempora inopiam ſatis gravem eſſe ad Feſtorum tollendorum rationem, quod per ea victum parare non poſſint ; atque præterea quia nova illa Feſta efficiunt, ut numquam fere Officium de Tempore legatur, cum novitii iſti Sancti omnia impleverint, atque ali-

Digitized by Google

aliquando Feſta ipſa Deo ſacra, ſcilicet Dominicam occupaverint; *Quanta ergo Dei injuria eſt, ſua ſibi loca, ſuos dies tollere, pro Sanctii devotione? . . . qua fronte in Eccleſiam triumphantem admitti poſſulent, qui ipſum de militante excludere non erubuerunt.* Concilium Trevirenſe an. 1549. & alia complura de ingenti iſto Feſtorum numero conqueruntur. Concilium Francofordienſe ab anno uſque 794. novitios Sanctos coli, atque invocari vetuit: *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur.*

CAP. XLIV.

De Feſtis Duplicibus, Semiduplicibus, & Simplicibus.

SAnctorum Feſtis in ampliorem numerum excreſcentibus plures rationes eorum Officia peragendi adinventæ fuere. Olim in publicis precibus eorum commemoratio tantum fiebat, quemadmodum ex concilio Laodiceno liquet, quod Quadrageſima eorum feſta peragi vetat, ſed tantum Sabbato, atque Dominica commemorationem fieri: *Sed & Martyrum facere memorias in Sabbatis, & Dominicis.* Hinc loca, ubi illis honos habebatur, *Memoriæ Martyrum* vocabantur. Eorum nomina palam pronunciabantur in Officio publico, præcipue vero in Liturgia, magnuſque illis honos haberi videbatur, quod coram Jeſu chriſto nominatim appellarentur, atque Sacrificium in ipſorum honorem, atque in triumphi ab iis relati memoriam offerretur. Videmus adhuc Natalis die S. Anaſtaſiam, cujus olim Romæ in ejus Eccleſia commemoratio tantum in Miſſa, non vero in Officio fiebat, quæ commemoratio in ſecunda Miſſa in ejus Templo olim celebrari ſolita, adhuc ſupereſt. Poſtea Martyrii Acta perlecta fuere, Panegyricæ orationes in ipſorum laudem habitæ, atque eo tandem ventum eſt, ut Hymni etiam in ipſorum laudem canerentur. Poſtquam vero Eccleſia Officium digeſſit, atque diſtribuit, Officium illis proprium conditum eſt.

Officium hoc ſub exordia idem fuit, quod Romæ Feſtis ſimplicibus recitatur. Nocturnum ſcilicet Officium Feriale totum erat, Patris cujuſdam ſermo aliquis dumtaxat inſerebatur, vel Sancti illius paſſionis hiſtoria; aliæ vero diei Horæ Dominicæ ſimiles erant; Veſperæ nullæ, niſi in vigilia, quæ a Capitulo incipiebant, Pſalmi enim de feria currenti ſemper erant, Veſperæ vero illæ, quas nos ſecundas appellamus, ad ſequentem diem pertinebant. Officium igitur Feſtorum ſimplicium, quale Romæ fit, unicum eſt, quod juxta veterem ritum in breviariis noſtris habeamus. Quare numquam majori gaudio aſſici ſoleo, quam cum per anni curriculum feſta hujuſmodi occurrunt, atque millies conceptis votis exoptavi, ut aliquando potiſſima Feſtorum duplicium, & ſemiduplicium pars in hanc claſſem redigeretur. Atque hoc potiſſimum fere eſt caput, quod Pontifici Breviarium Romanum emendari cupienti proponendum eſſet.

Plures itaque erant Sanctorum colendorum rationes. Erant quidam, quorum commemoratio in Litaniis tantum fiebat, in Calendariis vero deſcripti non erant. Alii peculiare feſtum non habebant, ſed ſtationem tantum unica intra Quadrageſimam die, vel etiam alio anni tempore.

Cum proprium Officium Sanctis aſſignari cœpit, non prætermittebatur tamen diei Officium, ſive Dominica eſſet, ſive Feria, duplexque Officium recitabatur, diei unum, Sancti alterum, atque inde *Officii duplicis* appellatio profecta eſt. At cum id adeo frequens effectum eſſet, ut maximo oneri Clericis eſſet, Feriale Officium prætermiſſum fuit, ſatiſque habitum eſt ejus commemorationem facere in Feſti officio, quemadmodum fit Dominicis, & majoribus Feriis, quibus duplex Miſſa celebratur, Feſti una, Feriæ altera, atque præterea commemoratio fit ad Veſperas, & Laudes.

Duo hæc Officia pluribus Feſtis diebus Romæ fieri ſolebant, Natalis, S. Petri, S. Laurentii, S. Andreæ. Diſcimus enim ex Thomaſio, Papam, atque clerum Ro-

Digitized by Google

Romanum duplex Officium, duplicemque Miſſam celebraſſe.

Serius feſtis per annum diebus Officii duplicis, vel ſemiduplicis appellatio indita eſt. Per longum annorum ſpatium aliquid de feſto Diurno Officio inſerere ſat habuerunt: at poſtea, cum id quorumdam zelo, ſive pietati erga Feſtum ſatis non faceret, officium pro Feſtis iſtis inſtitutum fuit, additumque officio Diurno, atque ita duplex officium recitabatur. Duo hæc officia aliquando adhuc recitari ſolent, ut in Eccleſiis, quæ Sacella, vel Oratoria, aut Sodalitates in cujuſdam Sancti honorem habent. Ipſo Feſti die Veſperæ, atque Miſſa celebrantur, licet in Chori Officio nihil de eo fiat. Id in exequiis, atque obitu Defunctorum ſervatur; tunc enim Veſperæ, Nocturni, Laudes, & Miſſa Defunctorum recitantur, neque tamen officium diei proprium intermittitur. Idem quoque Romæ fit Defunctorum commemorationis die, quod duplex eſt Officium, Officio de octava omnium Sanctorum ſuperadditum; quod etiam per anni curſum toties ſervatur, quoties minus B. Virginis Officium, vel Defunctorum, cum Officio diei proprio recitatur. Pariſiis mos iſte diligenter ſervatur quibuſdam Sanctorum Feſtis, in quorum tutela urbs eſt; Rogationibus præterea, aliiſque ſolemnium ſupplicationum diebus, quibus Clerus Cathedralis ad Eccleſias illas publice procedit, ibique Tertiam, Miſſam, & Sextam canit. In pluribus S. Stephani Eccleſiis Natalis die duplices Veſperæ recitantur, priores de Nativitate, poſteriores de S. Stephano. In Veſperis S. Rochi, vigiliæ die, priores Veſperæ de Aſſumptione, poſteriores de Sancto dicuntur.

Illa igitur Feſta duplicia appellata ſunt, quæ duplicem Miſſam, & duplex Officium habebant: Miſſæ hæ, & Officia in diverſis Eccleſiis ab eodem tamen clero penitus abſolvebantur. Procedente tempore loco duorum iſtorum Officiorum duplices Antiphonæ adhibitæ ſunt, ut duplicis Officii, quod olim recitabatur, commonefacerent, Feſtaque duplicia appellata ſunt, quibus id ſervabatur.

Cum duplicis Officii eadem nocte recitatio obſolevit, alterum pro Feſto ſervatum fuit, alterum in octavam diem rejectum eſt, quod ſcilicet eſt Officium de octava, ut Natalis die primum horum Officiorum ipſo Feſto, alterum Circumciſionis die recitatur. In aliis Eccleſiis horum officiorum alterum vigiliæ die abſolvitur, velut Aſſumptionis Feſto in Eccleſiis, quæ officium proprium de vigilia habent, ut Pariſiis; alterum enim ex duobus illis officiis Vigiliæ tributum fuit. Romæ pro S. Petro duplex officium fiebat, quorum unum ipſo Feſto die adhuc ſervatur, alterum pro Communi Martyrum deſervit.

Aliis Feſtis loco duplicis Officii, pars officii de tempore fiebat, atque alia de Sancto; vel Nocturnus unus de Feſto cum Laudibus; Feſtaque hæc dimidium tantum officii habebant. Duplex enim hoc officium ita diſtributum erat, ut unicum conſtituerent, licet duo propoſita haberet, atque ideo ſemiduplex appellatum fuit. Pauca ſunt hujuſmodi in noſtris Breviariis præter Dominicas intra Natalis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti octavas. Officium hoc partim de Feſto eſt, & partim de Dominica, vel de vigilia Natalis, ſi in diem Dominicam incidant: hinc officia ſemiduplicia partem tantum, vel dimidium officii habebant, ſimplicia vero commemorationem tantum in Diurno Officio, Lectionem ſcilicet, & Collectam, quæ vetuſtiſſima eſt ratio Sanctorum officium recitandi, quæ in veterum Pontificum officiis adhuc ſupereſt, ſunt enim omnia ſimplicia. A Pii V. temporibus vero Hymnus de Communi, & Laudes de Dominica inſertæ fuere, ut ab Officio omnino feriali diſtinguerentur.

Feſta ſemiduplicia olim longe alio loco erant, quam hodie; erant enim Feſta ſecundæ claſſis. Decimo quarto ſæculo Apoſtolorum Feſta ſemiduplicia tantum erant; licet autem hodie ritu duplici celebrentur, ad ſecundam tamen claſſem adhuc pertinent, quibus Dominicæ addictæ ſunt, quæ ſemiduplicia

Digitized by Google

plicis appellationem ſervant. Adventus vero, & Quadrageſimæ Dominicæ ad ſecundam claſſem pertinent, licet officium tantum ſemiduplex ſit. Bonifacius VIII. primus ſtatuit, ut Apoſtolorum officium duplex eſſet.

In Breviario Ms. Dominicanorum Pariſienſium, quod exeunte XIII. vel ineunte XIV. ſæculo exaratum fuit, Apoſtoli ſemiduplex tantum officium habent; idem quoque videre eſt in Breviario Ms. Dionyſiano, Joannis Regis ævo conſcripto. Hinc intelligimus Bonifacii decretum non eodem tractu in aliis Eccleſiis receptum fuiſſe, ita ut pro ſola Romana primum editum fuerit.

Cum officia hæc ſemiduplicia duplicata fuerunt, ut ea ab illis, quæ duplicia appellabantur, diſtingueretur, duplex claſſis Feſtorum duplicium conſtituta eſt, vetuſtaque Feſta, duplicia primæ claſſis dicta fuere, recentiora vero duplicia ſecundæ claſſis, inter quæ numerantur Apoſtolorum Feſta, quę duplicia ſunt ſecundę claſſis.

In Breviario Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Lugduni edito ann. 1551. Apoſtoli, S. Petro excepto, atque ipſe S. Auguſtinus, cujus Regulam ſequuntur, & Decollatio S. Joannis eorum Patroni, ſemiduplici tantum ritu celebrantur, quemadmodum & in Breviario Ms. Dominicanorum Pariſienſium, cujus paulo ſupra meminimus.

Olim Feſta in *Dominicas*, *Feſtivitates*, *Solemnitates*, & *Ferias* dividebantur. Ita Regula S. Benedicti c. 11. 15. & 24. *Diebus Dominicis*, *diebus privatis*, *in Sanctorum Feſtivitatibus*, *vel omnibus Solemnitatibus*. Veteres Patres in Sermonibus ſuis Feſta omnia promiſcue *Feſtivitates*, *Celebritates*, vel *Solemnitates* appellant. Hinc S. Auguſtinus ſerm. 197. novæ Editionis, *ab eo*, *quod ſolet in anno nomen accepit . . . . ſolemne quod ſolet in anno celebrari*. Idem nomen Quadrageſimę tribuit. *Quadrageſimæ ſolemnis . . . . ſolemne tempus*. Judæi Feſta ſua *annualia* vocabant, ut a ſingularum hebdomadarum Sabbato diſtinguerent. Eccleſia quoque in precibus ſuis de quocumque Sancto ait: *Annua ſolemnitate lætificas*. Annuale Feſtum ſignificat, quod ſingulis annis recurrit.

Quod officia attinet Feſtorum, quæ Sanctis dicata ſunt, S. Benedictus c. 14. finit illis aſſignari Pſalmos, Antiphonas, & Lectiones proprias, quemadmodum Domini Noſtri Feſtis fieri ſolet, atque eorum Officium Dominicæ ſimile efficere. *In Sanctorum Feſtivitatibus*, *vel in omnibus Solemnitatibus*, *ſicut diximus*, *die Dominica agendum*, *ita excepto quod Pſalmi*, *vel Antiphonæ*, *aut Lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur*. Diſputant ejus Ordinis ſcriptores, ſiveritne is Veſperarum Pſalmos mutari, quemadmodum in officio Nocturno pati videtur. Ciſtercienſes quotidie ad Veſperas Pſalmos de Feria recitant, quodcumque demum Feſtum incidat, exiſtimantes, id S. Patris Regulis conformius eſſe. Benedictini e contra, & Carthuſiani Pſalmos ad Veſperas mutant.

Micrologus c. 44. duos ævi ſui mores circa Feſta adnotavit. 1. cum Feſta trium tantum Lectionum erant, uti ſunt ea, quæ ſimplicia appellamus, ſemper Pſalmos de Feria recitatos fuiſſe: *In Feſto trium Reſponſoriorum*, *Nocturnum non dimittimus*. 2. Trium Reſponſoriorum officium ſemper ad Miſſam abſolutum fuiſſe, ſive illa poſt Tertiam, ſive poſt Sextam celebraretur: *Juxta Romanam conſuetudinem nullius Sancti trium Reſponſoriorum mentionem facimus poſt Miſſam*, *ſive illa canatur ad Tertiam*, *ſive ad Sextam*. Ad Laudes vero Feſtorum, quæ in Sanctorum honorem inſtituta ſunt, cum Antiphonas proprias habebant, Pſalmos Dominicæ; cum vero Antiphonas proprias non habebant, Pſalmos de Feria recitatos fuiſſe.

Radulphus Tongrenſis Propoſ. 10. conqueritur illorum, qui tres tantum Lectiones, & novem Pſalmos in Sanctorum officio recitant, aitque id nulla ratione, aut neceſſitate niti: *Sed hoc nec ratione*, *nec auctoritate probatur*; addit deinde: *In omnibus diebus trium Lectionum*, *ſive de tempore*, *ſive de Sanctis agitur*, *& per octavas majores*, *& tempore Paſchali*, *ad vigilias noctes ſolvendus eſt Nocturnus duodecim Pſalmorum*

Fe-

Ferialis. Jubet ſcilicet duodecim Pſalmos de Feria, etiam in octavis, cum tres Lectiones tantum habent, recitandos eſſe.

Feſtorum diſcrimen circa octavum ſæculum tantum invectum fuit; cum enim in magnum numerum excreſcerent, in claſſes duas ſolemnium, & ſimplicium diviſa fuere. Theodemarus in Epiſtola ad Theodericum diſtinctionem obſervat, quæ tunc in Regula S. Benedicti fiebat, inter Feſta duodecim, & octo Lectionum; *Præcipuis* enim *Feſtivitatibus* duodecim, minoribus vero octo Lectiones recitabantur: *Feſtivitates Sanctorum, quia juxta morem Eccleſiæ Romanæ plures celimus, in his tantum, quæ præcipua ſunt jejunamus pridie ad veſperam, legimus Lectiones duodecim, genua non flectimus, ab operibus vacamus, reliquis autem Feſtivitatibus, quia multæ ſunt, & qui propriis manibus laboramus, facimus octo Lectiones, dehinc pergimus ad laborem*. Feſtorum vigilia duodecim Lectiones habentium jejunabant Monachi, neque opus faciebant. Inter hęc Feſta Theodemarus numerat Natale, Epiphaniam, ejuſque octavam, Aſcenſionem, s. Joannem, s. Petrum, Feſtum B. Virginis, s. Martinum, s. Andream, s. Benedictum, & s. Scholaſticam; poſtrema hęc duo pro ſolis Monachis erant. Diſcimus ex hoc ſcriptore Romæ Feſtorum numerum jam augeri cœptum fuiſſe; Feſta enim s. Joannis, s. Petri, s. Andreæ, s. Laurentii Romæ inſtituta fuerant. Ad hæc tempora diſtinctio Feſtorum duplicium, & ſemiduplicium, vel duodecim & octo Lectionum, ut loquitur Theodemarus, referenda eſt; antea enim ſolemnioribus exceptis Feſta omnia ritu ſimplici celebrabantur; jejunium quoque Vigiliis majorum Feſtorum ſervabatur.

Ante Durandum Rational. l. 7. c. 1. duplicia, vel ſemiduplicia appellatio Feſtis indita non repetitur; eaque ſic appellata exiſtimat, quod Antiphonæ duplicarentur, ſcilicet, quod ante, & poſt Pſalmos Feſtis iſtis recitarentur. Semiduplicium quoque idem meminit. Ab aliis vero Scriptoribus, & Ordinariis Feſta novem Lectionum vocantur; Micrologus quoque cap. 44. ſimplicia Feſta, trium lectionum Feſta vocat.

Concilium Marciacenſe in Provincia Auſcienſi anno 1326. celebratum can. 41. mandat, *Ut annis ſingulis Feſta B. Apoſtolorum Domini, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum ipſius Sanctæ Matris Eccleſiæ Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi ſub Officio duplici celebrentur*.

Illud etiam diſcrimen inter Feſta duplicia, atque alia erat, quod duo Choriſtæ cappis induti officio adeſſent, ſcilicet ad Pſalmos, ad Reſponſoria, ad Gradualia; vel quod quia bis thus incenſum circumferretur ad Laudes, atque ad *Magnificat*, quemadmodum ſtatuit Guido Epiſcopus Matiſconenſis, cum Aſſumptionis Feſtum duplex efficeret; antea enim *uno tantum, & non duplici thure ad Laudes noſtri utebantur Canonici*; vel tandem a cereorum numero; unde eſt *Feſtivitas*, vel *ſolemnitas candelarum* in Statutis Carthuſianorum, atque alibi.

CAP. XLV.

De Vigiliis atque Octavis.

VIgiliæ a *Vigilia*, ſomni ſcilicet abſtinentia, dictæ ſunt, quemadmodum & jejunium, a cibi abſtinentia. Cum vero Feſtorum Officium in tres Nocturnos divideretur, plus ſolito erat vigilandum; populus etiam ſecundo ſaltem intererat; qua de re erat omnibus vigilandum.

Chriſtiani per plura ſæcula præcipuorum Feſtorum noctibus in Templis vigilabant, ibique officium recitabatur, poſt illud vero Miſſa; velut & hodie in quibuſdam Eccleſiis fit in Patroni Feſto, perduratque ad hanc diem in Natalis Vigilia. Inde vigiliæ hæc abolitæ fuerant, circa undecimum ſcilicet, vel duodecimum ſæculum, quarum loco jejunium ſtatutum fuit die præcipua hæc Feſta præcedente, *Vigilia* proinde appellato, quod eo Miſſa diceretur, quæ antea noctu celebrabatur, Feſtis enim iſtis noctu

atque

Digitized by Google

atque diu Miſſa dicebatur, velut Natali tres abſolvuntur; hæc autem tertia Romanæ Eccleſiæ peculiaris erat propter ſtationem, quæ in Eccleſia Sanctæ Anaſtaſiæ in Urbe erecta fiebat.

Eſt autem animadvertendum, celebritates, quæ poſt ſublatas vigilias inſtitutæ ſunt, atque poſt tres Nocturnos in unicum officium coactos, quod Matutinum vocatum fuit, cum matutino officio *Laudes* appellato jungi cœperunt, nullas Vigilias habere, qualia ſunt Feſta B. Virginis, Aſſumptione excepta, Dedicationis, & Corporis Chriſti. Vigiliis hiſce ita maturatis ſola Miſſa ad Feſtum pertinebat, quæ ratio eſt cur hodie adhuc in ea *aſſiſtamus genua* non dicamus, ut ceteris jejunii diebus, tum quod olim circa tertiam horam pomeridianam ante Nonam celebraretur, quo tempore jejunii finis erat, cum quod Miſſa de die ſequenti eſſet, neque amplius genua eſſent flectenda. Ante Pii V. Pontificis tempora ſola Miſſa vigiliis iſtis dicebatur; addidit vero ille Feriali officio Homiliam in Evangelium, quod ad Miſſam legebatur, & collectam; antea enim univerſum officium de Feria erat.

In Statutis Lanfranci Sect. 8. legimus, ſi vigilia in diem Dominicam incidat, univerſum officium de Dominica futurum, duas vero Miſſas celebrandas, de Dominica primam, alteram de vigilia cum *Alleluja*.

Si vigiliæ dies, qua jejunandum eſt, in ſolemne Feſtum, ut Patroni, incidat, jejunium præmitti poteſt, atque die præcedenti inſtitui, quemadmodum Leo X. ſtatuit; atque ita cum Feſtum Corporis Chriſti in S. Joannis Baptiſtæ Vigiliam incidit, jejunium, & Vigiliæ officium Feria quarta præmittitur; cum vero jejunia hæc, & vigiliæ in diem Dominicam incidunt, utrumque die Sabbati præmittitur. Ita Leo X. epiſt. ad Guillelmum Cantuarienſem an. 1519. *Statuimus, quod Vigilia Nativitatis B. Joannis in Feſto Corporis . . . . propter tanti Feſti ſolemnitatem, Feria quarta jejunari debeat, & jejunanda vigilia ipſa.* Hinc in Eccleſiis S. Quintini, cujus Feſtum in Vigiliam omnium Sanctorum, atque S. Saturnini, quod in vigiliam S. Andreæ incidit, jejunia hæc præmittuntur. Vigiliarum autem ſtarum officium præverti non ſolet, ſed ejus commemoratio ipſo Feſto die facienda eſt, veluti videmus, cum Natalis Vigilia in diem Dominicam incidit, officium non præmitti, ſed Dominicæ officio accommodari.

Cum vigilia in Adventus, vel Quadrageſimæ, aut quatuor Temporum Feriis incidit, ejus officium penitus prætermittitur.

In pluribus Eccleſiis, ut in Pariſienſi, in Vigiliis Aſſumptionis, Eccleſiæ Patroni, & præcipuorum Feſtorum officium de Vigilia recitatur, ut in Natalis Vigilia ubique fieri ſolet. Honorius Auguſtodunenſis affirmat, officium iſtud de Vigilia unum eſſe ex duobus, quæ olim in majoribus celebritatibus recitari ſolebant, atque in prima Feſtivigilia recitatum fuiſſe; unde Vigiliæ officii appellationem retinuit, poſtquam duo officia recitare, atque noctu in majoribus celebritatibus ad vigilandum convenire deſitum eſt: *Unde vigiliarum nomen retinuerunt.* Idem ait Joannes Belethus: *Vigiliæ interdictæ, & dies jejunii dedicati ſunt.*

Poſtquam Feſta inſtituta ſunt, eorum celebritas protracta deinde fuit, atque Octavæ illis adſignatæ, ut Feſtum idem pluribus diebus celebraretur. Octavæ iſtæ a Judæis proficiſcuntur; juſſerat enim Deus, Paſchatis Feſtum per ſeptem dies celebrari. Salomon octiduo Dedicationis Templi celebritatem perducare voluit, quemadmodum & Zorobabel cum Templum reſtitui curavit. Ad horum exemplum Eccleſia Paſchatis Feſtum per hebdomadam durare voluit, præcipue in recens Baptizatorum gratiam; ita & in Dedicationibus Eccleſiarum Tyri & Hieroſolymæ a Conſtantino conſtructarum, celebritas octiduo perduravit, referentibus Euſebio & Sozomeno, quorum poſterior adnotavit, anniverſarium quoque Dedicationis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ quotannis celebratum fuiſſe: *Quotannis initiationes ſacrorum peragantur, & dies ollo conventus fiant.* Hoc igitur pacto Natalis, Epipha-

piphaniæ, Pentecostes, atque Patroni. Festa octavas nacta sunt. Beda de Pentecostes octava tantum meminit. Theodemarus Carolo Magno coævus, Natalis tantum & Epiphaniæ Octavarum mentionem facit. Sanctorum vero Festis nullæ adhuc tributæ erant; octavo enim tantum sæculo præcipuis Festis octavæ adsignari in Occidente cœperunt; earum usum ignorant Græci, atque adeo Latinorum peculiaris est.

Octavæ istæ primum repetitio tantum erant Festi, & officii, die tantummodo octavo: neque enim in Gelasii vel Gregorii Sacramentariis *dies intra octavam* conspiciuntur. Immo Natali ipso octava tantum dies apparet: *In octavas Domini*. Iisdem vero libris additæ postea fuere octavæ S. Petri, & S. Laurentii, quæ octavæ *BB. Petri & Laurentii natalitia repetita appellantur*. Superest ejus rei vestigium in Breviario Romano pro S. Agnete, cujus octava *Sanctæ Agnetis secundo* Officium fit. At postea sex dierum intervallum eodem Festi officio repletum fuit, ut octavæ istæ octo diebus durarent.

Refert Micrologus cap. 40. Romæ octavis omnibus, etiam Domini nostri, excepta Paschatis, & Pentecostes hebdomada Psalmos de Feria ad Matutinum nunquam prætermissos fuisse, licet Invitatorium, Antiphona in Psalmos & Responsoria de Festo essent, quia tres tantum Lectiones in octavis erant. *Juxta Romanum ordinem ferialem nocturnum numquam dimittimus, intra solemnitatum dies, cum tantum tria responsoria dicimus, nisi in hebdomada Paschæ & Pentecostes*. Addit idem Auctor cap. 44. *Juxta Romanam auctoritatem nullorum Sanctorum octavas observare debemus . . . . Eorum quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interjacentes dies agimus, excepta de S. Maria, & de Sancto Petro*. Festis autem B. Virginis, scilicet ejus Assumptione, & S. Petri, qui Urbis Patronus est, non horum officium, sed commemoratio tantum diebus intra octavam fiebat. Postquam vero officia diebus illis inserta fuere, Dominicæ officium intermittebatur *infra octavam*, Radulphi ævo, ipso testante Propos. 10. quod Romæ adhuc servatur, exceptis Dominicis intra octavam Ascensionis, Epiphaniæ, Natalis, & Corporis Christi, quæ Festa sunt Domini nostri, quibus multa de Festo cum Dominicæ officio misceantur. At in octavis aliis Dominicæ officium non intermittitur, quod æquum non sit, diem intra alicujus Sancti octavam Domini Festo & officio præferre.

CAP. XLVI.

De variis ritibus, in variis Ecclesiis circa Divinum Officium servatis.

FRatres ordinis Servorum B. Virginis officium Romanum recitant, Completorio excepto, ubi loco *Benedicat* primum Nocturnum veteris officii B. Virginis absque *Venite*, cum omnes jam adsint, canunt, atque absque Hymno, sed tantum tres Psalmos, atque tres breviores Lectiones e sermone quodam perperam S. Augustino tributo, quarum prima incipit *Admiste* cum duobus Responsoriis, tertia vero *Salve Regina* sine *Te Deum*, postea aqua lustralis conspergitur, atque dormitum eunt, ut media nocte surgant.

In Regula S. Cæsarii statutum est, ut singulis Dominicis ad Matutinum Lectio de Resurrectione legatur: legebantur quatuor resurrectiones secundum quatuor Evangelistas, sicuti quatuor Passiones leguntur.

Anno 1557. editum fuit in Gallia Breviarium S. Dionysii sumptibus Monasterii, ubi S. Mauri Festum non rubris, sed nigris notis signatum est, atque semiduplex tantum est, neque enim tunc S. Maurum, qui in Gallia colitur, ut aequum in Diœcesi Parisiensi, pro S. Benedicti discipulo habebant. S. Placidus vero nusquam comparet, cum neque ad S. Benedicti Ordinem, neque ad Parisiensem Diœcesim pertineat.

In Regula Grandimontensi cap. 18. statutum est, ut officium fiat, ori a S. Gre-

Gregorio distributum est.

In veteri Vesontionensi ordinario legitur, Natalis Vigilia Missam tertia hora pomeridiana esse celebrandam, vespere ad Completorii finem Psalterium alta voce in Choro esse recitandum, atque post *Omnis spiritus laudet Dominum*, dicendum *Domine labia* ad Matutinum: mediæ noctis Missam in Sacello B. Virginis esse celebrandam, Missam Auroræ vero in Baptisterio, ad Tertiæ finem Processionem esse faciendam cum septem Cereoferariis, duobus Thuriferariis, septem Subdiaconis Libros gestantibus, septem Diaconis Dalmatica indutis, post hos vero Archiepiscopum *Pallio* indutum cum septem Presbyteris secuturum, quorum duo manus ejus tenebunt, quinque reliqui vero ordine subsequentur, post quos duo Suburbiorum Parochi procedent. Postquam autem Processio in Chorum redierit, hastæ cuidam impositæ stuppa accendetur, atque interea Archidiaconus ad Archiepiscopum conversus dicet: *Reverende Pater fac transire mundum, & concupiscentia ejus.* Archiepiscopus vero respondebit: *Domine expelle a nobis spiritum superbiæ, cui tu adversaris.* Respondebunt *Amen.* Constat ex ordinario isto post Cœnam ad Collationem ire solitos fuisse, atque inde ad Completorium; S. Stephani Festo omnia per Diaconos gesta fuisse; Epiphaniæ Vigilia jejunium servatum; Septuagesimæ nigrum ornatum adhibitum; Cinerum die nudis pedibus Processionem factam; singulis Quadragesimæ Feriis se prosternere solitos ad *Gloria Patri* cujusque *Deus in adjutorium.* Post Primam quindecim Psalmi Graduales recitabantur, inde Litaniæ cum prostratione, atque postea Defunctorum Missa, ad quam omnes panem & vinum offerebant. Ad Capitulum demum ibant, ubi Sermo habebatur. Tertia in choro canebatur, post eam Missa de B. Virgine, Sexta, atque inde Processio, si Feria sexta esset, quæ nudis pedibus fiebat, Psalteriumque in itione cantabant, in reditu vero Litaniæ. Postea similaris Missa, Nona, Missa de jejunio, Vesperæ diei propriæ Vesperæ Defunctorum, cœna in Refectorio, gratiarum actio in Ecclesia, Vigiliæ Defunctorum, deambulatio in Claustro, Lectio vel Collatio in Capitulo, exhortatio, reditus in Refectorium ad sobrium potum, atque tunc dicebatur *Sobrii estote*, Completorium, somnus. Feria IV. majoris hebdomadæ solemnes preces recitabantur, atque ad illa verba *Scissum est medium*, sipharium demitebatur; Parasceves die, & Sabbato Sancto generalis Synaxis habebatur. Præcipuis majoris Ecclesiæ S. Joannis celebritatibus Canonici S. Stephani illuc ibant ad primum Nocturnum recitandum, reliquæ urbis Ecclesiæ ad secundum recitandum simul conveniebant; S. Joannis Canonici vero tertium absolvebant: Pro Vigilia Pentecostes *Exultet* habetur.

In vita S. Benedicti Anianensis legimus, eum nonnulla in Regula S. Benedicti immutasse, ut locis se accommodaret. Statuit itaque, ut Monachi, postquam evigilassent, aquam benedictam sumerent, & altaria omnia percurrerent. Ad sedes quisque suas seorsim singuli redirent, atque Celebrantem expectantes, quinque Psalmos pro viventibus, & quinque pro Defunctis submisse recitarent, post alios vero quinque, qui Officio præerat, initium faceret. Is autem postquam inclinato corpore orasset, surgens initium daret; post Psalmodiam vero corpore humi stratо omnes orarent, Diurnum Officium Romano ritu fieret, post completorium decem Psalmos astare canerent, quinque hyeme; ter quotidie Sacella obirent ante Matutinum, ante Missam, & post Completorium; ad altarium vero primum Orationem Dominicam, & Symbolum recitarent, ad alia vero singula Orationem Dominicam, & *Confiteor*.

In Regula Fontis Ebraldi statutum est Palmarum Dominica Palmas post Auroræ Missam benedicendas, atque postquam Presbyter Evangelium *Cum appropinquasset*, recitasset, Religiosas solas sine Presbyteris, & Clero Processionem, & adorationem Crucis per claustrum facere oportere; Parasceve autem Presbyteros cum Clero *Populi meus*, atque *Agios* canere, ipsas vero non respondere debere.

Lauduni, in Missa Presbyter benedictionem largitur post *ite Missa est* dicens *Admonitorium &c. Benedicat vos Divina majestas, & una Deitas Pater &c.* postea se ad Altare inclinans, inquit, *placeat*, Altare osculatur, Casulam exuit, atque *Dominus vobiscum*, & *Initium Sancti Evangelii*.

In majorum celebritatum Processionibus septem Subdiaconi, & septem Diaconi adsunt.

In Rogationum Litaniis dicitur præcipue *Miserere*, *Miserere*, *Miserere Domine populo tuo quem redemisti* . . . . . *Agnus* . . . . *Suscipe orationem nostram, exaudi de Sancto voces nostras* . . . . . *Sancte Domine Deus miserere nobis*.

In Vigilia Epiphaniæ ad Primam cerei accenduntur, atque singulis Hymni strophis populus ait, *Dei solemnia recolat Ecclesia*, viridesque corollæ omnibus distribuuntur.

Cum *Deus in adjutorium* canitur, Chorum numquam subeunt.

Solemnis Episcopi benedictio post Evangelium datur.

Majoribus Festis Episcopus ad Vesperas altari thus adhibet, duoque Archidiaconi ejus pluviale tenent. Hebdomadarius, atque Sub-Hebdomadarius cum duo Altaris latera thure lustrant, incensum circumferunt; inde Episcopus ad sedem suam redit, atque thure colitur.

In Missa cum Episcopus ad Altare ingreditur, eum Diaconus & Subdiaconus osculantur; post Orationes canitur, *Christus vincit*; ad Evangelium benedictionem Diacono largitur.

Ad Primam Episcopus, sive Decanus, non Hebdomadarius Confessionem facit.

Ad Missam loco *Introibo* celebrans ait *In nomine* . . . . . *Dignare Domine die isto* . . . . *Confitemini Domino* . . . postea *Confiteor*: idque etiam Mediolani fit.

Qui cappam majoribus Festis induunt, baculos quoque gerunt, ut Chori Cantores.

Festis primæ Classis Invitatorium ter repetitur.

Cum Evangeliorum liber circumfertur, corpus, quemadmodum Crucifixo fit, inclinatur.

Post Evangelium e sacrario Hostiæ in patina quadam, Calix, & vini poculum afferuntur, eoque deinde cum pompa referuntur.

Post Natalis Laudes usque ad Vesperas Circumcisionis rubris vestibus utuntur, S. Joannis Festo excepto, quo albas adhibent; virides vero a Pentecoste usque ad Adventum.

Cinerum Sacra in alia Ecclesia, ut Parisiis in S. Christophori templo, peraguntur.

In Cœna Domini Episcopus benedictionem largiturus ad Capitulum it ea de caussa congregatum, deinde *ad omnem* venit, iisdemque precibus populo benedicit.

Canonicorum omnium non pedes, sed manus lavantur in Capitulo.

Sabbato Sancto duæ Hostiæ consecrantur, quarum altera in Calice quodam ponitur, qui in locum, ubi sepulcrum multis luminibus ardentibus extructum est, defertur. Paschatis die Processio fit ad dictum sepulcrum; ubi clerici quidam latentes dicunt, *quem quæritis*, Diaconi vero respondent *Jesum Nazarenum*. Clericus ait, *non est hic*, atque illico Cantores dicunt *Surrexit Dominus vere*, postea *Victimæ*, Sacramentum adorant, sub umbella ad altare rursum ferunt, Matutino initium fit. Interim Decanus Missam privatam recitat, ut Sacram Hostiam consumet.

Paschatis Festo chorus universus magna pompa Episcopi ædes adiens, eum ad Vesperas evocat: post Vesperas diei proprias olim baptizatum ibant, nunc ad fontem cum pompa eunt canentes, *Laudate*, & *In exitu*.

Credo neque in Festis Doctorum, neque S. Mariæ Magdalenæ, neque Angelorum recitatur, secus in S. Joannis Baptistæ Festo, quod ejus in eo mentio fiat, *qui locutus est per Prophetas*.

Cum ad Oblationem ventum est, celebrans offerenti ait: *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis*.

Ad *Orate Fratres*, ait *orate pro me fratres, & sorores*, respondent vero, *Sit Deus in corde tuo, & in ore tuo, ut suscipiat sacrificium de manibus tuis pro nostra, omniumque salute*.

Olim

Olim cum Hostiam elevabant, signum Crucis in aere ter faciebant, in SS. Trinitatis honorem.

Ad pacem dicitur: *Hæc Sacrosanctæ commixtio Corporis, & Sanguinis sit sumentibus salus mentis, & corporis, & ad vitam æternam capessendam præparatio salutaris. Amen.*

Suessione, Canonici, & Capellani, qui sunt *in Minoribus*, rasas cervices habent, atque stantes canunt cum pueris Clericorum veste indutis, & junioribus Clericis.

Ad Missam Presbyter, cum Altare conscendit, se convertit ad *Dominus vobiscum*, quod post *Introibo* dicitur. Post elevationem usque ad *Pater* omnes genua flectunt, & caput nudant.

In S. Gervasii Cathedralis Patroni festo juniores clerici manu una palmam ferunt, altera cereum.

Nulli ibi sunt Beneficiati, sed Canonici soli Officium universum absolvunt.

Paschatis die sepulcrum in Sacello quodam paratur, super cujus Altare Sacramentum statuitur. Illuc Episcopus, & Clerus eunt; Crux, faces, & thus feruntur. Postquam vero antiphona de Resurrectione decantata est, cantor solemni veste indutus, tres Vicarios candidas togas habentes, atque in ejus Sacelli aditu stantes interrogat: *Dic nobis &c.* primus respondet *sepulchrum*, alter *Angelicos testes*, tertius *Scimus*; tunc cantor se ad chorum convertens, ait: *Credendum est magis soli Mariæ veraci, quam Judæorum turbæ fallaci*. Postquam vero Sacelli janua aperta est, Episcopus illud subit, Sacramentum sumit, duobus Canonicis albis indutis latus stipantibus, *Te Deum* canit, ad dictum Altare defert, illud adorat, pixidis, sive calicis basim osculatur, inde discedit, atque cum eo duo Canonici, qui simul adstiterant. Idem fere fit Bellovaci, & Lauduni.

Quemadmodum olim populus in Festis præcipuis Cathedralis officio adesse debebat; Parochi Cardinales appellari Episcopum in solemnioribus Missis comitabantur, Sacerdotalibus vestibus induti. Idem Suessione fit. Eorum sedes in Sanctuario est circa Episcopum.

Canonici, licet seorsim viventes, dia consuerunt ad commune Refectorium certis diebus ire, ut ibi panem, vinum, & placentas absumerent, a Parochis appositas, postquam Vesperas Patroni Parochiæ absolverant, seu ut ibi crustulas mellitas una comederent, quo vitæ in commune actæ memorium renovarent.

Immo etiam post abolitum morem istum, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus hebdomadarii in clericorum cubiculum secedere debebant, atque hebdomadam illam simul degere.

Matutinum media nocte dicebatur, extatque transactio an. 1245. inter Capitulum S. Gervasii, atque Abbatem S. Joannis inita, quem in S. Gervasii templo noctu per hebdomadam suam adesse volebant.

Præpositus præcipua est dignitas, qui Episcopum, ut Dominum venerari, atque illi fidelitatis jusjurandum præstare debet, læva modicum sublata, ut significet, dexteram se ad Capituli jura defendenda servare.

Juxta vetus ordinarium Canonici nudis pedibus Rogationum Processiones obibant, atque cum illis Religiosi S. Joannis. Quatuor Cardinales Sanctorum corpora ferebant, Presbyter vero hebdomadarius thecam e collo suspensam gerebat, ubi B. Virginis reliquiæ inclusæ erant.

Religiosi S. Joannis venam omnes simul sibi bis, vel ter per annum aperire debebant, sive ad tuendam valetudinem, sive ad naturæ vires frangendas. Episcopi illuc veniebant, atque sibi pariter sanguinem educi curabant, qui mos an. 1380. adhuc vigebat, vigetque adhuc apud Carthusianos, apud quos *minutio* appellatur.

Anno 1621. Presbyteri Cardinales Preces Episcopo Suessionensi obtulerunt, orabantque, ut sibi aliqua saltem Missæ parte, cum in Cathedrali aderant, sedere liceret. Episcopus sedilia afferri jussit: at contra Canonici restiterunt, unde magnæ turbæ exortæ sunt.

Dum *Gloria in excelsis*, sive Oratio canitur, Diaconus solus ad abacum it, vinum aquæ in calice miscet, benedi-

ctio-

Digitized by Google

ctionem facit, atque ad Altare revertitur cum Purificatorio, quod ſuper Altare cum corporali ponit. Celebrante vero Offertorium recitante Diaconus calicem ſumptum it, pueris cum cereis, & thure præcedentibus, velum manu tenet, ut baſim calicis teneat, quem cum pompa geſtat, atque in altum tollit pueris cum incenſo thure uſque ad Altare præeuntibus.

Cabillone ad Ararim Epiſcopo aſſertum fuit vetus jus Cathedram ad Altaris ſcabellum ſtatuendi, cum Pontificali ritu Officium peragit, atque ter benedictionem impertiendi, vetitumque fuit Decreto Senatus Divionenſis an. 1654. ne Decanus, aliive eadem jura uſurparent. Alio vero Divionenſi Decreto an. 1655. Decani, & Canonici genua flectere debent, cum Epiſcopus benedictionem largitur.

Cantor jure ſuo Rectores, & Scholarum magiſtros per urbem, atque Diœceſim inſtituere poteſt.

S. Vincentii Feſto die ſex Urbis, & ſuburbiorum Parochi ſolemni Miſſæ veſtibus Sacerdotalibus induti adeſſe debent, veluti miſſam celebraturi, cum Miniſtris in majoris Altaris tabulato poſt peractam proceſſionem, cui primo adſunt Canonici cappis induti, & parœciæ miniſtri. 2. Parochi, de quibus paulo ante meminimus. 3. duo Subdiaconi, Canonicus cum parœciæ miniſtro, poſtea Diaconi, atque demum celebrans, ſive Epiſcopus, ſive Decanus.

Antiphonæ O O in Refectorio canebantur, quo Epiſcopus, & Capitulum cum pompa accedebant, atque inde collatio offerebatur; cum vero aliquando abuſus nonnulli irrepſiſſent, id ſublatum fuit an. 1624. Abolita quoque fuit Mariæ cæremonia, quæ inter Matutinum, & Laudes Paſchatis fiebat. Erat autem fere hujuſmodi. Duo Canonici Mariæ repræſentantes, atque violaceis cappis induti in chori lateribus ambulabant, & Reſponſoria hujus cæremoniæ propria canebant, quibus duo juniores clerici reſpondebant, altiori loco ſuper majus Altare conſtituti, atque angelorum habitu ornati, inde *Te Deum* canebatur. Cæremonia hæc, quod populi curioſitatem, atque riſus excitaret, ſublata fuit.

Capitulum Cabillonenſe an. 1350. ſæculare effectum eſt; anno enim 1231. Canonici Regulares erant. canonici in univerſum viginti quinque ſunt, Diaconus, Cantor, Apocriſiarius, quatuor Archidiaconi, Succentores duo, tres Præbendati, quinquaginta parœciæ Miniſtri, octo juniores clerici.

Decanus a capitulo eligitur.

Cantor ſedem ſuam prope Epiſcopi latus habet, ſpatiumque aliquod vacuum relinquit, cum Epiſcopus adeſt.

Epiſcopus Cabillonenſis canonicus non eſt, immo neque eſſe poteſt, neque ſedem in choro niſi pretio conductam habet. Quatuor enim modios tritici menſuræ Cabillonenſis capitulo annis ſingulis pendit pro ſede, quæ illi conceditur. Quod ab Andrea Payeto Epiſcopo anno 1454. approbatum fuit.

Ad Primam *Quicumque* in cathedrali nudo capite canitur.

Carnuti, Eccleſia a Fulberto reſtituta fuit anno 1020. Eadem ſæpius incendio conſumpta, atque denuo reſtaurata fuit.

Anno 1510. Anna Britannica cantorem ſecum Carnuto abduxit, atque ad capitulum: Vos parvam vocem mihi dediſtis, ego majorem vobis reddam, campanam ſcilicet, quæ Anna, ſive Beneficiorum appellatur, quia cantor ille, quem ſecum duxerat, Faber appellatus, cui canonicatum carnuti poſtea dedit, ter mille libras capitulo dono dedit, ut campana illa poſt Paſcha uſque ad Feſtum Trinitatis pulſaretur a ſexta pomeridiana uſque ad ſeptimam. Poſtea canonicus alius Girardottus nomine quatuor mille libras dono dedit, ut a Feria ſecunda poſt Trinitatem uſque ad S. Remigii Feſtum pulſaretur, ut populus Deum pro terræ frugibus oraret.

Canonici Matutinum media nocte recitant: at Everardo Sub-Decano, cum ad Matutinum iret, occiſo, ea lege a Summo Pontifice ſoluti fuere.

Cum Epiſcopus *Pax vobis* ait, vel officium peragens *Dominus vobiſcum*, chorus nihil reſpondet; verum duo pueri, qui

Digitized by Google

qui candelabra ferunt, tacita voce reſpondent; quod itidem cum Papa ſacrum facit, fieri ſolet.

In cœna Domini Diaconus in cathedrali Sacramento benedictionem largitur choro, atque etiam populo, antequam illud arcæ ad Evangelii latus recondat, ubi Hoſtia in diem ſequentem ſervatur.

Juxta veterem morem Epiſcopus, & canonici carnutenſes in cathedrali ſepeliri non poſſunt, ſed in S. Aniani Eccleſia.

Laſcurræ, Epiſcopo Presbyteri ſinguli Synodi tempore quidpiam tribuere debent in fumtus, & onera Diœceſeos. Olim vervecem, pullum, atque ad prandium neceſſaria afferre debebant.

capitulum ſæculare effectum eſt anno 1537.

canonici juxta Statutorum tenorem in choro cum cantoribus, & Beneficiatis cantare debent, idque ſe ſervaturos, cum poſſeſſionem adipiſcuntur, jurejurando pollicentur.

canonici chorum bini ſubeunt, atque inde exeunt.

Ad Symbolum *Quicumque* caput nudatur, cum dicitur: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem* &c. atque præterea cum dicitur *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Cum Epiſcopus Sacrum facit, Senior canonicus Presbyteri aſſiſtentis munere fungitur; Hebdomadarius vero, aliuſque canonicus Diaconi, atque Subdiaconi. Cives campanas cathedralis ære ſuo fundi curare debent, cum eas frangi accidit; hinc in funere præcipuorum civium pulſari ſolent.

Aurelie, poſtquam Pœnitentiarius Feria quarta Majoris Hebdomadæ in cathedrali concionatus eſt, cineres benedicit, capitique illorum, qui ſe ſiſtunt, imponit. Ita & in cœna Domini poſt concionem ſacellum ſuum adit, quo Pœnitentes pannis lineis, aliuſque contecti conveniunt; viri autem palliis ſuis faciem tegunt. Poſtquam Pœnitentiarius preces aliquot ſuper eos fudit, univerſi Proceſſionem inſtituunt, genibus flexis circa chorum perreptantes, quos ſub-Pœnitentiarius præit, ſubſequiturque Pœnitentiarius, ambo ſtolam geſtantes. Poſtquam ad Sacellum reverſi ſunt, omnes ſe ad Pœnitentiarii pedes provolvunt, eoſque ordine oſculantur. Pœnitentiarius aqua benedicta eos loſtrat, inde diſcedunt. Aliquando quadraginta ſunt, vel quinquaginta.

Aurelie, SS. Sacramentum exponitur, atque per vices Proceſſio fit in ſingulis Eccleſiis. Ad S. Petri prima menſis Dominica; altera in Eccleſia S. Paterni: tertia in Eccleſia S. Donatiani; quarta, & quinta, ſi adſit, in Eccleſia S. Pauli. Anno 1344. Canonici cum animadvertiſſent a longo tempore neminem onus ſuſcipere voluiſſe canonicorum animas dirigendi, neque domeſticorum ipſorum confeſſiones audiendi, ſtatuerunt, ut impoſterum Pœnitentiarius canonicorum Parochus eſſet, eique viciſſim S. Petri Parochiam extra muros adſignarunt, ubi Vicarium perpetuum conſtituit, quod a Joanne de Conflans Epiſcopo Aurelianenſi an. 1344. atque a Papa Clemente VI. an. 1346. confirmatum fuit.

Rothomagi, Turris, ubi campana eſt, Georgius Ambaſienſis appellata, *Turris Butyri* dicitur, quod a Fidelibus conſtructa ſit, illiſque ob id venia butyrum Quadrageſima comedendi conceſſa ſit, quod antea vetitum erat.

Olim Aſcenſionis die ſupra majorem Eccleſiæ januam canebant *Viri Galilæi*, atque inde populo Jubilæi tempore benedictionem largiuntur.

Quotidie thure luſtrantur in choro monumenta, quibus Carolus V. Galliæ, atque Henricus III. & Richardus I. Angliæ Reges conditi ſunt.

Palmarum die fit Proceſſio corporis J. Chriſti. circa tertiam matutinam Presbyter e ciborio Sacram Hoſtiam ſumit, quam in alio ſtatuit, portatque reverenter ad januam circa dextrum chori latus, collocatque in geſtatili quodam Tabernaculo ſuper menſa vitris junctis concluſo, ut ſpectari, & adorari poſſit. Hora ſexta poſt Laudes duo Presbyteri humeris illud ſub umbella geſtant, atque ita ad Templum S. Gothardi defertur, quod olim extra Urbem erat, ſine Cruce, & ſine clero, plu-

Digitized by Google

pluribus facibus, & cereis comitantibus, atque universo populo sequente. Ibi Missa de SS. Sacramento recitatur, perstatque usque ad decimam, atque a Populo adoratur. Hora Nona canonici post Palmarum benedictionem illuc cum Palmis eunt, concio habetur, postea Sacramentum ad Ecclesiæ fores exponitur, atque clero, & populo præcedente, & canente *Hosanna* ad Cathedralem rursum defertur.

Mediolani Canonicorum jusjurandum hujusmodi est: Signius l.b. *de ordine Canonicorum. Ego frater N. promitto stabilitatem in hoc loco in honorem Sanctæ Theclæ martyris constructo, & profiteor Clericatum, atque Sanctitatem, & communiter vivendi societatem juxta meum posse, secundum Regulam, & institutiones B. Augustini, & cæterorum Patrum. Promitto etiam obedientiam Domino Episcopo, cæterisque fratribus in hoc loco constitutis.*

Canonici supra lineam tunicam semper plicatam cappam e levis texturæ panno rubro gestant, rubra tela serica simul cum cucullo integre subsutam. Lectores talarem tunicam fulvi coloris habent, superpelliceum, & almutiam; Minores chori Ministri tunicæ lineæ loco superpelliceum habent, supra illud vero cappam cum cucullo e leviori texturæ panno nigro circa extremam oram viridi tela serica subsutam.

Adventus sex hebdomadas habet, incipitque Dominica post S. Martinum. Sexta Dominica celebratur Incarnatio Domini, & vigesima quinta Jesu Christi Natale.

Hostiæ ab Ecclesiasticis fiunt cum precibus, & celebritate.

Canonici Mediolanenses, & Calaguritani Cardinalis titulum a tempore hominum memoriam superante possident, eaque de caussa rubram togam gestant.

Quatuor mulieres albis nigrisque vestibus Religiosarum more induræ quotidie ad Chori Cathedralis januam accedunt, atque ante Missæ offertorium Ecclesiasticis panem, & vinum conficienda offerunt, & ad hanc diem Diaconissæ appellantur.

Romæ ovis, & lacte jejunii diebus numquam vescuntur.

Ad S. Agnetem area, quæ vulgo *Navona* dicitur, cavea circi agonalis, quo s. Agnes violanda ducta fuit, appellatur *in fornicibus circi agonalis*, unde fornicationis nomen effluxit.

In Ecclesia S. Petri magna fit celebritas 22. Februarii ob Cathedram S. Petri Antiochiæ, nulla ob Romanam.

Sabbatho post Septuagesimam larvati incedere incipiunt, idque horis pomeridianis tantum. Dominicis vero, & Feriæ sextæ diebus larvarum usus omninovetitus est. His insaniis perdurantibus in Capitolio Campanæ omnes tinniunt, atque singulis his lætitiæ diebus sub vesperum ludicrum equorum certamen in via Cursoria exhibetur.

In nonnullis Ecclesiis preces Bacchanalium fiunt. Aliquot Religiosorum Collegia per vices supplicationem instituunt, illaque peracta Religiosus quidam Cathedram ascendit, atque contra Bacchanaliorum insanias declamat, ceteri flexis genibus illum audiunt; absoluta vero qualibet Concione symphonia habetur.

Canonici s. Petri, atque aliarum præcipuarum urbis Ecclesiarum Paschatis tempore almutiam neque in capite, neque in brachiis gestant, sed cappam cucullatam ad instar Cardinalium deferunt.

Romæ S. Martini Festum, fere ut a Galliæ populis s. Rochi, celebratur.

Epiphania ea die instituta fuit, qua Romæ tres Augusti triumphi celebrabantur; ea vero dies maxime celebris apud Paganos erat. Ad hujus memoriam abolendam Regum Festum institutum fuit, atque Antiphona *Tribus Miraculis* decantata, ut trium Augusti triumphorum memoria per tria Jesu Christi miracula extingueretur.

Romæ Presbyteri sæpe in Ecclesiis pileum, & superpelliceum gestant, atque ita per vias incedunt.

Quatuor Adventus Dominicis quatuor Mendicantium Ordines conciones coram Papam habent, Dominicani scilicet, Franciscani, Augustiniani, & Carmelitæ. Concionator ad Pontificis pedes

pedes adducitur, accipitque ab eo benedictionem. Idem fit quatuor prioribus Quadragesimæ Dominicis; quinta vero Prælatus quidam, vel Jesuita concionatur. Sexta nulla concio habetur.

In Ecclesia S. Joannis Lateranensis post Officium non dicitur collecta, sed tantum Oratio Dominica. Durand. l. 4. c. 3.

Florentiæ, Cathedralis Ecclesia S. Mariæ de Flore appellata s. Reparato dicata est. Præter Canonicos, & sexaginta Capellanos, centum & viginti juniores Clerici extant, qui toti officio, atq; adeo minoribus etiam horis, adsunt. Matutino certus tantum numerus pro Festorum ratione adesse solet.

Matutinum noctu semper incipiunt, verum id singulis hebdomadis mutatur. Longioribus æstatis diebus sub noctis medium, Majo hora secunda, atque recedente Sole retro quoque trahitur Matutini tempus, ut brevissimis hyemis diebus hora quinta incipiat, atque Laudes sub lucis exortum. Sol oritur Primæ tempore, quam una cum Laudibus recitant. Post trium horarum intervallum Tertia solemniter semper cantant, duobus Choristis cappa indutis semiduplicibus, & majoribus diebus baculos gestantibus. Inde Missa celebratur, atque post eam Sexta, & Nona recitantur tantum, non canuntur, quod extra horas proprias absolvantur. Vesperæ hora quarta peraguntur, atque inde Completorium. Horum cappa semper violacea est, serico rasili rubri coloris subsuta.

Rotomagi anno 1324. statutum fuit, ut Matutinum non amplius media nocte recitaretur, cui rei occasionem dedit Canonicus quidam, qui, dum ad Matutinum iret, occisus fuerat. Huic simile statutum Carnuti tempore Fulberti conditum est.

Remiremonti Canonicis Vesperas Defunctorum singulis Adventus Dominicis recitant, post Vesperas diei proprias.

Singulis Quadragesimæ tertiis Feriis post Completorium Psalmos Graduales flexis genibus absolvunt.

Hyeme prunas ardentes in Choro habent.

Singulis Dominicis Canonicissa quædam per vices Communionem pro Communitate peragit, & peculiarem locum occupat, atque omnium prima ad oblationem accedit.

Ubi quædam Processiones fiunt, veluti Rogationes, ipsæ Presbyteros Ecclesiæ suæ usque ad certum locum ducunt, eisque in reditu certo quoppiam loco obviam eunt.

Ter tantum generalem Communionem peragunt, Paschatis, Pentecostes, & Natalis tempore. S. Stephani Festis diebus juniores primæ ad oblationem pergunt, Abbatissa vero postremo loco.

Paraseeves die nudis pedibus ad Crucem adorandam eunt, atque Abbatissa omnium prima.

Paschatis festo Officium incipiunt per aquæ benedictæ lustrationem, atque inde fit processio in Cœmeterio.

Per Ascensionis octavam Nona sub meridiem seorsim ab officio dicitur.

Ad Corporis Christi Processionem simul cum Presbyteris eunt, simul cum illis canunt. Dominicis diebus Parochus Processionem SS. Sacramenti peragit, cui Virgines omnes adsunt, Abbatissa vero sola, atque omnium prima procedit.

S. Joannis Baptistæ, & s. Petri Vigiliis post Completorium ignis accenditur.

Panis benedicti loco Hostiæ sunt.

Abbatissa, & Decanissa solæ Lectiones sede sua non relicta recitant; reliquæ e pulpito prælegunt.

Post *Gloria Patri* adorationem faciunt.

Cum Religiosa quædam moritur, Campanæ per mensem mane, & vespere quarta horæ parte pulsantur, pro Dignitatibus vero per dies quadraginta. Interim Cives luctuosis vestibus uti debent, neque ullum publicæ lætitiæ signum edere.

Religiosæ omnes in Cœmeterio conduntur, atque ibi singulæ, post sedem obtentam, locum sibi designant, ad quem certis diebus ad Defunctorum Officium recitandum accedunt.

Remis Celebrans *Introibo* in Sacrario recitat ad Crucifixum converſus, inde ad Altare pergit, illud vero non aſcendit niſi ad Offertorium, atque interea in exedra contra populum ſedet, atque ſudariolum e minimo ſiniſtræ digito appenſum gerit.

Ante Altare novem ingentia candelabra ſtatuuntur conorum ludi inſtar, per quæ Miniſtri, & Celebrans tranſeunt.

Ad thus Dignitatibus in Miſſa offerendum cathedram conſcendunt; Altare thure luſtrato in altioribus cathedris thus incendere pergunt, tergo ad Altare converſo.

Cum Archiepiſcopus ſolemne ſacrum peragit, ad Miſſæ finem quatuor, aut ſex Canonici cappis induti genibus flexis in ultimo Altaris gradu conſiſtunt, atque ibi Gregoriano ritu canunt, *Ad multos annos* coram Archiepiſcopo, qui eos ad prandium vocat.

Canonici rochetum geſtant more Epiſcoporum.

Qui cappas geſtant, cathedras aſcendunt ad Antiphonas denunciandas; præter duodecim juniores Clericos ſunt & duodecim minores Hebdomadarii, qui Canonicos præcedunt, eorumque ſyrma tenent, cum hyemali veſte ſunt induti.

Clerici minora Officia habentes *Cultores* appellantur.

Senone thuris luſtratio habetur ad ſecundum Reſponſorium cujuſque Nocturni, atque ad *Benedictus*. Ad Reſponſoria thurificant juniores Clerici in cathedris, ad *Benedictus* Acolythi cappis induti, qui ſtant ad ſubſellia juniorum ad Altaris latus abſque Alnutia, & ſine pileo. Sunt autem omnino octo.

Duo illi, qui genibus flexis thus adolere debent in ultimo Altari gradu, ſemel in medio, atque itidem ad dexteram, & ſiniſtram incenſum agitant. Mox adſurgunt, Altare oſculantur, cujus mappam Acolythi cappa induti elevant Feſtis majoribus ad Laudes, & ad Veſperas. Inde retro ad Reliquias eunt, quarum Altare quoque oſculantur. Archiepiſcoporum tumulus etiam incenſant, atque ſemel erga ſingulos thus agitant; ubi vero duo eodem loculo conditi ſunt, bis agitant.

Choriſtis thus non offertur niſi a junioribus, vel Acolythis poſt incenſum iis oblatum, qui priores obtulerant.

Nulla ſunt in Choro ſubſellia, atque Cantor Epiſtolæ tempore cathedram e ſuperiori loco conſcendit e regione Aquilonari.

Nulla ſunt organa, neque Muſicæ artes.

Judica, & *Confitebor* in Sacrario dicitur; Celebrans longam proſtrationem coram Altari facit, atque illud aſcendit dicens *Aufer*.

Quotidie ad Primam *Quicumque* dicitur.

Olim baculus cantoralis ebeno tantum, vel ebore candido, vel nigro conſtabat, neque communi baculo altior erat.

Canonici Diaconi cum Canonicis Presbyteris promiſcue juxta eorum receptionem incedunt propter S. Stephanum Patronum. Ad *Gloria in Excelſis* Presbyter, atque comites ejus, genua flectunt ad illa verba *Adoramus*, atque ad *Suſcipe*.

In majoribus funeribus Calices ad oblationem ferunt cum vino, & pane azymo ſuper patina.

Aliquando ſex ſunt cappa induti, tres ſcilicet ex utroque latere, qui ſeorſim in choro unus poſt alium ambulant, atque ſpaciantur.

Vetera periſtromata, quæ majoribus Feſtis in Choro adhibentur, dono data fuerunt a Salafare Archiepiſcopo Senonenſi, ex impenſis, quæ lucratus fuerat adverſus Capitulum Pariſienſe occaſione magnæ cujuſdam litis inter ipſos agitatæ, quod Capitulum Pariſienſe aliquando vetuiſſet cum Cathedralem ſuam tamquam Archiepiſcopum ſubire, quod an. 1498. evenit.

Archiepiſcopus juriſdictionem habet in Canonicos, atque Dignitates Eccleſiæ ſuæ, atque etiam in ipſos Parochos, quorum Patronatus ad Capitulum ſpectat.

Archiepiſcopus inſtallatur in ſua Eccleſia, ut ceteri Provinciæ Epiſcopi ab Archidiacono, qui eum in poſſeſſionem inducit; & remunerationis ergo Archiepiſco-

Digitized by Google

piſcopus illi marcam auri, ſingulis vero Canonicis Presbyteris marcam argenti largitur.

Lugduni in Eccleſia S. Joannis, Celebrans majoribus Feſtis duos Presbyteros habet catulis indutos, qui Symmuſi, vel Concelebrantes appellantur, vulgus ſex Muſas appellat, & aſſiſtentium munere funguntur. Diaconus, & Subdiaconus mitras habent.

Dicitur *Dominus*, dum Altare Sacerdos oſculatur, & *vobiſcum*, cum ad populum convertitur. Nulla datur benedictio, ſed Celebrans ſe ipſum benedicit.

Epiſtola ad dexterum Altaris latus legitur, atque Evangelium ad *Iube*.

Veſperæ hora quarta recitantur, ſignumque Campana editur hora tertia, & dimidia; majoribus Feſtis quinquies Campanæ pulſantur.

In ea quatuor & viginti juniores Clerici adſunt: Miſſæ Subdiaconus incenſat ſub Veſperarum initium. Qui Officium peragit, orationem *infra* Altaris gradus recitat. Viginti juniores, quaterni, in medio chori diſponuntur ad canendum *Benedicamus*. Confeſſorum Feſtis flavus color adhibetur, quatuor exceptis, quibus *Florebis* ad Invitatorium dicitur, S. Antonii ſcilicet, S. Ludovici, S. Juſti, & S. Martini, quibus virides veſtes uſurpantur.

Non dicitur *Pontifices* in orationibus niſi Paparum, & Archiepiſcoporum Lugdunenſium.

Narbonæ Canonici Calongi appellantur, atque tot *Conduciarii* ſunt, quot Canonici, qui ſuperius ſedent. Beneficiati vero infra illos cum Canonicorum *Vicariis*, qui iidem fere ſunt ac Cardinalium Caudatarii.

Cantoris baculus *Ferculum* appellatur, atque inde fortaſſe Ferulæ appellatio oritur. Aliorum Choriſtarum baculi alio nomine appellantur, aliamque figuram habent.

In majoribus Feſtis quatuor longiores baculos cum ferula geſtant, & ad Veſperas thus adhibent baculum manu tenentes. Ex illis unus Antiphonam annunciat, & Pſalmum præcinit.

Organa per ſingulas Chori columnas diviſa ſunt, & per ductus quoſdam afflantur, unde æqualiter ubique audiuntur, atque magno ſunt Eccleſiæ ornamento.

In Cœna Domini ſinguli Canonici duodecim pauperum pedes lavant, adeoque hi ducentorum numerum excedunt. S. Stephani die Diaconi omnia in Choro peragunt, S. Joannis Feſto Presbyteri, Innocentium vero juniores.

In Feſtis primæ claſſis duodecim cappis induti, baculum ſinguli geſtantes, & cereo accenſo illi ſuper impoſito, coram Altari in hemicycli formam conſiſtunt, verſiculos, *Venis*, & Hymnum canunt. Paſchate inter Laudes, & Matutinum adhuc Mariarum, & Angelorum ſpectaculum ſuper Altari exhibetur.

Olim Pentecoſtes feſto dum Tertia canebatur, ignis ex fornice dejiciebatur.

Natali ad primum Nocturnum color eſt ruber, ad ſecundum albus, ad tertium violaceus. Primum Reſponſorium canitur a ſex cappa indutis cum infulis, & baculis. Diaconus canit Genealogiam ad Jube cum infula, quem comitatur Subdiaconus, & ipſe infulam geſtans.

Cenomani, Celebrans cappa indutus Veſperas exorditur, choriſtæ vero in inferioribus chori ſellis ſedent. Duo Clerici cum cappis reſponſorium canunt ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam. Celebrans reſponſorium breve dicit cum *Alleluja*, & Clericus Verſiculum.

Menſa ad Evangelii latus ſine mappa adſtruitur. In ſemiduplicibus duo ſunt Diaconi, totidemque Subdiaconi; in minoribus feſtis unus tantum Diaconus, & unus Subdiaconus.

Dum Confeſſio dicitur, omnes altaris miniſtri in genua ſubſidunt, iterumque genua cum Sacerdote flectunt ad *Suſcipe deprecationem*. Explera a Sacerdote collecta defertur liber ad latus Evangelii, & Sacerdoti offertur calix, in quo vinum, & aqua ineſt, cum patina ſuperimpoſita. Inde ſedem petit, Epiſtolam, Evangelium, & quæ utrumque intercedunt, auditurus: ea enim ipſe non legit.

Digitized by Google

Aqua, qua Sacerdos manus ſuas abſterſit, in æneam piſcinam projicitur. Poſtquam chorus in fine Miſſæ cecinit *Deo gratias*; Celebrans canit verſiculum *Ave Maria*, & chorus ſubdit, *Benedicta tu*; celebrans deinde in medio altaris dicit, *Deus in adjutorium* Sextæ; & regrediens S. Joannis Evangelium recitat.

Aureliani, ad Laudum *Laudate*, Celebrans cum cappa ad altare pergit, & in cornu Epiſtolæ capitulum canit, ibique remanet uſque ad *Benedictus*; tunc enim altare incenſat, ac poſtea cappa indutus, & ipſe a clerico incenſatur; redit deinde ad cornu altaris, & in parvo quodam ſuggeſto collectam dicit. Poſt *Benedicamus* diſceditur, nihil aliud addendo.

Ad Miſſam canitur Graduale, & *Alleluja* ad *Jube*; Canonici ad altare ſe vertunt ad collectas, & ad ea omnia, quæ celebrans dicit. Subdiaconus pacem defert omnibus adſtantibus in choro; duo clerici dicunt: *Domine ſalvum fac regem*, quibus neque reſpondetur, neque dicitur collecta.

Noviomi, canonici ſoli Miſſam Defunctorum canunt, abſque cantoribus, & clericis, qui ad Tertiam redeunt. Canonici totum Officium peragunt.

Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus almutias deferunt, uſque quo altare conſcendant: urceoli exhibentur ante *Gloria in excelſis*; chorus univerſus, celebrans, & miniſtri genua flectunt ad *Suſcipe*: ad elevationem ante *Pater* Diaconus, & Subdiaconus in genua ſubſidunt. Epiſtola, Graduale, & *Alleluja* dicuntur ad *Jube*.

In hodierno Miſſali nihil fit de Viſitatione, Transfiguratione, S. Urſula, Præſentatione. Sancti Petrus, & Paulus Octava carent: Quinque tantum ſemiduplicia feſta per totum annum occurrunt, S. Albinus, S. Eutropius, S. Mauritius, S. Remigius, & S. Miſſus. S. Eligii feſtum, quod Junio celebratur, non eſt translatio, ſed dies electus, ut peregrinorum pietati fieret facis, qui menſe Decembri eo nequeunt ſe ſe conferre.

Pentecoſtes die ad Tertiam funiculo demittitur columba, quæ circum Eccleſiæ fornices volitat.

Canonico adſignata eſt Extremæ Unctionis, & Viatici adminiſtratio omnibus civitatis ægrotis.

Cameraci, ad Miſſæ Majoris *Credo* Subdiaconus Evangelium oſculandum defert. Ad Veſperas dicitur hymnus ante capitulum tam in Officio diei, quam in Officio *de Beata*.

Canonici in capitulum non pergunt ad dicendum Martyrologium, niſi Dominica. Archiepiſcopus Miſſam majorem celebrat tantummodo in Paſchate, Natali, & Aſſumptione.

In cathedrali una Præbenda Medico debet conferri, tres Nobilibus, ſex Juriſtis, quatuor Theologis graduatis, duo Eccleſiæ Miniſtris.

Meſſilia, feria ſexta majoris hebdomadæ in cathedrali crucifixus rubra caſula induitur, & a duobus Sacerdotibus alba, & ſtola amictis, nudiſque pedibus defertur.

Olim in ſupplicationibus ſola crux cathedralis ferebatur, ſub qua omnes tam regulares, quam ſæculares Sacerdotes procedebant.

In ſupplicationibus, quibus interſunt Epiſcopi, reliquiæ ſemper deferuntur, ut ait liber rubeus cathedralis: cum vero Epiſcopi non interſunt, defertur liber Evangeliorum apertus. Ipſimet Epiſcopi reliquias geſtabant a Levitis albatis in ſellulis vectati, quod Concilium Bracatenſe an. 675. interdixit. Ratio, ob quam Epiſcopi reliquias ipſis præſentibus deferendas curant, procedit ex Arca, quæ ante Moyſem portabatur. Reges noſtri S. Martini cappam in eorum tutela geſtari volebant. S. Ludovicus juſſit, ut SS. Sacramentum deferretur, ut hodie. Pontifices conſueſcunt, qui, ut ait Genebrardus, morem hunc ab antipapa Benedicto XIII. deſumpſerunt.

In Adventu poſt Matutinum, antequam Laudes inciperentur, aliquamdiu intermittebatur Officium, ut Meſſiæ adventus expectaretur. Tunc univerſus chorus in genua procumbebat, & ſolemniter canebat: *Emitte agnum Domine dominatorem*, quod perſequebantur uſque ad Natalis Vigiliam, qua J. C. Nativi-

Digitized by Google

tivitas à quatuor choriſtis annunciabatur. Archidiaconus deinde cappa ſetica indutus, ceterique omnes ſe proſternebant, tetram deoſculantes, ut J.C. exciperent, tum Archidiaconus Evangelium diei legebat e ſuggeſto, cui aderant cappis induti, crux, ſubdiaconi, & thuriferatii, & interea nola major pulſabatur. Conſtantinopoli Sanctum Nativitatis Evangelium oſculandum Imperatori deferebatur in ejus ſacellum; liber iſte pretioſo pluteo fulciebatur; Cantores rubris veſtibus induti pro Imperatore canebant, *Vivat, vivat*. Codin. l. 84.

Maſſiliæ ad J. C. Nativitatem ſe parabant reconciliatione: inimici alter alterum inviſebant; initaque mutua, inviolataque amicitia, epulabantur, quod in munera, & exceſſus poſtea deſcivit. In hoſpitalibus ea die ingentes eleemoſynæ erogantur: præcipue vero puerperæ apparatis epulis excipiuntur. In familiis benedicitur ſtipes natalitius, illum vino aſpergendo, & dicendo, *in nomine Patris &c.*

De fructu appellantur Eulogiæ, quæ Presbyteris a Natali ad Reges diſtribuuntur ad Laudes, dum dicitur *Benedictus*. In Burgundiæ comitatu hæc ceremonia fit ad Veſperas, cum dicitur antiphona *De fructu*.

In Epiphania plura ſuperſtitioſa peraguntur, inter quæ Rex fabæ, *Phebe Domine*, id eſt, *Faba Domine*, rex fabæ.

Dominica Palmarum, placentæ, omnigenique fructus ramis appenduntur, quod vetitum fuit in Concilio provinciali Aquenſi an. 1585. *Curati ne permittant eſculenta appendi olivis benedicendis, monentique populum benedictionem illam non cadere ſuper eſculenta, ſed ſuper ramos.*

Feria ſexta in Paraſceve omnes S. Victoris Religioſi ſacram ſynaxim ſuſcipiebant, quod eis commendaverat Robertus de Arbricella.

Olim univerſus populus proſtratus jacebat poſt præfationem uſque ad *Agnus*.

Cum quis in ſupremo vitæ agone verſatur, pulſatur nola, omnes in Eccleſiam ſe conferunt, & publice orant; educitur S. ciborium, & datur benedictio. In ædibus autem ægroti, deficiente cereo benedicto, mulieres candelas ſumunt, accendunt, extinguunt dicentes, *in nomine Patris*: eas iterum accendunt, & extinguunt dicentes, *& Filii*, quod tertio præſtant dicentes, *& Spiritus Sancti*.

Quod Capitula. Humabantur olim in capitulo Eccleſiæ Pariſienſis, & in clauſtro omnes canonici, quod adhuc ſervatur apud canonicos regulares, aliſque Religioſos, ut in omnibus conventibus, qui inibi habentur, mortis cogitatio ob oculos verſaretur. In iis quotidie codices mortuales legebantur, & cogebantur conventus. Capitula, & clauſtra loca erant, in quibus Spiritus Dei ſemper regnabat.

Hebdomadarius octiduo ſecedebat, beneficia conferebat, edicta edebat, Pariſiis, & alibi.

Arelate. Archiepiſcopus privilegium habet a P. clemente IV. crucem erectam per totam provinciam deferendi. Imperator, Henrico III. regnante, ei poteſtatem dedit in inſignibus coronam gerendi, ut adhuc gerit; quodque ejus Eccleſia, non ſecus ac Romana, nonniſi poſt 100. annos præſcriberet.

Cum S. Trophimi canonici ſupplicationibus interſunt, curati omnes, & Religioſi, propriis crucibus in Eccleſia Metropolitana relictis, ſub hujus cruce proſeduntur. Cœtus ſæculares, & regulares ad mortuum ſepeliendum invitati, cum propriis crucibus ad defuncti domum corpus ſumpturi pergunt, ibique cum cruces relinquere nefas ſit, eas demittunt; ſolaque cathedralis crux apparet.

Generalis Rogationum ſupplicatio fit feria quarta, & in ea omnes ſacra um reliquiarum thecæ geſtantur; feria quinta ſola S. Antonii theca defertur, quæ cum ad Benedictinos ſpectet, hi ſoli, non vero capitulum, vel clerus ſupplicationi interſunt.

Matiſcone, in cathedrali aderant olim canonici, Monachi, canonici Regulares, Equites, Canonicifſæ, & laici; neque admittebantur, niſi nobilitate,

tate, vel gradu aliquo præſtantes. Horum numerus ad 20. a P. Clemente VI. ſtatutus fuit.

Tulli, an. 1435. a capitulo decretum eſt, ut octo poſtremi Canonici ſemper ſubdiaconi remanerent, neque poſſent ad Ordinem ſuperiorem tranſire, niſi eorum locus ab altero occuparetur. Quod ſi Presbytero Canonicatum deferri contigiſſet, ei non liceret ſacrum ad altare majus peragere, neque alium ordinem exercere, donec inter Presbyteros locum obtinuiſſet.

Anno 1458. Canonicis interdictum eſt tunicis talaribus ſericis, aut e capra-um villo contextis, & pileis uti; ſtatutum vero fuit, ut veſtibus nigri tan-tum, vel fuſci, ſeu fulvi coloris ſe induant, & *biretum* ſemper geſtent, excepta graviori hyeme, qua eis fas eſſet humerale in urbe, & pileum in itinere, vel decidente pluvia deferre.

Anno 1559. de Decanorum jure decretum eſt, ut Decanus reſidere teneatur, primum locum in choro, in menſa, & in cantu obtineat, calculum ſuum poſt Præſidentem ferat, capituli curatus ſit, ſemel in annum canonicorum, aliorumque Eccleſiæ Presbyterorum confeſſiones audiat, Sacramenta vel per ſe, vel per alium adminiſtret, morientibus abſolutionem impertiatur, Antiphonas ad Magnificat, & Benedictus præcinat, confiteor, & abſolutionem ad Completorium recitet, ultimus in ſupplicationibus procedat.

Tullenſes canonicos Henricus IV. obſtrinxit, ut Tullenſi Præfecto thus adhiberent, quod numquam antea præſtiterant, eiſque Brevi Pontificali vetitum erat.

Habetur in cathedrali Sacerdos appellatus *Particularius*, qui ſcilicet in clericorum dormitorio cubare tenetur. An. 896. Canonici in communi degebant, ut ex regia membrana liquet. Feria quarta, ſexta, & Sabbatho quadrageſimæ in choro diſtribuebatur piſcis. Cum cœnare nefas eſſet, collatio ſequebatur immediate completorium, & fiebat modo in capitulo, modo in choro uſque ad 16. ſæculi finem; tunc enim ob inſultus militum, qui aſſidui completorio intererant, utjaliquem vini calicem lucrarentur, abolita fuit.

Ad Septuageſimam clerici cæremoniam exequiarum *Alleluja* peragebant, illud figura quadam cum aqua benedicta repræſentantes.

Epiſcopus ſuperhumerale, quod ſtola quædam lata eſt, defert.

Bertramnus Tullenſis Epiſcopus ſtatuta an. 1359. edidit, quibus mandat, ut Synodo Diœceſanæ interſint omnes Diœceſis Abbates regulares, alba, & cappa induti, & paſtoralem pedum manibus tenentes; Decani vero, & Præpoſiti Collegiatarum Eccleſiarum, ſimiliter albati, & almutiam in capite ferentes.

Robertus d' Haroué, cantor, & Canonicus Tullenſis an. 1433. morem invexit canendi, uniuſcujuſque horæ canonicæ initio, *Ave Maria*; qui deinde per totam diœceſim obtinuit.

Burdegala Cantor per ætatem cum baculo almutiam in capite defert; & in omnibus præcipuis Eccleſiis qui cappis induuntur, baculos ſeu capitatas virgas argenteas geſtant ſolemnibus feſtis, tam in ſupplicationibus, quam in choro; in Cathedrali Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ad altare procedentes almutiam in capite ferunt.

Catalanni, ſolus Epiſcopus introitum ad altare dicit; Dignitates, & reliqui eum recitant ad Chori fores.

Bellovaci quotannis die 20. Julii S. Agadrennæ ſacro fit ſupplicatio, qua mulieres primæ incedunt, eo quod an. 1472. Joanna Hucherta ſenior Burgundiones lapidibus adorta eos urbis obſidionem ſolvere coegerit.

Cantor antiphonam non annunciat, niſi Epiſcopo, vel Decano, cum feſtis ſolemnibus rei ſacræ præeſt, & iis tantum diebus baculum gerit. In feſtis ſolemnibus ad Veſperas & Matutinum duo Canonici eum comitantur, & antiphonas annunciant: ipſe vero ſolus ſpatiatur in medio ab Aquila ad aram uſque; alii duo juxta morem.

In Viſitationis feſto, duo Clerici tunicati, ad ſtationem Miſſæ in Navi, alter ad alterum ſe convertunt, ſibique invicem dicunt. *Unde hoc mihi & Magnificat.*

Ha-

Digitized by Google

Habetur inibi parva quædam nola, Rioſta appellata, quæ poſt canonicum aliquem ſepulturæ mandatum uſque ad alterius electionem continenter pulſatur.

Diaconi in S. Stephani feſto, Presbyteri in feſto S. Joannis, & Clerici Innocentium die, ſinguli cereum ad officium deferunt.

Religioſi S. Luciani ab an. 1130. Canonicis Bellovacenſibus ſertum quotannis offerre debent.

Meldis, diebus, quibus Epiſcopus rei ſacræ præeſt, canonici proceſſionaliter inſtructi illum pro primis Veſperis canentes accerſunt.

Canonici Caroleum, tritico ſolvendum, ſinguli lucrantur, ſi paſchatis vigilia aquæ benedictæ interſint.

Canonicus, qui beneficii ſui poſſeſſionem init, chorum non debet *ſuum gratioſum adventum*, ut alibi; ſed canonici pro eo alternatim hebdomadam peragant; ipſe vero ſeptem canonicos, qui pro eo rei ſacræ præfuerunt, menſæ debet adhibere.

Canonici non tenentur niſi ad unam e tribus majoribus horis, & in matutino quoque uſque ad finem primi pſalmi; tunc enim Canonicus poteſt equum conſcendere, & Lutetiam ſe conferre; & dummodo die inſequenti fini Veſperarum adſit, omnia præſentiæ ſuæ jura lucratus eſt; hinc canonici duos tantum menſes in ſingulos annos feriantur.

Septuageſimæ vigilia ad poſtremum *Alleluja* clerici, quadraginta annis nondum exactis, verbere turbinem ejiciebant ex Eccleſia.

Carnoti, nemo chorum ingreditur, dum celebrans collectas canit, verum dum Epiſtola dicitur.

Canonici percipiunt *anni prædam*, id eſt pecuniam omnem, capitulo reliquam e redditibus fundationum, quibus eo anno ſatis fieri non potuit; plures enim ſunt in ea Eccleſia fundationes quam anni dies.

Olim Decanus Præbendarum vacantium annatam percipiebat, quem abuſum damnat Ivo Carnotenſis Ep. 94.

In duobus S. Stephani feſtis, Epiſcopus, Diaconus, Subdiaconus, Cantor, Subcantor, & quatuor Aſſiſtentes, palmam ſinguli manu gerunt.

Die Paſchatis poſt Matutinum, Epiſcopus pontificalibus veſtibus indutus, ſtat in medio altari, canonicorum corona ſeptus, eiſque dicit alteri poſt alterum *Surrexit Dominus*, illi vero reſpondent *Credo*. Id olim Romæ fiebat; dicebat Papa, *Surrexit Dominus vere*, cardinalis reſpondebat, *& apparuit Simoni*.

Cum Epiſcopus Religioſarum vota ſuſcipit, poſt Miſſam SS. Sacramentum ſumit, & ad chlatros progreſſus Religioſam alloquitur; SS. Sacramentum manu tenens, editiſque a Religioſa, & obſignatis votis, eadem pompa regreditur.

Sacerdos, qui benedictionem ad Miſſæ finem largitur, patinam in manu dextera tenere debet, & dicere *Oremus* ante *Benedicat vos*, quod ſervatum fuit uſque ad Miſſale an. 1640. Rituale Meldenſe anni 1547. ad Benedictionem præcipit *Adjutorium . . . . Sit nomen . . .* & deinde *Benedicat vos & nos divina Majeſtas, & una Deitas Pater &c.*

Audomaruni Lingonum, in Natali Diaconus viridi dalmatica indutus Genealogiam muſicis notis cantat alternatim cum choro, qui pariter muſicis modulis reſpondet.

Remenſis, ad Natalis nocturnos, tres primæ lectiones ſic abſolvuntur; prima, *Hæc dicit Dominus Deus, qui hodie naſci dignatus eſt pro ſalute humani generis, convertimini ad me, & ſalvi eritis*; ſecunda; *Hæc dicit Dominus qui hodierna die homo natus apparuit pro redemptione generis humani, convertimini . . .* tertia, *Hæc dicit Dominus, qui particeps factus eſt noſtræ humanitatis, convertimini &c.*

CAP. XXVII.

De Veſtibus Eccleſiaſticis ad Divini Officii celebrationem.

A *Miſſus*, capiti imponebatur; eoque Epiſcopus in Ordinatione Sub-

Subdiaconi caput tegit, *Imponis super caput singulis*, inquit Pontificale Romanum. Æstate in collum demittitur, ne is ob æstum incommodo sit. Missale Lugdunense anni 1556. ait: *Sacerdos Amictu caput suum* obnubit; atque apud Prophetam Ezechielem ait Deus, *Nec amictu ora velabis*. Virgilius, *purpureo velare comas adoperta amictu*. Hic est rusticarum rica, quam Novitiæ album sæcularium puellarum velum deferentes, & Professæ nigrum mulierum, servarunt.

Pellis, seu *Almutia* caput olim, & scapulas per hyemem tegebat; etarque ab origine pileus quidam subsutus, quem *capucium foederatum* appellabant; & ex ejus aucta longitudine, atque latitudine effluxerunt integræ almutiæ, pelles scilicet in scapulas, & in pectus descendentes. Concilium Ravennatense anni 1314. almutiarum meminit, quæ ad aures extendebantur. Hæc deinde almutia, seu capucium in collum devolutum fuit ob æstum, & transversim super humeros extensum, ut æstate gestatur in S. Victore Parisiensi. Ucetiæ olim in sinistrum humerum tantummodo gerebatur, ad instar Doctoralis amiculi, quod dextera manu tenentes Doctores pronius in humerum sinistrum projiciunt, quam in dexterum; atque hæc ratio est, cur almutia super sinistrum brachium feratur. Lugduni almutia super humeros gestatur ad instar pallii, & capucium rotundum habet, quo olim caput operiebant; quod & alibi obtinebat. Verum cum id æstate nimis molestum esset, deducta est almutia super sinistrum brachium, cujus capucio, quod hodie quadratum est, utuntur Canonici ad Breviarium inibi collocandum. In Ecclesia eam deponunt super sedilia, neque iterum sumunt, nisi cum Psalmum incipere, vel collectam, aut lectionem recitare, vel aliquod aliud munus debeant exercere.

Capero, seu *Capitium* pilei genus erat ad tegendum caput, qui usus cum desierit, super humeros defertur. *Capucium foederatum* pileus quidam erat pelle subsutus, quo caput magis fovebatur; pallis deinde educta ad capucii limbum posita fuit, vetusque capuciorum pellis reliqua tantum fuit Cardinalium cappis, Doctorum amiculi, & Baccalaureorum capuciis, eo tamen discrimine, quod Doctores præter pellem pactis anteriori amiculis, circa collum etiam pellem, quæ intus assuebatur; Bacca laurei vero anteriorem tantum partem servatint. Vide etiam pellitas vestes Præsidentium Parlamenti, Rectorum &c.

Collare, & *manuleæ*. Collate est subuculæ numella, in vestimenti collare devoluta, quo pacto illud rusticani quidam adhuc hodie defetunt. Manuleæ vero originem duxerunt ab indusii manicis, quæ invertebantur, plicabanturque super manicarum vestimenti ortam, quæ deinde disjunctæ fuere, non secus ac collare lesuitæ, Th. atini, Barnabitæ eo tempore instituti, quo subuculæ limbi neque e collo, neque e manicis prodibant, hanc consuetudinem retinent; Missionatii, Oratorii presbyteti, & Monachi eo tempore instituti, quo indusii collare devolvebatur, non autem manica, hunc morem pariter sequuntur. In Italia, Hispania, Germania, Polonia, Belgio Clerici numellam lineam pro collari gestant, in Gallia tantum centum circiter abhinc annis hæc linea tænia producta fuit, atque in eam formam, quam hodie perspicimus, collare redactum.

Biretum quadratum, ab origine rotundum erat, & laneum ad instar ingentis galericuli, vel quale gerunt Hospitalium pueri; Galli *Bonnes* appellant a panno, e quo conficitur. Hoc igitur biretum cum digitis assidue apprehenderetur, quemadmodum nocturnus pileolus apprehendi solet, sensim cornua quædam seu angulos adeptus est, qui cum tres essent, in Gallia, ut majotem symettiam nanciscerentur, additus est quartus, & ita e rotundo quadratus evasit. Biretum tam in Ecclesiam, quam in forum invectum est e molestia capucium in capite per æstatem deferendi, unde 200. aut 300. circiter abhinc annis in scapulas devolutum fuit.

Alba. Vestis alba est lanea, aut linea

nea olim Clericis, & Laicis communis, virisque æque ac mulieribus. Ejus tamquam vestis Altaris ministerio destinatæ primum in IV. Concilio Carthaginensi mentio fit. Est & apud Herodianum, mulieres ad Imperatoris Severi mortem albis vestibus indutas fuisse. Ita & in Hispania viduæ plerumq; albis vestibus utuntur, quæ fuit satis diu & Clericorum consuetudo. Leo IV. 9. sæculo, *nullus in alba qua in usu utitur, Missam cantare præsumat*. Riculphus Suessionensis, *ut nemo illa alba utatur in Sacris Mysteriis, qua in quotidiano, aut exteriori usu induitur*. Ubi vero Episcopi eam deponere voluere, ut eam denuo sumparent, Conciliis Monspellensi 1214. Lateranensi IV. 1215. Budensi 1274. Mediolanensi 1565. sancitum fuit. Quare Papa, & Canonici Regulares ea ad hanc diem licet breviori utuntur; ceteri vero Clerici in Ecclesiasticis tantum muneribus, superpellicei nomine, præterquam ad Altare, eam servarunt. Extant igitur albæ & pro vulgari, & pro Altaris usu, & quodammodo mutabantur, fere ut Episcopi soleas, & calceo frequenter mutant, ut decentius Officium peragant. Legimus in S. Fulgentii vita cap. 18. eum ad Altare accedentem vestes non mutasse, sed eadem tunica, qua dormiens utebatur, sacrificium peregisse. Alba apud Petrum Blesensem, atque alibi, *Camisia* appellatur.

Superpelliceum est alba contracta. Ejus meminit Stephanus Turonensis, tamquam ad talos descendentis, *superpelliceum novum, candidum, & talare*. Contractum deinde fuit ad medias tibias, demum ad genua; sulique Clerici integram albam retinuere. Superpelliceum vero sic appellatum fuit, quia postquam laxatum fuit ejus corpus, tunicæ pellibus subfutæ, *pellicium* proinde vocatæ, superimponeretur; quod liquet ex Concilio Colonensi an. 1260. ubi Canonicis interdicitur, ne diebus solemnibus ad Ecclesiam pergant *sine Clericali pellicio, vel veste canonicali sub superpelliciis*. In Constitutionibus Abbatiæ S. Victoris Canonicus habere debet *unam tunicam lineam, duo pellicia, duo superpellicia*. In quibusdam Auctoribus superpelliceum vocatur *Alba parva*, ut ab Alba distinguatur, *Alba longa*. Apud Mendicantes, Bernardinos, Cœlestinos &c. Celebrans, & Choristæ sub cappis albas deferunt; & hic est Romanus ritus. Rem s quoque, & in Ordine, Benedictino, Officio, & præsertim Missæ, ac supplicationibus albati intersunt.

Superpellicei manicæ modo rotundæ sunt, ut Romæ, Remis, & in S. Victore Parisiensi, modo longæ, pendentesque, ut Parisiis, & in pluribus Galliæ Ecclesiis, velati disjunctæ a superpellicei corpore, & in posticum rejectæ, alarum instar. Harum pendentium manicarum usus conspicitur in domesticis togis Patrum Societatis Jesu, & Oratorii, Pensionariorum Collegiorum, in vestibus infantium, & Epheborum, ac in tibicinum, & tympani tribarum sagis.

Rochetum est alba contracta, cujus corpus, & manicæ adstrictæ sunt; in quo differt a superpelliceo, cujus corpus, & manicæ amplæ sunt. Primus vestis hujus usus fuit in itineribus, utpote alba commodioris; eaque de causa Canonici Regulares illud semper deferunt extra chorum. Sumebatur etiam, ut manuale opus posset facilius exerceri, non secus ac Monachi scapularium sumunt loco cuculli, qui amplus erat, & ad opus nimis incommodus. Cum autem molestum fuisset sæpius per diem deponere, & sumere hoc rochetum, æque ac scapularium, usus invaluit illud numquam dimittendi, & evasit ordinaria vestis, Canonicorum alterum, alterum Monachorum. Manicis deinde imminutum fuit, & alii scapularium in lineam tæniam, Monachi vero longum cucullum in tæniam laneam redegere.

Quod ad vestes Monachales attinet, S. Benedictus in sua Regula c. 55. eas non præscribit nisi quas necessitas exigit: regionis situs, aeriisque temperiei rationem habet, atque id Abbatis prudentiæ permittit: in locis temperatis existimat, tunicam, & cucullum sufficere debere: vult e claustro in urbem

prodeuntium veſtes iis meliores eſſe, quæ domi de more deferuntur, tum ob decorum, tum ob majorem oculis Mundi concinnitatem: ob eumdem decorem in agrum proficiſcentibus Monachis femoralia permittit. Scapularium nonniſi ad opus præſcribitur, ut humeri ad ferendas ſarcinas, & ſervandam tunicam muniantur. Ob eamdem rationem præcipit, ut Monachi cubent veſtibus induti, ne cingulo quidem ſoluto; tunc enim homines vulgo nudi cubabant, ut adhuc aſſolet in Italia; & indecorum, atque inhoneſtum fuiſſet in eodem Dormitorio ita nudos alterum alterius oculis exponi: mandat præcipue, ut Monachorum lecti ob pauperta-tem, abſque cellulæ diviſione, ut in hoſpitalibus, aperti ſint.

Tunica talaris, *Toga*, veſtis erat pluribus Laicis communis; Curiales, & Medici non ita pridem illam deferebant.

Cappa erat amplum pallium e panno nigro, violaceo, vel rubro, ab Eccleſiaſticis ſuper albam delatum. E cappa contracta ortum eſt humerale; & ex his tribus vulgaribus indumentis tunica, alba, & pallio, ſola tunica prolixa remanſit; alba vero contracta fuit, ut ſuperpelliceum, vel rochetum, cappa, ut humerale fierent. Cappa primitus non erat niſi capucium ad tegendum caput deſtinatum; mox capucium iſtud ad inſtar ſcapularii, ſive humeralis, in humeros demiſſum fuit, ad tenes deinde ac genua decidit, demum ad ſolum uſque deſcendit, totum corpus operiens, qualis eſt excubitorum, Canonicorum ſæcularium, vel regularium, Papæ, Cardinalium, & Monachorum cappa, ſeu chlamis. Capucium veſti adhærebat; Ciſtercienſes ſcapulario, Fratres Charitatis, & Carthuſiani pallio, ſeu ſcapulario, Minimi, & Camaldulenſes pallio, Capuccini tunicæ illud adnexum gerunt; alii a toga ſeſunctum, veluti Doctores, & Univerſitatum Baccalaurei.

Cappa tam æſtate, quam hyeme geſtabatur. Pariſiis juniores Canonici eam ſemper deferunt, ſicuti & Clericus, quem *Sſè* appellant; at in S. Victore ac S. Genovefa etiam extra Eccleſiam, atque extra urbem gerebatur. Moleſtia denique illam in magnis æſtibus deferendi cauſa fuit, ut defereretur, etiam in choro; & a XIII. ſæculo Nicolaus III. loquitur de conſuetudine jam Romæ obtinente ſuperpelliceum tantummodo, & almutiam a Paſchate ad omnium Sanctorum feſtum gerendi; at Pariſiis poſt IX. ſæculum dimittitur cappa Sabbato Sancto ad fontium benedictionem uſque poſt S. Dionyſii octavam.

Pallium longum cappæ ſubſtitutum fuit, & capucio pileus tam in clauſtris, quam apud ſæculares; pallium namque nihil aliud erat, quam cappa ab anteriori parte patula cum capucio in humeros devoluto, quod hodie pallii collare vocitatur.

Pileus eſt capucium a cappa ſejunctum, cujus limbi amplificati ſunt ad tuendum a temporis injuriis caput. *Cappa*, *Capello*, eadem origo.

Cingulum Albæ conſtringendæ, atque complicandæ inſervit: *Ne tunica linea deſluat, & greſſum impedias*, inquit Beda. Renibus autem circumponitur juxta illud, *præcinge me, & extingue in lumbis*. Conſtat ex Exodo 12. 5. 11. renes cingi ſolitos Iſai. 11. *Erit juſtitia cingulum lumborum*. Clerici S. Mariæ Pariſienſis ſemper ſibi renes ſuccingebant; presbyteri vero cingulum, quo altius poterant, ſuſtollebant. Opus vero aut iter facientes commoditatis gratia veſtem cingulo extollebant. Sic Luc. 12. *Præcinges ſe, & facies diſcumbere*; & Job. 5. *Inveni juvenem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum*. Luc. 17. *Præcinge te, & miniſtra mihi*.

Manipulus ſimplex linteolum erat, longum magis, quam latum. Fimbria primum, ſeu texto denticulato ornari cœpit, mox opere Phrygio. Denique abjecta tela e textili panno confectus eſt. Sinistro autem brachio imponebatur; non ſecus ac humero ſeu brachio lævo imponitur mappula, ut menſæ miniſtretur; in manu ſiquidem dextera impedimento eſſet: *ut dexterum expeditum ſit ad miniſtrandum*, ait Rupertus. Manipulus primo nihil aliud erat, quam ſudarium; antequam enim uſus peras veſtibus

Digitized by Google

ſtibus aſſuendi obtineret, in ſinu modo recondebatur, ſicuti hodie quoque Pagani crumenas ſuas inibi locant, eas abdentes ſub induſio; modo zonæ, ſeu brachio appendebatur: marſupium etiam in cingulo condebatur: unde Dominus noſter Apoſtolis ſuis vetat, ne pecuniam gerant in zonis, ideſt in marſupiis. Pariſienſis Univerſitatis Rector, cum ſolemniter incedit, hoc adhuc obſervat; & nonnulli Religioſi, Ruſtici, aliique ſuas, uti vulgo appellantur, corollas zonæ appendunt; ſudarium vero puerorum cingulo adhuc appenditur. Verum plerumque manicæ, ſeu brachio ſiniſtro appendebatur, unde ortum adagium, *manica mucum emungere*, ad innuendum parentum noſtrorum ſimplicitatis tempus, qui peris carentes ſudarium manicis adnectebant. Invecto quoque peratum uſu, cum alba totum corpus tegeret, operoſius fuiſſet ad altare ſudariolum e pera depromere, ac proinde illud brachio adnectere perſtiterunt. Atque ea ratio eſt, quod Romano ritu excepto, in proceſſione, quæ Miſſam antecedit, Miniſtri alba induti manipulum geſtent. Lanfranchus laicos etiam fratres in monaſteriis eumdem geſtaſſe ait: *In cœnobiis Monachorum etiam laici cum albis induuntur, ex antiqua traditione ſolent ferre manipulum*. Diu non eſt, quod in conferendo Subdiaconatu initiandis traditur manipulus; & forteſſe hinc orta occaſio, quod, cum Subdiaconus in ordinatione ſua ab Archidiacono urceolum cum aqua, & mantile reciperet, eidem traderetur mappula quædam, ne ejus alba inficeretur, ſi fortuito urceolos effunderet. Amalarius *lib.* 2. *c.* 24. *Offic. Eccl* de manipulo tamquam ſudario agit: *Sudario ſolemus tergere piſuitam oculorum & narium*. Pſeudo-Alcuinus. *Mappula quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam detergimus*. Ivo Carnutenſis Serm. 3: *In ſiniſtra manu quædam ponitur mappula, quæ manipulus vel Sudarium appellatur*. Innocent. III. de Myſt. Miſſ. c. 59. idem quod Beda 7. ſæculo *Coll. 7. de Ordin.* habet. Videmus tamen Riculphum Epiſcopum Elnenſem, quum Eccleſiæ ſuæ ſex manipulos auro circumſutos, unde flocci quidam aut tintinnabula dependebant, reliquereţ juxta moré noſtrum loqui: *Manipulos ſex cum auro, unum ex his cum tintinnabulis*.

Stola ornamentum eſt binas tænias latas habens, ab anteriori parte pendentes a collo ad talum uſque, ab antiqua veſte, ſeu pallio anterius aperto, *ſolaque* appellato, ſejunctas. Vocata fuit etiam *Orarium* a voce *ora*, quæ extremitatem, limbum ſignificat; hæ ſiquidem tæniæ in id tantum in veſtibus adhibebantur, ne, margine iis cooperto, filatim diſſolverentur, *ora*, *ornda*, *orlum*, *orlesum*. Hæ duæ tæniæ anterius apponebantur duobus veſtis lateribus, non ſecus ac hodiernæ tæniolæ textiles; & hodie quoque in noſtris cunicis, atque dalmaticis conſpiciuntur. Presbyteris, & Diaconis, dum initiantur, ſtola tradi ſolet. Vide Concilium Bracharenſe an. 563. can. 2. & Moguntinum an. 813. can. 28. Defertur ad altare in concionando, in Sacramentorum adminiſtratione, ſupplicationibus, Synodis. Papa eam numquam deponit, ne in via quidem, atque ad menſam. Epiſcopi quoque eam ſemper geſtabant, legimuſque in vita S. Thomæ cantuarienſis, neque interdiu, neque noctu ab eo depoſitam fuiſſe.

Concilium Bracharenſe eam ſuper pectus in crucis formam decuſſandam eſſe ſcribit, can. 4. Verum is mos nondum Romæ obtinuerat Innocentii III. ætate, quemadmodum ipſe teſtatur de Myſt. Miſſæ, & Durandus quoque 13. ſæculo ait, lib. 3. Rational. c. 5. *Nonnubique partes ſtolæ reducuntur ante pectus in modum Crucis*. Hinc & hodie extra ſacrificium pendens geſtari ſolet, Diaconi vero tranſverſam gerunt, ut liberius munere ſuo fungantur. Vide 4. concil. Toletanum can. 36.

Caſula. Olim univerſi Altaris Miniſtri caſula induti erant. Ordo Romanus, & Amalarius caſulam veſtis genus quoddam eſſe ajunt, omnibus clericis communis, licet forte diverſæ formæ pro Miniſtrorum varietate.

Diaconi, & Subdiaconi quadrageſimæ, & adventus tempore eam retinuere, cum enim iis temporibus pergeretur ad Miſſam celebrandam in Ec-

Digitized by Google

cleſiis, ubi ſtationes indictæ erant, hi miniſtri, ut ſe a pluvia tuerentur, vel in itinere ſibi præcaverent, caſulam, ſeu pallium, dalmaticæ, vel tunicæ loco ſumebant, eamque adhibebant etiam ad altare; non ſecus ac pluviam metuens vir pallium ſumit, eoque utitur, etiamſi officioſe aliquem adeat.

Diaconi, & Subdiaconi Pariſiis, & alibi caſula tranſverſa induuntur, adeoque dud in partibus anteriori, & poſteriori eſſe deberet, ad latera ſit, ut liberius brachio ad munus ſuum exercendum uti poſſint. Romanum ſequentes ritum eam geſtant, ſicuti Sacerdos, ab anteriori tamen parte complicatam; quod minimæ utilitatis eſt; dexterum ſiquidem brachium præcipue eſt expediendum.

Diaconus in ritu Romano caſulam deponit ad Evangelium, & nonniſi poſt communionem illam iterum aſſumit, quo liberius munere ſuo fungatur; Subdiaconus etiam epiſtolam lecturus caſula exuitur juxta veterem morem, quo Lectores, dum munus ſuum exercebant, albis erant induti.

Concilium quoddam Germanicum ſub carolomanno circa octavum ſæculum habitum Presbyteros, & Diaconos caſulas geſtare ait, tamquam veſtis genus perſonis Deo peculiariter addictis convenientis. Monachorum etiam pallium caſula dicitur in regula S. Macarii cap. 27. in vita S. Gregorii l. 2. c. 45. & l. 4. c. 63. atque in vita S. Fulgentii c. 18. ubi Monachis ſuis caſulam pretioſam, vel fulgidi coloris non permiſiſſe dicitur. Laicorum quoque pallium caſula dicitur. S. Auguſtinus l. 22. de Civitate Dei c. 8. pauperis cujuſdam opificis meminit, qui caſulam ſuam amiſerat. Caſſianus lib. 2. de Hab. Monach. c. 7. Laicorum caſulas memorat. Videre etiam eſt in S. Fulgentii vita pluvio tempore, qui itineris ejus comites erant, *planetis ſuis* eum protexiſſe. S. Severinus Abbas Aganenſis caſulam exuit, eaque chlodoveum induit, ut eum a morbo liberaret. S. Medardus caſulam egeno donavit. Vide concilium quoddam Germanicum octavi ſæculi, quod de ea loquitur tamquam de veſte omnibus clericis communi. Olim promiſcui uſus erat; nitidiores tantum in Altari adhibebantur. Ejus uſus erat idem, ac cappæ, *pluvialis* appellatæ, quæ pluvio cœlo induebatur; at deinde e pretioſis adeo pannis confecta eſt, ut eam pluvia decidente, amplius deferre nemo audeat. Occurrunt adhuc caſulæ, quibus capucia, ſeu ordinatii cuculli adnexi ſunt.

Olim caſula rotunda erat, undique clauſa, & ad terram uſque promiſſa; ſupertius tantum aperta erat, ut injici poſſet. Poſtea commoditatis gratia, & ad evitandam ſuperfluitatem, reciſa in utroque latere fuit, & undique rejecta ad eam formam, quam hodie intuemur, adeout Monachalis ſcapularis lati quidem, ac minus longi ſpeciem præferat.

Calceamentum Epiſcoporum. Peculiare calceamen, nitidius, & decentius pro muneribus altaris decor exigebat. Amalarius lib. 2. Offic. Presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis tribuit ſandalia. Caroli Magni Capitularia jubent, ut presbyteri cum ſandaliis Miſſam celebrent. Ea erant calceamenti genus, communis, ſed nitidioris. Iis Epiſcopi induuntur a ſuis cubicariis, & in Sacrario. Cum vero presbyteri ob paupertatem calceamenta mutare non poſſent, ſandalia Epiſcopis reliqua fuere. Sandalium calceamenti genus eſt ex unica aluta ſuperne vinculis, vel corrigiis alligata conſtantis; *quo calceamento nec pes teſtus eſt, nec nudus ad terram*, inquit Beda Coll. de 7. Ord. cujuſmodi ſunt ea, quæ Religioſi geſtant; verum apud Epiſcopos, & in Pontificali calceus evaſit. *Caligæ* levioris ocreæ genus erant, pedem, & cruris partem tegentis. Sumuntur ſæpe pro ſandaliis, ut patet Act. 12. *Calcea caligas tuas*, ubi in Græco habetur *Sandalia*. In calidis regionibus nullus erat tibialium uſus; calceamentum pedibus tantum inſerviebat.

Tunica, ſeu *Tunicella* Subdiaconis a S. Gregorio conceſſa fuit lib. 7. c. 64. antea enim albam tantum geſtabant.

Dal-

Dalmatica, tunicæ genus erat a Dalmatia profectæ, unde & appellationem habuit. Lampridius in vita Imperatoris commodi eum in publicum prodiisse ait, Dalmatica indutum, Dalmatarum more. Super casulam gestabatur, cumque nimiis circa vestes impensis presbyteris non essent onerandi, solisl Episcopis remansit. Tradit Valafridus Strabo ævo suo Episcopos, & Presbyteros jus habere deferendi sub casula Dalmaticam existimasse.

Dalmatica manicas latas habet, ut tunicæ manicas augustiores semper, & brachio adstrictiores comprehenderet. Tunica utpote arctior subtus gerebatur, supra Dalmatica augustior; hæc autem fimbriis ad manicas, & latera ornatur, non autem tunica. Regum vestimenta, dum sacrantur, eadem sunt ac Episcoporum Missam pontificaliter celebrantium; gestant enim tunicam, seu dalmaticam, & regiam chlamidem.

Chirotheca. Decet, & conciunitas postulare videntur, ut in Ecclesiasticis muneribus manus contegantur. Hinc in pluribus Monasteriis, veluti in Cluniacensi, Priores chirothecis utuntur extra altare, cum rebus sacris præsunt; in aliis gestantur in supplicationibus; in aliis cantor, dum baculum gerit; & ii, qui reliquias deferunt, iisdem induuntur. Id autem universim Episcopis reliquum fuit, & forte inde profectum, quod illis molestum nimis esset, per hyemem nudis manibus baculum pastoralem tenere.

Gremiale a Latina voce *gremium*, frustum telæ quadratum, quod ponebatur in gremio celebrantis, dum sederet, ne illius manibus casulæ inquinaretur vel pretioso panno deinde confectum fuit.

Mitra, vetus est capitis integumentum, sive pileus rotundus, aut quadratus potius, unde lacinizæ quædam dependent, quæ ad eam capiti alligandam serviebant. In duplex acumen anticum, & posticum desinebat, ejusque omni hominum generi communis. Circa decimum sæculum vero Ecclesiasticis, & Episcopis extra sacra munera peculiaris fieri cœpit, quin etiam ipsimet Pontifici, cujus tiara, seu camaurus, pileus est rotundus, & elevatus, cui ornando corona addita est. Bonifacius III. secundam addidit, Benedictus XII. tertiam. Lugduni, & Viennæ, atque alibi Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi eam ad altare gestant. Passim vero Episcopi, atque Abbates Regulares dumtaxat ea uti solent.

De vestium clericalium coloribus. Rubræ vestes nobiliorum Ecclesiarum erant, quarum Ecclesiastici purpurea indumenta gestabant, atque inde Cardinalium peculiaria evasere; tum violaceæ, quæ deinde Episcopis remanserè; reliqui enim clerici nigrum colorem usurparunt, velut omnium communissimum, simplicissimum, atque vilissimum. Ceteroquin in vetustis vitris intuemur presbyteros rubris, & violaceis vestibus indutos, uti hodie sunt clerici, quibus hi colores reliqui fuere. De vestium colore ne Monachi quidem solliciti erant, unde illa S. Benedicti in Regula c. 44. *De colore non cuiuntur Monachi*. Erant in hoc Ordine Monachi nigri, seu fulvi, & Monachi albi. Hinc carthusiani colorem subtus album, superne nigrum servarunt. Cistercienses, cœlestini, & postremi Reformati omnino nigri sunt; Camaldulenses, Fulienses penitus albi. Eustachius Bellæus ioo. sæculo Parisiensis Episcopus Ecclesiasticorum vestes *nigri coloris, aut ad nigrum* proxime accedentis esse debere decrevit, quod & a S. Carolo an. 1565. & a concilio Burdegalensi an. 1583. statutum fuit.

De Clericorum, & Monachorum vestibus. Clerici, cæterique christiani primis Ecclesiæ sæculis iisdem, atque Romani externis moribus vivebant, *ejusdem victus, habitus, & instructus*, inquit Tertullianus Apologu. Hæc autem vestis talaris erat: *Quisque demissam ad talos togam in urbe habeat*, ait lex Romanorum. Franci, & Barbari ætate breviorem vestem gestabant; unde discrimen ortum est inter Clericos, qui vetérem vestem retinuerunt, & laicos, qui eam deseruerunt, idque circa sextum sæculum, nam quinto sæculo Cœlestinus Papa Epistola 2. ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis,

Epi-

Epiſcopos corripit, quod Philoſophorum inſtar palliati, & cincti incederent. Non veſtis, inquit, ſed doctrina, & mores a vulgo vos diſcriminare debet.

Franci breviotibus veſtibus utebantur. Sidonius Apollinaris, *Scriſtius aſſuta veſtes procera coercent membra virum*; & Epiſt. 20. l. 4. Gothi habitum ita deſcribit: *Veſtis alta, ſtricta, veſticular, vix. appropinquans poplitibus exertis*; ideſt eorum veſtes adeo erant adſtrictæ, ut eorum corporum forma videretur; adeo breves, ut genua non excederent.

Decimo quarto ſæculo, atque inſequutis aliis in Gallia, Italia, atque Hiſpania honeſtiores homines, Reges, atque magnates longis veſtibus utebantur. In Oriente promiſſæ veſtes ubique ſervantur, ſi iter facientes excipias. Laici tantum veterem morem deſeruere; Clerici enim Epiſcoporum mandatis, ne breviores adhiberent, coerciti fuere.

Monachi Clericos imitati ſunt, demiſſaſque veſtes ſervarunt; Soli Franciſcani pallium gerunt tunica brevius, quia frequentibus itineribus diſtinentur, ſ. ut Capuccini, Recollecti, &c. illud longe brevius habent ob eamdem rationem; Clerici quoque hoc breve pallium ſaltem propter itinera ſeervarunt, quod veſtis erat & Laicis communis. Quem autem S. Gregorius, ubi de S. Benedicto agit, *Sanctæ converſationis habitum* appellat, id de Monaſticæ vitæ regulis, atque inſtitutis, non de veſtibus accipiendum eſt, fere ut apud S. Cyprianum *habitus, & diſciplina Virginum* regulæ ſunt Virginibus rite inſtituendis; & cum S. Gregorius de S. Romano ait: *Sanctæ converſationis habitum tradidit*, eum innuit profeſſionis Monaſticæ regulas tradidiſſe.

S. Benedictus Diſcipulis ſuis communes patriæ ſuæ pauperum veſtes tribuit; tunicam ſcilicet, cucullum, & ſcapulare ad opus faciendum. Sic Theodemarus Montis Caſſini Abbas 9. ſæculo in epiſtola ſua ad Carolum Magnum teſtatur, ruſticos homines & circa Monaſterium ſuum opus facientes ad ejus uſque ætatem ſcapulari uſos fuiſſe.

Reliqui Religioſorum ordinum conditores veſtes illas adhibuere, quæ in Monaſteriis illis, ubi degebant, uſu receptæ erant. Religioſæ vero mulieres modeſtiorum ſui temporis fœminarum cultum ſervarunt; Velum, redimiculum, faſcia pectoralis, cingulum religioſarum, veſtes ſunt ſæcularium etiam mulierum, quæ elapſis ſæculis vixere, ut in tumulis, aliiſque proxime elapſorum ſæculorum monumentis perſpicere licet.

CAP. XLVIII.

De Affinitate, & Convenientia inter Romanum Breviarium, & Breviaria Eccleſiarum Gallicanarum.

Cum impoſſibile ſit ritus omnes cujuſque ſingularis Eccleſiæ referre, memorabor duntaxat Eccleſiæ Pariſienſis Breviario, atque hoc cum Romano collato, facile ceteris Breviariis applicatio fieri poterit.

Pariſiis nocturnum Officium incipit a *Pater, Ave, & Credo ſecreto*: Idque a Pio V. acceptum eſt. *Domine labia, Deus in adjutorium, Gloria Patri*, Invitatorium, & Pſalmus *Venite*, Hymni omnium Officii Horarum; mutatio ſtrepharum ad finem horum Hymnorum pro quorumdam Feſtorum ratione; diviſio, five partitio Pſalmorum per hebdomadæ curſum; Antiphonæ, atque Capitula eadem ſunt cum Romanis; quemadmodum & mos mutandi Antiphonas ad Pſalmos Matutini Dominicis Adventus, eoſdem verſiculos recitandi, antiphonas Dominicis poſt Septuageſimam uſque ad Paſcha mutandi. Officium a capitulo recitandi, capitulum Nonæ pro capitulo regulæ accipiendi, verſiculos ad preces Nonæ recitandi Feſtis non duplicibus, vel extra octavas (ſolum ad completorium locus mutatur ad *Confiteor*) Orationem *viſita* recitandi, atque poſt eam Antiphonas ad B. Virginem collocandi, eaſque pro tem-

temporibus mutandi. Omnia enim hactenus enarrata a Romano Breviario ſumpta ſunt.

In Officio proprio de tempore per totum fere annum eadem lectio ſit Scripturæ Librorum, quæ Romæ ſervatur. Romanus mos Adventus tempore, atque in Antiphonis, & Verſiculis Dominicarum obſervatur: Miſſæ Epiſtola legitur ad Veſperas, atque ad ceteras Dominicæ horas; Evangelia quoque quatuor Temporum, & Dominicarum leguntur; quod ſi Pariſiis novem ſunt Antiphonæ OO, tot quoque olim Romæ erant. Natalis vigilia, ejuſdem Feſti Officium tam ad Matutinum, quam circa tria Evangelia, atque tres Miſſas, collectas, commemorationem S. Anaſtaſiæ, Antiphonas Laudum, & Veſperarum Pſalmi, cuncta eidem Romano Breviario congruunt, quemadmodum & Officium S. Stephani, atque totius octavæ Natalis. Officium quoque S. Thomæ Cantuarienſis, S. Sylveſtri, Circumciſionis paucis immutatis inde acceptum eſt, velut & Officium Epiphaniæ, ejuſque Octavæ. Septuageſimæ, atque Quadrageſimæ tempore per omnia inter ſe quam ſimilia ſunt; eadem enim quotidie ſunt Evangelia, cum Homiliis ſuper eadem Evangelia; eadem major Hebdomada, atque Paſchalis. Tempore Paſchali hoc tantum diſcrimen habetur, quod Pariſiis tres tantum Pſalmi, & tres Lectiones uſque ad Feſtum Trinitatis dicuntur, quod & olim Romæ fiebat. Poſt Trinitatis Feſtum uſque ad Adventum a Romano Breviario eadem Evangelia accepta ſunt, quæ olim Pariſiis diverſa erant.

Quod ſpectat officium proprium Sanctorum, potior eorum pars accepta eſt, qui Romæ coluntur: ſcilicet S. Nicolaus cum ſex Lectionibus, commemoratio S. Barbaræ, Feſtum Conceptionis cum ſua octava, officium S. Luciæ cum ſuis Antiphonis, Cathedra S. Petri Romæ, atque Antiochiæ; officium S. Agathæ; Feſta S. Thomæ Aquinatis, & S. Bonaventuræ tamquam Doctorum, S. Joſephi, & Joachimi; officium Annunciationis, abſtinentia, & proceſſio die S. Marci, officium S. Joannis Baptiſtæ, Antiphonæ primarum Veſperarum diverſæ ab Antiphonis Laudum, officium S. Petri, officium Sanctiſſimi Sacramenti, Feſtum Viſitationis ſecunda Julii, quod Pariſiis menſe Junio fiebat; Feſtum S. Petri in Vincula: Translatio s. Dominici a 5. ad 4. Auguſti; atque Transfigurationis ad 6. Jejunium, Feſtum, officium, & collecta s. Laurentii: Antiphonæ, & fere totum officium Aſſumptionis; Oratio, & fere totum officium Decollationis s. Joannis: Antiphonæ, & officium Nativitatis B. Virginis; s. Martini; Angelorum, atque etiam Angelorum Cuſtodum. Major cautio Romæ adhibetur circa S. Urſulam, atque Mortuorum commemorationem; hæc enim Romæ obitus inſtar tantum eſt, quod diei officium non impedit; octava ſolemnis omnium Sanctorum; officium s. Martini; officia Præſentationis, s. Cæciliæ, s. Clementis, & s. Andreæ Pariſiis eadem ſunt cum Romanis: adeo Romanis moribus conformes eſſe ſtuduerunt. In communi Sanctorum idem diſcrimen conſpicitur, quod tempore Paſchali circa Apoſtolos, Martyres, atque alios Sanctos, & Sanctas: Breviarium Pariſienſe adhuc ſimilius Romano erat ante recenſionem anno 1682. inſtitutam.

CAP. XLIX.

Quantum interſit populos hortari ad Divinum Officium recitandum, atque illud omnibus aliis Precibus præferendum.

Est jam a nobis ſuperius relatum, quantum SS. Patres, & Concilia populos ſuorum temporum hortarentur, ut diu noctuque Eccleſiæ officiis intereſſent, atque illa omnibus aliis precibus præferrent: Eſt enim reapſe Divinum Officium publica quædam oratio compoſita, atque inſpirata a Spiritu Sancto, quæ omnium Fidelium nomine recitatur. Oratio hæc inſtitutionis Apoſtolicæ eſt. Hinc S. Ambroſius Fidelibus

libus dicebat : tam ad Deum laudandum, quam ad eundem placandum, cum contra vos propter peccata veſtra ſtatus eſt, univerſam Eccleſiam adhiberé, quæ pro vobis orabit, atque tunc vobis concedet, quod jure recuſare poſſet : *adhibet Eccleſiam, quæ pro te oret.* lib. 5. in Luc. Præceptum implebitis, ait S. Auguſtinus, quod ſemper orare jubet, ſi cum Eccleſiæ Miniſtris diu noctuque Dei laudes certis temporum intervallis decantabitis, cum illa dies, & noctes in varias horas dividentes, quibus ipſa Filios ſuos congregat *lib. 1. de hæreſ. c. 57.* Hinc per plurima ſæcula Laici homines nullos alios precum libros, quam quos clerici, habebant, atque ea de cauſſa utrique idem Officium recitabant, quod præſtitit etiam S. Ludovicus Galliarum Rex decimo tertio ſæculo.

Omni autem ævo exiſtimatum eſt, Laicos ad Officium Divinum recitandum teneri. Hinc tot Canones, Parochos ad publicum Officium abſolvendum compellunt nunc diebus ſingulis, nunc Dominicis tantum, atque Feſtis diebus; idque ea ratione, ut illi populus intereſſet, quia Divinum Officium non pro ſolo Clero inſtitutum eſt, ſed pro univerſo Parochiæ populo, ut illi interſit, atque emolumentum inde percipiat *Diſt. 62. Can. ult. cap. 1. extra de Celebratione Miſſ.* Quòd ſi mores hujus ſæculi, ſingulos Parochos ad recitandum, & canendum univerſum officium Dominicis diebus non compellunt, Miſſam ſaltem recitare, populos inſtruere, & Veſperas canere debent, quia populus hiſce omnibus intereſſe debet; unde conſequitur populos Eccleſiæ Officium ſequi oportere.

Hinc SS. Patres nihil Fidelibus magis commendarunt, quam ut ſectarentur, atque uniformiter adhiberent preces Cleri, qui Eccleſiam repræſentarent, quam preces iſtæ apud Deum habent, exprimentes. Curate, ait S. Ignatius *Ep. ad Eph.* ut ſæpe cum Epiſcopo conveniatis, atque cum ipſo eaſdem preces Deo offeratis, ad gratias illi agendas propter ſua dona, atque ad ipſum glorificandum. Nos, ait Tertullianus Apolog. c. 39. per ſocietatem ejuſdem Religionis unum corpus componimus : gregatim coram Deo nos ſiſtimus, quaſi nos ipſos ſimul conjungeremus, ut noſtris communibus precibus ipſius gratias, atque favores extorquere vellemus; hæc enim conſpiratio, atque vis ipſi grata eſt. Hoc ipſum S. Joannes Chryſoſtomus admirabili quadam comparatione nos docet : ait enim, quemadmodum aqua, quæ in exigua quantitate vaſe quodam comprehenditur, ad mare ſola fluere non poteſt; in magnum vero flumen projecta aquarum curſu rapitur, atque cum ceteris fluviis ad mare pervenit: ita cum privatas preces facimus, hæ infirmiores ſunt, quam ut ad Deum pertingere poſſint : verùm cum nos ſimul cum publico conventu oramus, atque tot aliis, qui in Eccleſia orant, conjungimur, tunc validiores infirmos fulciunt, atque oratio noſtra clamore, atque vi Divini amoris, quo tot virorum piorum animæ exuberant, abripitur. Ea re videmus, Apoſtolos, atque primos Fideles vocem unam, unum cor, unamque animam habuiſſe, atque in iiſdem precibus perſevorando, Spiritum Sanctum ſuper Eccleſiam Pentecoſtes die petraviſſe. Re enim vera his tantum communibus Eccleſiæ precibus Deus peccatorum veniam concedit, teſte S. Hieronymo. Eccleſia, ait S. Ambroſius *lib. 2. de pœn.* farcinam noſtram ſibi imponat, oportet, pro nobis fleat, atq; fideles omnes preces ſuas conjungentes veluti tributi quoddam genus efficiant. Fidelium congregatio, ait S. Auguſtinus *Tract. 4. in Joan.* qui cum Eccleſia orant, columba illa eſt, de qua Scriptura meminit, cujus interior pulchritudo adeo accepta Deo eſt, quæ nos a peccatorum noſtrorum vinculis ſolvit, atque conſtringit. S. Leo *ſerm. 3. de jejun.* hoc pacto Eccleſiæ preces extollit ſuper preces alias, quas privata devotio inſpirat, quod illud, quod fere quidam publica, atque univerſali ſervatur, ſanctius, atque magis ſacrum ſit, quam quod private quadam devotione ſuſcipitur: abſolutiſſima enim peccatorum remiſſio obtinetur, cum Eccleſia veniam petit. Si enim Domi-

nus ſe conceſſurum promiſit, quod duo, vel tres uno conſenſu per ipſius nomen petunt, quid recuſaturum exiſtimabimus tot Chriſtianorum myriadibus, qui ipſum eodem ſpiritu orant? Atque ſi Apoſtoli a Jeſu Chriſto petierunt, ut orationem præſcriberet, qua Deum exorare poſſent, Eccleſiam adeamus a Spiritu Sancto inſtitutam, atque formatam, ut ab ea diſcamus, quomodo ipſe digne laudandus, & glorificandus ſit. Ait præterea S. Leo, licet miles Jeſu Chriſti in privatis occaſionibus cum gloria pugnare poſſit; attamen numquam tutius, atque felicius hoſtem debellat, quam cum palam, atque in medio exercitus illi reſiſtit, quod tunc ſolus cum illo pugnaturus non ſit, ſed ductu invicti Regis; atque cum aliis commilitonibus, qui hoſtis impetum cum ipſo ſuſtinere poterunt; minus enim longe periculum eſt, cum plures adverſus hoſtem pugnant, quam cum ſolus; atque difficile fieri poterit, ut vir, qui & propria, & aliorum virtute defenditur, quippe Fidei ſeutum manu geſtat, ictu aliquo feriatur; adeo ut in communi cauſa omnes victoriam referant.

CAP. L.

Reſolutio plurium caſuum circa Breviarii recitationem.

Q. *Eccleſia poteſt ne conſtringere Miniſtros ſuos ad Divinum Officium recitandum omnium membrorum nomine, quibus ipſa conſtat, quorumque Mater eſt?*

R. Affirmative. Sacerdotes veteris Teſtamenti Deo populi Sacrificia offerebant: *Rogabisque pro eo Sacerdos*, ait lex. Idem ait Dominus c. 3. Joel: *plorabunt Sacerdotes . . . . & dicent parce populo tuo.* 1. Paralip. c. 23. Levitæ ſero, atque mane ejus laudes canere debebant. *Sient mane ad confitendum ſimiliterque ad Veſperam.* Ezechias lib. 2. c. 32. Sacerdotes, & Levitas in choros diſtribuit ad canendas Deo laudes: *Ut confiterentur, canerentque in portis caſtrorum Domini.* Sanctus Paulus Heb. 5. ait Sacerdotes inſtitutos eſſe pro hominibus in iis, quæ Dei cultum ſpectant: *Pro hominibus conſtituitur ut offerat*; atque cum Presbyteri Chriſti gregi invigilare debeant, id maxime præſtant precibus, quas diu noctuque offerunt pro fidelibus.

Q. *Illi, qui in Sacris ordinibus conſtituti ſunt, tenenturne quotidie recitare Divinum Officium?*

R. Affirmative. Vide quartum Concilium Toletanum *Can.* 1. *ſæcul.* 6 *quotidie aut in publico, aut in privato Officio præſenterit . . . . ordinis ſui honore privetur.* Vide Reginonem lib. 1. c. 208. *Presbyter perſolvat penſum ſervitutis ſuæ canendo Officio*, quæ verba ſunt Canonis Concilii Namnetenſis ſæc. 9. Chrodogangus c. 27. regulæ, *cap. Presbyter. Extr. de celebratione Miſſarum.* Concilium Baſileenſe *ſeſſ.* 21. *can.* 9. *Quicumque beneficiatos, ſeu in Sacris conſtitutos, cum ad horas canonicas tenentur, ut & diurnum, nocturnumque Officium reverenter, verbisque diſtinctis pronuncient*: Concilium Lateranenſe V. ſeſſ. 9. atque alia Concilia.

Q. *Excommunicatio ſolvitne ab onere recitandi Breviarii?*

R. Negative. Onus enim iſtud conjunctum eſt majorum ordinum characteri, vel titulo beneficiali; neque æquum eſſe videtur, ut crimen, quod excommunicationis pœnam conciliavit, ab onere ſolvat, quod innocens præſtare deberet. *Vide de Sentent. Excomm.* in corpore Juris. Attamen excommunicatus choro intereſſe non poteſt, neque Officium recitare cum reliquis Miniſtris juxta eumdem Canonem; quod intelligitur etiam ex can. 4. Concilii Antiocheni; immo neque extra Eccleſiam cum ſocio illud recitare poteſt; omnis enim Societas, atque conjunctio in rebus ſpiritualibus per excommunicationem interdicta eſt. Clericus in majoribus Ordinibus conſtitutus damnatus ad triremes, eadem lege tenetur, propter characterem; ſi facultas id præſtandi ipſi concedatur.

Q. *Beneficiati, qui majoribus Ordinibus*

III. & IV. concilium Mediolanenſe, & per concilium Aquilejenſe an. 1596.

Q. *Cujus peccati rei ſunt, qui Breviarii legem non ſervant?*

R. Rei ſunt peccati mortalis, idque definitum eſt in conciliis Mediolanenſibus, in Rotomagenſi an. 1581. in Aquiſextienſi an. 1585. & in Aquilejenſi an. 1596. quia Deus debita laude privatur, neque munus ab Eccleſia clerico commendatum abſolvitur, fundatorum intentioni fraus injicitur, atque gratiis huic operi conjunctis ſponte renunciatur; peccatum vero iſtud committitur, cum ſine legitima cauſa prætermittitur vel totum officium, aut pars notabilis ejuſdem.

Q. *Infirmitas, vel negotia poſſuntne ab Officio excuſare?*

R. Si infirmitas notabilis ſit, nemo officium recitare tenetur, velut & lex jejunii ceſſat, cum jejunium graviter valetudini noceret. At ſi recitatio cum morbo conſiſtere poſſit, officium inſervire debet ad obtinendam a Deo ſalutem, atque in dubio medicorum judicio, vel piorum, & doctorum hominum conſilio ſtandum eſt; neque enim mens eſt Eccleſiæ filios ſuos gravis morbi periculo exponere. Ita & cum neceſſario ingruentibus negotiis vacandum eſt, neque ea in aliud tempus, vel ſine periculo, vel ſine ſcandalo rejici poſſunt, ut ſi Confeſſionale deſerere non poſſis majori quodam Feſto, Breviarii lex penitus ceſſaret.

Q. *Tenetne Breviarii lex, ſi phyſice ſit impoſſibile illud recitare?*

R. Qui Breviarium non habet, vel illud legere non poteſt, aut invenire nequit, veluti dum iter fit, illud recitare non tenetur. Quod ſi culpa propria amiſerit, aut illud invenire ipſemet impoſſibile effecerit, peccatum eſſet notabile; verum recitare debet quidquid memoria tenet, ſatisfaciendo debitorum inſtar pro virium modo, vel per alias preces, aut meditationes, aut per alia bona opera. Cœcus ab aliquo recitari curare debet, dummodo vires ſuppetant ſubſidium iſtud procurandi, atque coram ſe perlegi, memoriter ſi fieri poteſt recicando, quæ legi audiverat. Canonicus mutus, & cœcus tenetur ſaltem officio in choro adeſſe; ita enim ædificationis ſaltem erit ejus præſentia, atque pro virili, ut Officium ſolemnius ſit, efficiat. Quod ſi quis dubitet, an officium, vel Horarum aliquam recitaverit, ſi dubium iſtud ſcrupulo tantum, aut levibus rationibus nitatur, tuto negligi poteſt; verum ſi rationes iſtæ aliquam licet exiguam ſoliditatem habeant, rurſus recitandum eſt, quod a nobis omiſſum credimus, atque tutior pars amplectenda eſt. Iter facientes a Breviarii recitatione non excuſantur. S. enim Gregorius Nazianzenus in itinere, quod in Arabiam cum ſuis Sociis inſtituerat, vehiculo tamquam Eccleſia utebatur ad concinendas Deo laudes. S. Germanus Pariſienſis officium ſuum nudo capite in itineribus recitabat.

Q. *Quem ritum ſequi debemus in Breviario recitando?*

R. Plerique omnes Canoniſtæ in eam ſententiam conveniunt, Beneficiatos officium Eccleſiæ, vel Diœceſeos, in qua Beneficium poſſident, recitare debere, Religioſos vero officium Ordinis, in quo profeſſionem ediderunt. Præterea eos, qui choro adeſſe debent, ſive Beneficiati ſint, ſive non ſint, Romanum privatim recitare poſſe; verum Beneficiatos conſultius facere, ſi officium Diœceſeos recitent, in qua Beneficium poſſident, quemadmodum & illi, qui firmiter ibi degunt; alii vero docent, cum Epiſcopus nominatim juſſerit, ſuæ Diœceſeos Breviarium ſervandum eſſe, neque eos, qui patrimonii, neque eos, qui beneficii titulo ordinati ſunt, Breviarii obligationi ſatisfacere, Romanum recitando. Prior ſententia majori auctoritate nititur, atque confirmatur Clementis V. decreto, qui ſinit, Eccleſiaſticos, atque Religioſos Cardinalium aſſeclas Romanum Breviarium recitare, atque eos ab alterius recitatione immunes pronunciat *Indulgemus ſc. Dudum*, Conc. Viennenſis Attamen cum ab Epiſcopo nominatim cautum eſt, ut Diœceſeos officium recitetur, quemadmodum facultatem habet rationem præſcribendi, qua præcepti

ſubſtantiæ, quod ad Breviarium obligat, ſatisfaciendum ſit, ſatius eſt ejus voluntati parere ad uniformitatem hoc in negotio ſervandam.

Quod ſi objiciatur, Pium V. an. 1568. in ſua Bulla *Quod a nobis*, abolere omnem uſum cujuſque Breviarii a Romano diverſi, atque declarare, nullum eorum, qui Divinum Officium recitare tenentur, præcepto Eccleſiaſtico ſatisfeciſſe non eſſe cenſendos, ſi Romanum Breviarium non recitent, reſpondendum eſt, Bullam hanc ad Eccleſias illas non ſpectare, quæ a tempore immemoriali, vel ſaltem ducentorum annorum, antequam illa in publicum ederetur, alio officio quam Romano utebantur, quemadmodum ipſe Pontifex adnotavit; eamque demum ad eos tantum pertinere, qui vel jure, vel conſuetudine tenentur ſequi mores Eccleſiæ Romanæ: reliquas vero Eccleſias, Ordines, atque Communitates in jure, atque poſſeſſione peculiaria officia habendi reliquiſſe.

Q. *Eccleſiaſticus poteſtne voluntarie recitare Officium pro alio Officio?*

R. Negative; id enim neque electionis, neque arbitratus privatorum eſt: debet quiſque ſe conformare Eccleſiæ, cui adhæret; vel ſaltem Eccleſia quod officium eamdem libertatem non ſtatuit, quam presbyteris permiſit Miſſas votivas celebrandi, & in Miſſa officio ſe non conformandi.

Q. *Quid agere debeat is, qui alterum officium pro altero recitavit?*

R. Qui incog tanta id præſtitit, minime eſt excuſandus; prævidere enim debebat recitandum Officium. Quod ſi bona fide id egerit, Officium rurſum recitare non tenetur; prius vero, ſi per tempus licuit, conſultius ageret, ſi Breviarium rurſum a capite inciperet.

Q. *Beatiſſe, quæ ritum Romanum ſequuntur, teneantur ne recitare in Choro minus Officium B. Virginis, vel Defunctorum?*

R. Pius V. ait, eas ad hoc teneri, ſi id ſervaverint ante Bullæ ſuæ publicationem: hinc in Dioeceſibus, atque Religionibus Ordinibus, ubi Officia hæc præcepta ſunt, quilibet præter Breviarium ſtatis diebus ea recitare debet, vi ſtatutorum id jubentium.

Q. *Quo tempore recitanda ſunt Officii Horæ?*

R. Sane valde commendabile eſſe ea recitare horis illis, quarum nomen præferunt, atque pro virili, veterem Eccleſiæ morem ſequi, & quam pauciſſimas fieri poteſt Officii Horas ſimul conjungere: præterquam enim quod Eccleſiæ intentioni id melius reſpondet, ſæpius etiam hoc pacto ad noſmet ipſos redimus; mentis evagationem propter curas exteriores evitamus, atque commodius Breviarii penſum abſolvimus, ſi pluribus intervallis recitetur. Ad hæc partitio iſta pronunciationis difficultatem levat, atque mentis attentionem conciliat. Frequentiſſimus uſus eſt Matutinum, & Laudes recitandi ante Solis ortum, Primam, & Tertiam poſt Solis ortum, uſque ad horam nonam, vel decimam, Sextam meridie, Nonam medio inter veſperas tempore, & Veſperas, atque Completorium circa Solis occaſum. Qua in re quilibet eccleſiæ Cathedralis morem ſequi poteſt.

Q. *Teneatur ne Officium recitare, to Ordine, quem Eccleſia præſcribit?*

R. Affirmative; immo grave peccatum eſſet, ſi voluntatie, atque cum ſcandalo aliter fieret.

Q. *Eſt ne peccati reus, qui Miſſam recitat ante Matutinum, & Laudes abſolutas juxta Canonum mandata?*

R. Sacerdos juſta, atque rationabili cauſſa, hora, vel aliquo charitatis officio urgente, tam pro audiendis confeſſionibus, quam ad conſecrandas Hoſtias pro populi, vel infirmi Communione, nullius peccati reus eſſet; hæ enim regulæ Matutinum, & Laudes ante Miſſam recitandi niruntur ſolo veteri more, Miſſam ſolemnem poſt eas Horas tantum recitandi: verum conſuetudo cogit aliquando Miſſam celebrare ſummo mane propter fidelium devotionem; ut illud præteream, quod Natali Miſſa ante Laudes noctu dicatur.

Q. *Quo loco Breviarium recitandum ſit?*

R. Beneficiati, qui Choro intereſſe tenentur, in Eccleſia, ubi ipſorum titulus

tulus est, atque loco a consuetudine sacro huic muneri destinato recitare debent. Reliqui Ecclesiastici Breviarii obligationi ubivis satisfacere possunt, dummodo loca non sint parum decentia, atque minus decora, si id alibi recitare possint; sicut nec locis illis, ubi distractionibus expositi essent : *Tali in loco, unde a devotione non retrahatur*, ait Concilium Basileense. Rectus ordo, atque exempli auctoritas postulat, ut Episcopus Chorum sæpe adeat, præcipue Dominicis, & Festis diebus, velut & Parochi, atque Officium in suis Ecclesiis canant; quia Divinum Officium non solum pro Ecclesiasticis institutum est, sed etiam pro universo Parochiæ populo, illique plerumque, ut intersint, emolumenta percipiant.

Q. *Capitulum potest ne se a lege solvere quotidie universum officium in Choro cantandi ?*

R. Propria auctoritate id tentare nequeunt, sed tantum cum Episcopi dispensatione, qui ubi reditus imminuti sint, atque onera nimium gravia, potest piam fundatorum voluntatem interpretari; quemadmodum & ubi reditus aucti sunt, Episcopus dispensationem revocare potest, atque Canonicos cogere ad officium universum in choro canendum.

Q. *Quo habitu, vel statu Officium recitandum sit ?*

R. Qui choro interesse tenentur, eo habitu adesse debent, qui a corpore collegii illius adhiberi solet, eoque præterea ad gravitatem atque modestiam composito : *Gravitatem servent, quam locus, & Officium exigunt*, ait Concilium Basileense, stantes vel sedentes, vel genibus flexis pro chori consuetudine : esset enim minus recta devotio genibus flexis orare, cum Chorus stando officium recitat. Verum si privatim recitetur Psalmi stando, vel sedendo, aut genibus flexis absolvi possunt, Cantica vero, atque Versiculi stando. Ceterum ad Ecclesiæ spiritum magis accedit, si stando recitetur, atque nisi ad Lectiones sedeatur, genua vero flectantur cum Rubricæ id jubent.

Q. *Tenetur ne ad restitutionem qui breviarium non recitavit ?*

R. Quemadmodum omne beneficium præcipue propter Officium datur, ita Beneficiatus, qui breviarii recitationem omisit, fructus ab omissionis die perceptos restituere debet; quod & naturali jure nititur, & V. Concilio Lateranensi sub Leone X., atque constitutione Pii V. *ex proximo*, quibus locis statuitur, fructus restituendos esse pro rata temporis, & quantitatis Officii, cujus recitatio omissa est : eum, qui Matutinum omisit, medietatem fructuum ejus diei amittere; illum vero, qui Matutinum recitavit, reliquas autem horas omisit, semissem quoque amittere, sextam vero partem pro cujuscumque Horæ omissione.

Q. *Quinam censendi sunt Officium omisisse, ut ad restitutionem teneantur ?*

R. Illi, qui Officium vocaliter, atque externe non recitarunt; neque enim sufficit sola lectio, aut alios recitantes audire, nihil vero verbaliter pronunciaret, sed revera recitandum est. Ita & qui semel cum alio Officium recitat, si socium in Hora aliqua, vel pluribus antevertat, partes istæ pro omissis habentur. Idem dicendum est de illis, qui sine attentione atque cum voluntariis distractionibus recitant : omnis enim oratio *est mentis elevatio ad Deum*, atque Ecclesia mentis attentionem, & cordis devotionem exigit : *ut Divinum Officium studiose celebrent, & devote*, ait Concilium Lateranense sub Innocentio III. Quibus fit, ut beneficiatus, qui habitudinem peccati mortalis habens, in ea persistere cogitat, neque vel leviter ab ea exire cupit, Ecclesiastico præcepto de Breviarii recitatione non satisfaciat

Q. *Possunt ne assignari distributiones quotidianæ Canonicis, qui aliquibus tantum Psalmis, vel Divini Officii Horis interfuns, præcipue cum id confirmatum est a Statutis, vel Consuetudinibus immemorialibus singularium Capitulorum ?*

R. Negative; quippe juxta Concilium Tridentinum distributiones pro universis, vel singulis Officii Horis assignatæ sunt, ut cultus Divinus nullo modo imminuatur, atque Officium quotidie

tidie eo quo par eſt decore, atque ſolemnitate peragatur ; *Ne qua in parte diminuatur Cultus Divinus* Seſſ. 24. Quod ſi diſtributiones iis aſſignentur, qui ab aliqua Officii parte abſunt, divinus cultus aliqua parte imminueretur. Hinc Statuta, & Conſuetudines contrariæ, habenda ſunt pro abuſibus, qui originem a deſidia, atque negligentia clericorum acceperunt; Eccleſiæque Spiritui adverſantur, atque Sacros Canones indigne infringunt, quemadmodum eſt a Concilio Baſileenſi declaratum. *Tollans prorſus abuſum illum, quo in una hora dumtaxat præſens, totius diei diſtributiones uſurpat.* Ita & Concilium Aquiſextienſe, & Burdigalenſe anno 1624. *Sed abuſum illum, quo in una hora, aut duabus Officiorum Divinorum præſens, totius diei diſtributiones uſurpat, tolli propius, & aboleri præcipimus.* Anno 1607. Senatus Pariſienſis abuſus damnavit Statutum canonicorum Aurelianenſium, juxta quod, qui unicæ horæ præſens erat, reliquarum etiam horarum diſtributiones lucrabatur. Vide Fabretum in ſuo Tractatu de abuſu l. b. 7. c. 1.

CAP. LI.

Excurſus in Libros horarum, ſive precum, quæ in manibus populi verſantur.

INter potiſſima Epiſcoporum munera annumerandum eſt vigilandi ſtudium circa preces, quæ diſtribuuntur, vel excuduntur in ipſorum Dixceſibus, atque ne recitentur vetandæ, niſi ſint ab ipſis approbatæ. Ex prioribus ſæculis diſcimus, antequam Eccleſia officium certa ratione diſtributum haberet, nihil in fidelium conventibus recitatum fuiſſe, quod prius a toto conventu approbatum non eſſet. Hac de cauſſa concilia toties juſſerunt, ut preces ab Epiſcopis loci approbatæ eſſent. Quare ubi comparatio inſtituitur inter minores iſtas Horas, quæ inter populi manus diſperguntur, cum illis, quæ in Romano collectario pro feſtis ſingulis, atque pro omni occaſionum genere adeo magno numero ſunt, quam magnum diſcrimen percipitur inter utrarumque elegantiam, ſoliditatem, & pios, teneroſque ſenſus quos inſpirant.

Preces iſtæ veterem *Horarum* inſcriptionem retinuerunt, ut ſignificarent, eas veterum more collectiones eſſe Horarum canonicarum Eccleſiæ, cum revera ſolæ Dominicæ, & feſtorum veſperæ ibi inveniantur; reliqua omnia nihil commune habeant cum Officio Eccleſiæ. Verum quid magis decet quam pro Matutina oratione dicere, *Domine labia .... Deus in adjutorium .... Gloria Patri .... Invitatorium Venite adoremus Dominum qui fecit nos*; Tres priores Verſiculos Pſalmi *Venite*. Pro adorationis actu capitulum Primæ, *Regi ſeculorum*, & ceteras omnes preces quæ ſequuntur, *Pater*, *Credo*, *Confiteor*, Orationem *Domine Deus Omnipotens*: pro Sanctorum invocatione *S. Maria*, & *omnes Sancti*: ad benedictionem operi ſuo conciliandam, *Reſpice*, Orationem *Dirigere, Dominus nos benedicat*; pro Defunctis, *Fidelium animæ*: pro Veſpertina Oratione: *Converte nos .... Deus in adjutorium*, Pſalmos, *In te Domine ſperavi*, *Ecce nunc*, capitulum, Verſiculum, *In manus*, Canticum, *Nunc dimittis*, cum ceteris precibus quæ ſequuntur, interſerendo *Pater*, *Confiteor*, *Viſita*, *Dominus nos benedicat*: pro Miſſa, Ordinarium Miſſæ: pro Sacramento Pœnitentiæ, *Miſerere*, *De profundis*, *Confiteor*: Pro communione, poſtremæ duæ Orationes, quas Sacerdos ante Communionem recitat: pro gratiarum actione, *Te Deum*. Quilibet juſtus rerum æſtimator fatebitur, preces iſtas longo intervallo ſuperare formulas omnes precum a privatis compoſitarum, qualeſcumque ii demum ſint.

Summi etiam Principes Tridentino concilio proponi curaverunt, ut preces populo, & clero proponendæ emendarentur. Galliarum Rex per Cardinalem Lotharingiæ petiit, *ut Divinum Officium pure perageretur*; *ſuperſtitiones omnes amputarentur*, & *veiicerentur*, *ceteraque omnia*, *quibus populus ſub pietatis ſpecie falli*

falli poteſt, aut in detrimentum ſummi uti. Excerptum ex precibus anno 1572. oblatis, quæ inter Concilii Acta inveniuntur. Imperator quoque petiit: *Breviaria, Miſſalia, purganda, ea reſecanda omnia, quæ non ex Divinis ſint deſumta literis, habito orationum delectu.* Imperator Carolus V. idem propoſuit in conventu Auguſtano anno 1548. *In formam precum, & orationum ab antiquis Eccleſiæ Patribus traditum, temporum vitio multa inepta, apocrypha, parumque ad ſinceram cultum pertinentia emendentur.* Poloniæ Rex in ſuo edicto anno 1526. jubet: *Ut nullæ deinceps orationes, cantiletnæ, & id genus inſolita dicantur, niſi quæ fuerint ab Epiſcopo approbata.* Cur demum Epiſcopi peculiarem curam non habebunt circa populorum preces, qualem pro cleri precibus habent? Concilium Remenſe anno 1581. id omnibus ſuæ Provinciæ Epiſcopis commendat; *Ut diligenter inſpiciant, & examinent ſuarum Dioeceſium precules horarias . . . . ne quid contineant contrarium doctrinæ Catholicæ, aut aliquid, quod ad ædificationem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & morum pietatem non pertineat.* Concilium Mediolanenſe IV. ait, non minori diligentia opus eſſe ad eradicandas falſas devotiones, quam ad ſtabiliendam, & augendam Religionem, chriſtianamque pietatem, mandatque Paſtoribus, ut huic rei ſedulo invigilent, quo remedium aliquod tanto malo in ſynodo afferri poſſit.

Verum illud hac in re cavendum eſt, ne in oppoſitam ex adverſo partem tranſcurramus, nimis curioſe quaſdam precum noſtrarum loquendi rationes, ſub examen revocando. Chilpericus Rex uti nolebat *perſonæ* voce in Trinitatis negotio, quod exiſtimaret eam ſolis hominibus convenire. Laurentius Valla putabat minus latinum eſſe, ſi quis *perſonæ* voce utatur ad hominem quendam ſignificandum, affirmabatque apud prioris latinitatis Scriptores pro qualitate tantum, atque apparentia quadam uſurpari; Cicero tamen, & Jureconſulti, quorum latinitas puriſſima eſt, ſæpe hac voce pro perſonis ipſis uſi ſunt. Luxherus, & Calvinus pati nolebant, ut cum Trinitas invocatur, diceretur, *Sancta Trinitas, unus Deus*; attamen id veteri Eccleſiæ uſu confirmatum eſt, veriſſimumque eſt dicere, tres Perſonas unicum Deum eſſe. Petrus Damianus orationem iſtam tuetur; verum illos improbat, qui eam in Litaniis ter repetebant, quaſi Trinitas perfectior eſſet, quam ſingulæ perſonæ ſingillatim acceptæ. Hincmarus Remenſis locutionem iſtam damnabat, *Trina Deitas*, quam e contra Ratramnus, & Gotheſcalchus tuebantur; accipi tamen poteſt etiam de tribus Perſonis, eas ab eſſentia non ſeparando, cum Hincmarus de tribus Deitatibus, vel tribus Naturis eam videretur intelligere, quemadmodum poſtea Goſſelinus aſſeruit. Ceterum *triplex Deitas* cum plures Naturas ſignificet, hoc ſenſu Trinitati convenire non poteſt, niſi per eas demonſtrentur Perſonalitates, relationes, & proceſſiones. Chriſtianorum aures non patiuntur dici, tres Deos exiſtere, quod tres ſint Perſonæ, quæ eamdem Divinitatem habent. Attributa eſſentiæ convenientia æque multiplicari non poſſunt, atque adeo dici non poteſt, *tres Sancti, tres Boni*, eſſetque ſuperſtitio exiſtimare, nos ob favorem aliquem uni Perſonæ magis, quam alteri Trinitatis debere, quia omnes gratiæ nobis collatæ, tribus Divinis Perſonis æque debentur. Poteſt tamen ſpeciales cultus Perſonæ alicui tribui, beneficium aliquod per appropriationem illi tribuendo, quemadmodum & peccata nonnulla cenſentur magis oppoſita uni e Divinis Perſonis, quam alteri, propter attributum illius proprium, ut blaſphemia, quæ peccatum eſt contra Spiritum Sanctum. Quæri ſolet, poſſit ne fieri feſtum ſpeciale Dei Patris? Verum cum Eccleſia illud hactenus non inſtituerit, æquum eſt credere non ſine ratione id factum fuiſſe. Summopere evitandæ ſunt peculiares quædam Devotiones, phanaticorum inventa, ut cujuſdam ex Oratorio Sueſſonenſi, qui Jeſum Chriſtum expirantem, a Jeſu Chriſto moriente diſtinguens, feſtum Jeſu Chriſti expirantis inſtituendum proponit feria ſexta majoris Hebdomadæ. Huic ſimilis eſt aliorum devotio, qui

qui festum Cordis Jesu Christi celebrant die octavam S. S. Sacramenti sequente, ad errores expiandos in ea octava minus recte celebranda admissos, atque præterea devotiones captivitatis Jesu Christi, & B. Virginis : Ecclesiæ enim universalis Spiritum, atque mores unice sectari debemus.

CAP. LII.

Excursus in veterem disciplinam, quam olim Canonici Ecclesiæ Parisiensis, & cæterarum Galliæ Cathedralium observabant.

VEterem Disciplinam istam ad octo capita revoco. 1. Clericos, & Canonicos Cathedralium renunciavisse olim patrimonio suo, atque vestes in commune habuisse. 2. Eodem in loco, sive claustro prope Ecclesiam conclusos fuisse, quo aditus mulieribus negabatur. 3. In eodem omnes dormitorio cubasse. 4. In eodem refectorio in commune vivere consuevisse. 5. Plures alios Monasteriorum mores servavisse. 6. Superpelliceum ad talos usque descendens gestasse. 7. Cappam anterius clausam habuisse. 8. In Ecclesia cecinisse.

1. *Clerici, & Canonici Cathedralium patrimonio suo renunciarunt, ut perfectiorem vitam ducerent.*

Bonorum communio in primitiva Ecclesia passim usurpata fuit ab omnibus Christianis, qui proprietati bonorum suorum renunciabant, ut ea in commune conferrent : *Et erant illis omnia communia*. Id ab Apostolis peculiariter Clericis mandatum fuit, quos perfectiorem vitam ducere oportebat, atque a terrestribus bonis minus impeditam, quod Deum pro hæreditate sua elegissent : *Dominus pars hæreditatis meæ*. S. Marcus Clericos in Ecclesia Alexandrina instituens, mores vitæ communis, & Apostolicæ illis tradidit, quæ præcipue in eo sita erat, quod bonorum suorum dominio, ut ea in commune conferrentur, renunciandum esset, quemadmodum ex Eusebio Cæsarensi discimus, qui Philonis locum in Alexandrinorum Christianorum favorem referens l. 2. Hist. c. 16. *In quibus supradictus vir Apostolicus (scilicet S. Marcus) Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem Apostolicæ, atque Evangelicæ traditionis intexuit*.

Inde cum charitas primorum Christianorum refrigu isset tam apud clericos, quam apud Sæculares, atque perfectionum rigor Communitates separasset, quod fideles in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ latere cogerentur, postquam pax Ecclesiæ rursum reddita fuit a Christianis Imperatoribus, complures pii Episcopi sanctos istos mores in Clero suo restituere conati sunt, ut S. Eusebius Vercellis, cujus S. Ambrosius mentionem faciens in Panegyrico ait : *Ut esset in ipsis viris* (ideſt *Clericis*) *contemptus rerum, & accuratio Levitarum*.

Cum S. Augustinus ab eo rationem Clericos dirigendi didicisset, atque vitam, quam illi ducere debebant, quamprimum Ecclesiæ Hipponensis in Africa coadjutor constitutus fuit, Communitatem Clericorum instituit, ut vitæ Apostolicæ consuetudo illa reviviscceret, quæ inter primos Christianos, atq; primi sæculi Clericos usu recepta fuerat. Audiamus quomodo Discipulos suos alloquatur in lib. 1. de communi vita Cleric. cum mentem suam explicat eos in commune congregandi. *Nostis omnes, aut pene omnes, sic nos vivere in ea Domo, quæ dicitur Domus Episcopii, ut quantum possumus imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia*. Occasione loci hujus duo confideranda sunt ; prius S. Augustinum loqui de Clericis, sive Canonicis Cathedralis : *Sic nos vivere in ea Domo, quæ dicitur Episcopii*. Posterius, velle eum in Ecclesia sua Hipponensi primorum Ecclesiæ Clericorum vitam restituere : *ut imitemur Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum*.

Agit deinde apertius de paupertate voluntaria, quam servari curabat, deque omnibus relinquendis. *Capi*, inquit, *fratres colligere compares meos nihil habentes, sicut nihil habebam, & imi-*

tan-

vantes me, ut quomodo ego tenue paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi, qui mecum esse voluissent, & de communi viverent, commune autem nobis magnum, & uberrimum prædium ipse Deus.

Respondere aliquis posset, S. Augustinum Clericos tunc allocutum, qui cum ipso in Monasterio vivebant, non Clericos cathedralis cujusdam. Verum hæc difficultas solvitur ex consequentibus; *volui habere in domo ista Episcopii mecum Monasteria Clericorum: ecce quomodo vivimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium; sed forte aliqui habent? Nulli licet, faciunt quod non licet.* Constat ergo ex his verbis, Clericos ejus cathedralis servasse paupertatem communionis bonorum tam in Episcopatu, quam in Monasterio.

S. iste Doctor hæc omnia confirmat alio adhuc efficaciori loco ex eodem libro petito. *Noverit Charitas vestra dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, aut commune illud faciat.*

Consuetudo ista vitæ inter Clericos communis non tantum eo tempore in Africa vigebat, sed & Juliani Pomerii Mauritani, Sacerdotio Arelate in Gallis initiati, ubi Rethoricam docuit anno 478. qui hac in re S. Augustinum imitatus, quem Patris loco habebat, voluit, Canonicos cathedralium eadem libertate vivere, qua Hipponenses. Audiamus ipsissima ejus verba l. 2. de Vita contempl. c. 2. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & propriæ perfectionis amore contemni, non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates, & ideo quisque omnibus, quæ habuit, dimissis, aut venditis, sit rei suæ contemtor, cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesiæ, efficitur dispensator.*

Idem Scriptor eadem de re agere pergens, ait deinde lib. 2. c. 11. *Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensandæ, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua reliquit, aut Ecclesiæ rebus adjunxit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tamquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque quod pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit cum perfectione virtutis, vitæ necessaria, sive in Domibus suis, sive in Congregatione viventes accipiant, qui ad ea accipienda non eos habendi cupiditas duxit, sed cogit vivendi necessitas.* Animadvertendum autem est, non esse Abbates, qui Cœnobitis loquantur de exercitio paupertatis voluntariæ; verum pios Episcopos, atque magnos Doctores, clericis, & canonicis Ecclesiarum, *quos pauperes voluntas fecerat.*

Distinguenda præterea sunt cum scriptore isto duo clericorum genera, *sive in Domibus suis, sive in Congregatione viventes*; qui omnes paupertatem custodire debebant, atque bonis patrimonialibus renunciare. Eandem distinctionem videre est apud S. Isidorum lib. 2. de officiis: *Sunt duo genera Clericorum, unum Ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium, alterum Acephalorum, ideoque sine capite, quorum quidem sordida, & infirma numerositate satis superque nostra pars occidua pollet.* Credibile autem est, Clericos istos, *qui sub regimine Episcopali erant*, eos ipsos fuisse, qui in commune *in Episcopiis vivebant*; reliquos vero, qui *Acephali erant, ideoque sine capite, quia quem sequantur ignorant, hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos Religio retinet Divina.* Erant illi scilicet homines ab omni tum Civili, tum Ecclesiastico munere vacui; neque tamen existimandum est, eos Episcopis subditos non fuisse, quia Clerici Diœcesano semper parere debuerunt; verum potius homines, qui ut liberius viverent, in privatis domibus degebant nulli Ecclesiæ conjuncti, neque ulli servientes: *quorum numerositate satis superque nostra pars occidua pollet.* Probe adnotanda sunt hæc duo Clericorum genera ad Conciliorum canones intelligendos, ne iis, qui in commune vivebant, ea tribuamus, quæ de Acephalis dicta sunt, qui singillatim vivebant.

Infecutis quoque ſæculis facile eſt demonſtrare conſuetudinem iſtam vitæ communis, & paupertatis inter clericos voluntariæ. S. Gregorius Papa, qui circa annum 600. floruit, S. Auguſtino ſcribens, quem in Angliam miſerat ad eam nationem convertendam, illique præſcribens vitæ rationem, a Clericis, qui cum ipſo in Eccleſia ſua vivere debebant, ſervandam, ait: *Quia tua fraternitas Monaſterii Regulis erudita ſeorſum non debet fieri a Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, hanc debet inſtituere converſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, e quibus nullus eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebant, ſed erant illis omnia communia.* Apud Gratian. cap. quia tua. fratern. 12. qu. 1.

Ex his omnibus teſtimoniis ſatis clare conſtat, quinam fuerit Eccleſiæ ſpiritus prioribus ſæculis, quod bonorum diſtributionem ſpectat, atque patrimonii Clericorum, vel Canonicorum, qui incommune vivebant cum Epiſcopis prope Eccleſias cathedrales; neque difficile eſt animadvertere, SS. Doctores, pro perfectiſſimo Ordinis Clericalis ſtatu ſemper habuiſſe paupertatem voluntariam, & ab omni exteriorum bonorum, atque patrimonii, & temporalium commodorum onere libertatem, quæ fere efficere ſolent, ut hæreditatem cum Deo habeamus: *Sicut de eis ſcriptum eſt*, ait S. Iſidorus, *ego hæreditas eorum, loquente Domino, unde oportet, ut qui Deum hæreditate poſſident, abſque ullo impedimento ſæculi Deo ſervire ſtudeant, & pauperes ſpiritu eſſe contendant*: unde colligitur, Clericos, & canonicos, qui patrimonio fruuntur, impedimentum ſæculi habere, atque inde juxta perfectionem ipſorum ſtatus, atque conditionis non vivere.

Verum licet Sancti Patres ſemper exiſtimaverint, perfectionem vitæ Clericalis fieri eſſe in obſervatione paupertatis Evangelicæ, eamque ſemper commendaverint iis, qui ſub eorum ductu vivebant, attamen ſæpius coacti ſunt aliquid remittere, humanæque infirmitati concedere, quod zelus ipſorum cetera recuſaſſet. S. Auguſtinus ſub initium inſtitutionis Clericorum ſuorum acriter mori huic ſervando inſiſtebat, adeo ut clericali loco moverit eos, qui in communitate ſua aliquid proprium retinebant, idque deferere, vel in commune conferre nolebant. Nihilominus ſententiam poſtea mutavit, ſatiſque habuit, eos a ceterorum clericorum, qui ſæcul vivebant, ſocietate ſejungere, eos inter clericos haberi patiens: *Ecce in conſpectu Dei*, inquit, *de veſtro munere conſilium, qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ejus: maneant ubi velint, ubi poſſint, eis non aufero Clericatum.*

Julianus Pomerius Magiſtri ſui veſtigia ſecutus, poſtquam Clericos ſuos hortatus eſt ad amorem paupertatis voluntariæ, atque ad renunciandum omnibus bonis, addit deinde: *Illi autem, qui tam infirmi ſunt, ut poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſint, ſi ea, quæ accepturi erant* (ſcilicet de bonis Eccleſiæ) *diſpenſatori reliquant, nihil habentibus, ſine peccato poſſident ſua.*

Cum vero Concilia, & canones paſſi ſunt, Clericos, vel Canonicos bona propria poſſidere, largiri, & accipere, id de clericis privatim viventibus accipiendum eſt, quales tunc fuiſſe eſt jam a nobis demonſtratum; vel ſi id etiam de canonicis dici poſſit, qui in Cathedralibus in commune vivebant, id intelligendum eſt ea ratione, juxta quam S. Paulus ait: *Secundum indulgentiam, non ſecundum præceptum*. Sane celebre illud Concilium Aquiſgranenſe, quod præcipue congregatum fuit ad Galliarum Cathedrales reformandas, ideo tantum illis permiſit *dare, & accipere proprias res, & Eccleſiæ poſſidere*, quod plurimæ difficultates obviæ eſſent reſecare volentibus morem, ab aliquot ſæculis a clericis jam uſurpatum. Satis quidem intelligitur Concilium iſtud rem in priſtinum locum reſtituere noluiſſe, & ut vita communis, & ab omni proprietate ſoluta juxta puritatem ſuam inter Canonicos reviviſceret, curare, quia tamquam regulam, atque exemplar pulchras illas S. Auguſtini, & Juliani Pomerii ſententias a nobis paulo ſupra relatas ipſis proponit, ut ſaltem

saltem cognoscerent, quæ perfectio ipsorum status propria sit, ipsisque absolutam ideam daret libertatis ab omni onere bonorum hujus mundi, licet per indulgentiam ipsis aliquid possidere, atque distribuere permiserit; verum Patres nonnullas conditiones addunt, scilicet, ut sit *cum humilitate, & justitia*: cum humilitate, idest non immodice, absque luxu, & vanitate; & justitia, in usus scilicet justos, legitimos, atque eorum professioni non adversos, *faciant inde, quod vorum proposito congruit*, atque cum patrimonium retinere volunt pro vitæ necessitatibus, nihil de Ecclesiæ bonis accipiant, can. 89.

Post hujus Concilii tempora, quod anno 816. habitum fuit, plures pii Galliarum Episcopi, Aquitani præcipue, & Occitani, cum viderent capitula cathedralium ruisum veterem rigorem relaxasse, optantes ea ad pristinum institutum revocare, circa undecimum sæculum S. Augustini regulam illis tradiderunt, cogentes illos ad paupertatis Evangelicæ vota faciendæ, quam olim in Canonicali Ordine viguisse non ant, quæque ad ipsorum perfectionem necessaria est, neque ullo modo vitæ Canonicorum cathedralibus inservientium repugnat. Harnus Archiepiscopus Thoronus, Canonicos in sua Metropoli instituens, ut veros disciplinæ ruisum floreret, ipsis regulas præscribit, atque inter ceteras: *Ut nihil sibi proprium habeant, vel etiam, quod absit, dicant, omnes una prandeant, una somnum capiant &c.* Inter Galliæ Ecclesias, quæ regulam S. Augustini servarunt, reperire est Burdegalensem, Arelatensem, Auscienssem, Arausionensem, Lugdunensem, Convennensem, Lescarrensem, Monspessulanam, Magalonensem, Nemausensem, Sagiensem, Sanicensem, Tarbensem, Uzeciensem, Gratianopolitanam, & plures alias, quorum Episcopatus antiquissimæ sunt fundationis, ut nihil loquar de Abbatiis Ordinis Canonicorum Regularium, quæ in Episcopatus commutatæ sunt, veluti Apamiæ, Lombariæ &c.

His adde, Papam Benedictum XII. anno 1339. Constitutiones edidisse pro reformatione totius Ordinis Canonici in Ecclesia, tam pro cathedralibus, quam pro collegiatis, atque Abbatiis, quemadmodum ipse manifeste loquitur in pluribus harum constitutionum locis; nam de Ecclesiis agens plerumque ait: *Ecclesiæ Cathedrales, Capitula, Collegia, Monasteria*; cum vero de Præpositis Canonicorum agit, *Antistites*, inquit, *Abbates, Præpositi, Archidiaconi*, unde manifeste intelligimus, regulam istam Canonicis cathedralium communem esse debuisse. Inter has vero constitutiones Capitulum extat numero 60. inscriptum: *Proprietarii damnantur*; atque inde constat, bonorum proprietatem aliquando Canonicis cathedralium interdictam fuisse. Eandem consuetudinem in celeberrimis Christiani Orbis Ecclesiis demonstrare possem, veluti Romæ in Lateranensi, atque in Patriarchali Hierosolymorum, & pluribus aliis: verba hactenus relata sufficere existimo ad demonstrandum Ecclesiæ, Apostolorum, Conciliorum, Pontificum, Episcoporum, & Doctorum sententiam fuisse, Canonicos, & Clericos in Cathedralibus viventes nihil proprium habere oportere, sed perfectam bonorum communionem custodire. Quod si passi sunt eos aliqua de re frui, atque uti, id potius ex peculiari dispensatione, quam ex juris rigore actum est, quemadmodum carnium usus Ordinibus Sancti Benedicti, & Sancti Bernardi concessus, atque propterea *merito suspicaretur aliquis non licere Clericis tum in rebus patrimonialibus, quam Ecclesiasticis proprium aliquid habere.*

Veteres Clerici, & Canonici Cathedralium vestes communes habebant.

Id necessario ex hactenus enarratis consequitur; si enim verum est affirmare, ipsos nihil proprium habuisse, neque ullis bonis gavisos, necessaria ex communi cella vestiaria absque dubio deprompebant. Ejus rei excellens testimonium extat apud S. Augustinum, qui cum Episcopus esset, peculiares vestes habere nolebat, sed communibus utebatur: *Nemo dei Byrrhum, vel lineam Tunicam,*

ſeu aliquid, niſi in communi, & communi accipiant mihi ipſi, cum commune ſciam me velle habere quidquid habeo. De communi Vita Cletic.

Regula Chrodogangi Metenſis Epiſcopi, & Pipini Galliæ Regis nepotis, quam circa annum 760. edidit, ad Canonicam, & Regularem vitam inter Canonicos Cathedralis ſuæ reſtituendam cap. 41. inquit: *Illa dimidia pars Cleri, qui Seniores fuerint, annis ſingulis accipiant cappas novas, & veteres, quas præterito acceperint, ſemper reddant, dum accipiunt novas.* Addit deinde: *Calcamenta vero omnis Clerus annis ſingulis, & veſtimenta in Tranſitu S. Martini, & campſiles in Paſcha habeant*; unde manifeſto intelligitur juxta veterem Canonici Ordinis morem, Clericos, vel Canonicos veſtes, ceteraque neceſſaria in commune habuiſſe.

Concilium Turonenſe ſub Carolo Magno habitum, ait de canonicis cathedralium, *victum, & veſtitum juxta facultatem Epiſcopi accipiant*; & quemadmodum victus communis erat, *ſimul in uno reficiantur Refectorio*, dicendum quoque eſt, veſtes pariter communes fuiſſe.

2. *Canonici eadem Domo, ſive Clauſtro prope Eccleſiam concluſi erant.*

Prioribus Eccleſiæ ſæculis, clerici, qui in commune vivebant, alia clauſtra quam Epiſcopalem domum non habebant, ubi cum Epiſcopo degebant, velut diſcimus ex loco ſuperius recitato e Sermone S. Auguſtini *de communi vita Clericorum*, quo loco ait: *Noſtis, omnes, aut pene omnes ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Epiſcopii &c.*

Clauſtra, ceteraque loca eodem tempore inter clericos, quo inter Monachos, atque ut credibile eſt, horum exemplo inſtituta fuere. Scimus, quod anno 662. Migeſius Epiſcopus Veſuntionenſis, quemadmodum in Actis veterum Epiſcoporum ejuſdem civitatis relatum eſt apud Chifflet. in Veſunt. *Clauſtrum quoque columnis, & ſeſtudinibus ædificavit ab oſtio Eccleſiæ, quæ ducit ad Palatium per partem illam, quæ Conventus vocatur, & per partem Dormitorii, uſque ad Refectorium.* Clauſtrum iſtud quemadmodum clariſſime liquet, erat pro canonicis Cathedralis ſuæ.

Chrodogangus Metenſis Epiſcopus, magnus Canonici Ordinis inſtaurator, in Regula pro canonicis Eccleſiæ ſuæ conſcripta, ſæpe clauſtrorum mentionem facit, veluti cap. 12. de portario: *Portus Clauſtri, & oſtia cuſtodia debet advenientes ſuſcipere, & Priori adventum eorum cauſamque renuntiare*, quod de clauſtro regulari, non de clauſtro publico intelligendum eſt, qualia ſunt illa, quæ hodie a Canonicis noſtrarum cathedralium frequentari ſolent; & cap. 52. peccata, quæ pœnitentiam merentur enumerans, inter cetera ait: *Qui e Clauſtris ſine licentia exierit.*

Concilium Turonenſe an. 813. ſub Carolo Magno habitum, ait: *Clerici, & Canonici Civitatum, qui in Epiſcopiis commorantur, conſideravimus ut in Clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant &c.*

Concilium Aquiſgranenſe, quod poſtea ſub Ludovici Pii regno ad canonicos, & clericos reformandos anno 816. habitum eſt, canone 117. ait: *Neceſſe eſt tamen, ut Clauſtra, in quibus Clero ſibi commiſſo Canonice vivendum eſt, firmis undique circumdet munitionibus, ut nulli omnino intrandi, aut exeundi niſi per portam patet aditus, ſicut etiam interius Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & cetera habitacula uſibus fratrum in una ſocietate viventium neceſſaria.* Adnotandum eſt hoc loco, Concilium hoc velle, ut Eccleſiæ cathedrales eandem fere faciem, atque cetera Monaſteria habeant; atque hæc eſt ratio, cur eam denominationem habuerint, atque ab omnibus veteribus Auctoribus Monaſteria appellata fuerint; quæ appellatio univerſalior poſtea evaſit, atque omnibus promiſcue Eccleſiis tributa fuit.

Idem concilium clarius adhuc de clauſtris iſtis mentionem facit canone 144. *Oportet Clauſtra Canonicorum ita diligenter cuſtodiri, ut grex Dominicus fraterna concordiæ fruatur pace, ut ſi quemlibet Prælatus intra Clauſtra quempiam inhoneſte agentem, aut extra in biviis, & platio*

trio otio, vanisque confabulationibus vacantem reperiris &c. Facile est intelligere, claustra, de quibus hoc Concilium agit, interiora fuisse, intra quæ canonici lectioni, & studiis vacabant.

Non ignoro, ad testimoniorum istorum vim eludendam dici posse, Concilium hoc nullo modo de canonicis, qui sunt in cathedralibus, agere in altera parte, quæ incipit a canone 154 sed eam ad canonicos tantum pertinere, qui in Monasteriis sub Abbatum ductu vivebant. Verum ego contrarium affirmo, atque contendo, partem istam æque ad utrosque tam in cathedralibus, quam in Monasteriis viventes pertinere. Prima ratio, qua moveor, illa est, quod canones Concilii hujus post 114. sumti sint ad verbum ex Regula Chrodogangi, qui totis 50. annis ante Concilium illud floruerat, condita vero regula erat pro canonicis cathedralis; quare canones isti, cum regulam canonicorum Metensium tantum complectantur, minime adversantur vitæ, quam canonici cathedralium ducere debent. Secundo canon 145. & postremus Concilii hujus, qui summa est, atque epitoma ceterorum, ait: *Proprio Episcopo in omnibus secundum Canonicam institutionem obtemperent*; unde conficitur, Concilium præcedentes canones præcipue pro canonicis cathedralium, qui sub ductu atque obedientia Episcoporum sunt, condidisse. Tertio, in vita Ludovici Pii ab Auctore contemporaneo conscripta refertur apud Ducheſn. t. 2. hiſt. Franc. *Fecit componi ordinariumque librum Canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius Ordinis perfectio continetur*. Itaque si perfectio totius Ordinis canonici canonibus Concilii hujus continetur, illam quoque Cathedralium comprehendent. Addit Auctor: *Quem librum per omnes Civitates, & Monasteria Canonici Ordinis sui Imperii missi per manus Missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi fecerunt*. Observandum est, dicere illum, *Civitates, & Monasteria*. Per civitates Ecclesias cathedrales, & clerum urbanum intelligit, & per Monasteria, Abbatias Ordinis canonicorum significat: Quarto, addit idem Auctor, *præscribi fecit omnibus cibi potusque atque omnium necessariorum summam, ut omnes sub hoc Ordine Christo servientes nullis præpediti necessitatibus libera servitute Domino omnium militare meminissent*. Ex verbis istis intelligi potest, Regulam hanc ad omnes Ecclesias canonici Ordinis in universum spectasse, cum panis, vinum, & cetera necessaria demensa præberentur, ut ab omni vitæ cura soluti liberius Deo servirent. Hinc cum canones concilii hujus ad universum Ordinem canonicum pertineant, cathedrales quoque comprehendunt; & quemadmodum canonici, quorum ibi mentio fit, necessaria accipiebant, ut melius Deo vacarent, dubitandum non est de vita communi, quam ducebant, id accipiendum esse, de qua posterior pars concilii Aquisgranensis præcipue agit.

Mulieres Canonicorum Claustra non habitant.

Potissima ratio, quæ afferri potest ad demonstrandum, Concilium Aquisgranense, saltem quoad alteram partem, editum non fuisse, nisi ut pro regula canonicis cathedralium inserviret, illa est, quod pluribus aliorum conciliorum canonibus adversetur; hi enim clericos, & canonicos, Matrem, Sorores, Amitas, & e Fratre neptes secum habere patiuntur; illud vero omnino vetat, mulieres claustra, & canonicorum habitationes subire. Difficultati huic solvendæ ita respondeo. Cum concilii facultates istas clericis impertiuntur, id de clericis accipiendum non est, qui in commune, sed qui singillatim vivunt. *In Domibus viventes*, ut Julianus Pomerius loquitur, *& non in Congregationi*; vel si canones isti Ecclesias cathedrales, atque ipsorum capitula spectabant, de tempore, quo disciplina lapsa erat, intelligendi sunt, atque antequam concilia Moguntinum, Turonense, & Aquisgranense ad vitam communem restituendam eos adegissent. Ita nulla contradictio est inter Concilium Aquisgranense, & reliqua, licet Decreto de arcendis mulieribus a clericorum claustris, cathedralium quoque clericos complectatur;

Adi-

Digitized by Google

Aditus locorum, quos Eccleſiaſtici ſimul incolebant, omnibus retro ſæculis mulieribus interdictus fuit. S. Auguſtinus ſedulo id a clericis ſuis ſervari curabat, dicens, *Et ſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas veniturus eſt, poſſe ſuſpicionem afferre.* Chrodogangus id nominatim mandat in Regula ſua c. 56. pro canonicis Metenſibus: *Mando atque remando, ut hoſpitalium Canonicorum, aut rara, aut nunquam mulierum pedes ſerant*: vox illa *hoſpitalium* accipienda eſt pro hoſpitio, ſive hoſpitem domo, non pro cubiculo, vel habitatione canonici cujuſdam; id enim paulo poſt ſequentibus adverſatur, *& in ipſa Clauſtra nulla femina introeat*; ſi enim ea clauſtra ſubire non patitur, tanto magis cubicula, & cetera loca intectiora.

Sed hoc amplius: Epiſcopus iſte ne laicis quidem hominibus clauſtra hæc ſubire licere vult; addit enim: *Nec laicus homo præter tantum ſi Epiſcopus, aut Archidiaconus, vel Præpoſitus juſſerint, aut in Refectoria refectionis cauſſa veniant, & ſi neceſſe fuerit ad opera facienda* &c. Ex quo loco clare conſtat, eum de Canonicis Eccleſiæ cathedralis agere, cum aſſerat Epiſcopi eſſe vel Archidiaconi Seculares ad prandium invitate, tanquam domus Præpoſitorum.

Fruſtraneum eſſet longius immorari probationibus congerendis, quod olim in cathedralibus clauſtra fuerint, illis Monaſteriorum ſimilia, cum ad hanc diem conſpicua ſint, atque veſtigia tantum haberi poſſint veteris diſciplinæ, quæ a canonicis illarum Eccleſiarum ſervabatur. Attamen priuſquam ad alia me convertam, difficultatem quandam prævenire cogor, quæ circa locum e Canone 142. Concilii Aquiſgranenſis petitum moveri poſſet; ait enim: *Quamvis Canonicis dicitum ſit proprias habere manſiones, debet tamen a Prælato manſio infirmorum, & ſenum intra Clauſtra fieri, ut qui forte ſuam non habent &c.* ex quibus verbis Concilii conſequi videtur, liceriſſe canonicis habitare in domibus a communi dormitorio ſejunctis, ſanis atque, ac infirmis, velut hodie fieri videmus. Fateor, locum iſtum moram mihi injecturum eſſe, niſi ejus explicationem cap. 13. Regulæ Chrodogangi invenirem, inde enim diſcimus aliquando, Epiſcopum fuiſſe, ut canonici nonnulli juſſis de cauſſis cubicula haberent, *Manſiones* appellata, extra dormitorium ſita, ubi cubare poterant, quæ tamen extra clauſtra, five domus ſeptum, non erant: *Omnes in uno dormiant dormitorio, præter illos, quibus Epiſcopus licentiam dederit, ſecundum quod ei rationabiliter viſum fuerit; & in ipſis Clauſtris per diſpoſitus Manſiones dormiant ſeparatim per ſingulos lectos* etc. quod Officialibus permitti poterat, qui cum Sæcularibus majus commercium habebant.

3. *Canonici Cathedralium in eodem dormitorio cubabant.*

Minime neceſſarium duco longius immorari ad probandum, exſtiſſe olim dormitoria, quibus canonici cathedralium Eccleſiarum utebantur; cum tam perſpicue eorum mentio fiat in Regula Chrodogangi, in canonibus concilii Moguntini, Turonenſis, & Aquiſextenſis; nemo tamen contendere debet, loca iſta regularia educandis tantum junioribus clericis prope Eccleſias, Seminariorum inſtar, deſtinata fuiſſe. Facile enim oſtendi poteſt, canonicos in illis habitaſſe, qui in dormitoriis iſtis cubabant. 1. Regula chrodogangi ait: cap. 13. *Omnes in uno dormiant dormitorio*; & cap. 23. *Cum magna cautela ambulent in Eccleſia, ut in Dormitorio, ut cum ad proprium ſtratum venerint.* Hæc omnia confirmat illis, quæ cap. 49. habet: *Honeſte, ut humiliter dormitorium petant, ut nequaquam duo in uno lecto, ſed ſingulis, in ſingulis lectis quieſcant, incenſa quoque in dormitorio noctis tempore jugiter ardeat.* 2. Loca iſta referuntur in Canone 136. Concilii Aquiſgranenſis, & Canone 145. omnium poſtremo addit: *In dormitorio, niſi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant.* Concilium Moguntinum canone 9. ait: *Uiſitent, manducent, ut dormiant*; atque Turonenſe: *in uno dormitorio dormiant.*

Eccleſiæ cathedrales Germaniæ, quæ canonicos iſtos mores Regulæ Chrodogangi, & conciliorum Moguntini, & Aquiſgranenſis tenebant, eoſdem etiam

anno

anno 1200. ſervabant ætate Stephani Epiſcopi Tornacenſis (qui decus, atque ornamentum fuit Domus S. Genovefæ, cujus Abbas erat) veteri intelligimus ex 160. Epiſtolarum ſuarum, ad Decanum Eccleſiæ cathedralis Remenſis conſcripta, quæ Eccleſia Regularis adhuc erat, ſed aliarum exemplo Sæcularis fieri optabat. Ad excitandum ergo Decanum iſtum, ut malo huic ſe ſe opponeret; *Quid dicet*, inquit, *ſi hæc immutari ceperint, germana ejus loca, & ordines Germaniæ, quæ inter alias inſtitutiones Eccleſiaſticas refectionis adhuc, & quietis fraternam communionem ſic obſervat, ut modernam diſſolutionem non admittat.*

Eundem dormitoriorum morem in pluribus Galliæ cathedralibus oſtendere poſſem; verum contentus ero exemplo Eccleſiæ Remenſis, qua de re teſtimonium præbet idem Stephanus Tornacenſis, Scriptor coævus in Epiſtola jam-recitata. *Ex reliquiis Regularium inſtitutionum duo ſibi loca detinuerat; canaculum refectionis, & domum ſomni; in altero caſtigatam ſequentes abſtinentiam; in altero candidatam continentiam obſervantes.* Quid ex locis iſtis tam clàris, tantæque auctoritatis colligi poteſt, niſi Canonicos cathedralium olim in dormitorio dormiviſſe, quomodo hodie Religioſi ſolent?

4. *Canonici Cathedralium in eodem refectorio cibum in commune ſumebant.*

Quod vitam communem ſpectat, atque uſum refectoriorum inter clericos, & vereres canonicos, ejus rei apertiora documenta proferemus. Mos iſte cum Eccleſia exordium habuit, atque porro ab Epiſcopis uſurpatus fuit, qui diſciplinæ clericalis, atque canonicæ in cathedralibus conſervandæ tam in Oriente, quam in Occidente ſtuduerunt.

S. Auguſtinus in Sermone de communi vita clericorum hæc habet: *Ecce dico, audiat qui ſuſceperatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in Apoſtolorum Actibus deſcripta, a voto cadit, a profeſſione falſa recidit.* Iſta autem vitæ communio præcipue accipienda eſt de communi menſa, quomodo Epiſcopus iſte ſolebat, referente in ejus vita Poſſidio: *Cum ipſo ſemper Clerici una eſtam Domo, ac Menſa ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur.*

Decem ex ipſius Diſcipulis, qui ad Epiſcopatum evecti ſunt, in Eccleſiis ſuis eoſdem mores, quos didicerant ab ipſorum Parre, atque Magiſtro S. Auguſtino, inſtituerunt, eodem Auctore in ejus vita referente. Ex illis unus S. Gelaſius Papa fuit, qui vitam iſtam communem in uſum reduxit inter clericos, ſive Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis, quæ totius Chriſtiani Orbis Metropolis eſt.

Idem inſtitutum in cathedralibus Galliæ Eccleſiis ſervatum fuit, atque in Metenſi a Chrodogango inſtauratum, ut videre ex pluribus Regulæ ſuæ locis, quod deinde ceteris omnibus Eccleſiis præſcriptum fuit a Concilüis Moguntino *Can.* 9. Turonenſi *Can.* 25. & Aquiſgranenſi, quod poſtremo canone, ceterorum omnium ſumma, ait: *Quibus etiam in Refectorio comedentibus, & religioſe ſilentium tenentibus continuatim legatur lectio.* Facillimum eſſet demonſtrare idem in pluribus Galliæ Eccleſiis factitatum fuiſſe; verum contentus ero Eccleſiæ Remenſis exemplo, quæ Mater eſt, atque Metropolis Laudunenſis.

Non ſine ratione affirmare poſſem clericos, vel canonicos Remenſes, ipſo S. Remigii tempore vitam communem, & regularem duxiſſe, cum S. Rigobertus, (ducentis circiter poſt eum annis) juxta Flodoardi teſtimonium, *Canonicam Clericis religionem reſtituerit*, ubi vox illa *reſtituerit* notanda eſt; ſignificat enim eam antea viguiſſe. Immo affirmare poſſem clericos, vel canonicos a Chlodoveo, & S. Clotilde inſtitutos, ut Eccleſiæ S. Genovefæ inſervirent, ab Eccleſia Remenſi S. Remigii opera acceptos fuiſſe, charta quadam Henrici primi Regis, magni ſane facienda innixus, quæ integra in quarundam Eccleſiarum ſcriniis ſervatur, in qua Rex iſte de Canonicis hujus Eccleſiæ agens eos ita appellit: *Venerabilis Congregatio Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Genovefæ Virginis, ibidem quieſcentis, quæ olim a quodam Anteceſſore noſtro Francorum Rege Cladoveo horsum, &*

per-

perſuaſione B. Remigii Remorum Archiepiſcopi fundata, & multitudine prædiorum ditata, Canonicæ Religioni eſt mancipata. Hinc argumentum peti poteſt contra eos, qui exiſtimant, Monachos olim in Eccleſia iſta fuiſſe. Redeamus nunc ad Eccleſiam Remenſem, & dubitationem quamdam ſolvamus, quæ in teſtamento S. Remigii occurrit. Epiſcopus iſte moriens teſtamento ſolidos viginti quinque legat æqualiter inter omnes Presbyteros, & Diaconos Remenſes diſtribuendos, unde argui poſſet, eos non omnia in commune habuiſſe, ſed aliquid proprium poſſediſſe. *Compresbyteris meis, & Diaconibus, qui ſunt Remis, 25. ſolidos æqualiter dividendos in commune dimitto.* Cui loco ita reſpondeo, conſiderandum eſſe, duo Presbyterorum, & Clericorum genera fuiſſe, quemadmodum jam admonui, quorum alii in commune vivebant, alii privatim. Sanctus ergo Epiſcopus iſte cum legatum ſuum inter eos æqualiter dividi jubet, ſequitur ne inde eos proprietarios fuiſſe? Si hodie quiſpiam Teſtamento centum legaret æqualiter inter omnes Presbyteros cujuſdam civitatis diſtribuenda, Regularis quilibet, qui portionem ſuam aſſequeretur, eſſetne ejus proprietarius eam accipiens, ſi eam poſtea ad communitatem referret?

Sanctus Rigobertus poſtquam ad Archiepiſcopatum Remenſem pervenit, Clero ſuo dirigendo unice ſtuduit, *Canonicam Cleriſis Religionem reſtituit, ac ſufficientia victualia conſtituit, nec non avarium commune uſibus eorum conſtituit.* Quæ verba ſatis aperte demonſtrant, Epiſcopum hunc vitam communem reſtituiſſe inter Clericos ſuæ Cathedralis, quia prima inſtitutione jam declinaverant. Nihilominus exiſtimo, eos adhuc in Epiſcopio cum ipſo convixiſſe, cum nulla adhuc Regularia loca conſtructa eſſent, præcipue cum Flodoardus referant, eum Epiſcopalem Domum reædificari curaviſſe, atque vitam Canonicam in Clero ſuo reſtituiſſe, nullam tamen mentionem faciat, Regularia loca ab eo conſtructa, vel reparata fuiſſe. Refert præterea idem Scriptor Ebbonem Archiepiſcopum ejuſdem civitatis, qui an. 830. vivebat, ex membrana Ludovici Pii ab eo recitata, illum Cathedralem Remenſem, & Clauſtra pro ſuis Canonicis reſtitui curaviſſe. *Concedimus ad hoc opus, & ad cetera quæque pro Servorum Dei ibidem degentium neceſſitatibus ædificanda &c.* & paulo poſt: *Viat etiam publicas omnes, quæ circa eamdem Eccleſiam vadunt, & impedimento eſſe poſſunt ad Clauſtra, & Servorum Dei habitacula conſtruenda, ut tranſferri, & immutari poſſint, concedimus.*

Poſtquam Archiepiſcopus iſte Clauſtrum, & loca Regularia ædificavit juxta recentia Concilii Aquiſgranenſis mandata, Regulas pro Officialibus Cathedralis ſuæ conſcripſit, atque in Regula Præpoſiti ait: *Sequitur autem hinc ſtudium, omnem ornatum corporalem, & ſpiritualem continens fratrum, corporalem primum in Clauſtra, inde in Refectorio, in Dormitorio, in Cellario, in Coquina, ſive in cunctis habitationibus neceſſariis.*

Eccleſia hæc mores iſtos Canonicos, & communem vitam adhuc ſervabat tempore Stephani Tornacenſis an. 1200. atque cum in procinctu eſſent ſæcularium more vivendi, ad plurium aliarum Galliæ Eccleſiarum imitationem, quæ paulo ante jugum excuſſerant, ad Decanum litteras dedit, quibus eum hortabatur, ut incœpto huic acriter reſiſteret; de vita vero communi, quam ducebant, hunc fere in modum loquitur: *Procedentibus unanimiter de Miſſa ad Menſam, & a Spirituli refectione ad corporalem, præmiſſa invocatione Dominica, & ſigno Benedictionis ſuper cibum extenſo, reficiebant convivæ Domini minus ventre quam mente; ſonante eis per miniſterium Lectoris Divino eloquio nunc admonendo præcepta, nunc prohibitionibus coercendo. O foriores epulæ, quæ non crapulam provocant, ſed ſobrietati deſerviunt; & poſtquam ſumptæ fuerint, gratiarum actione claudantur, derelinquentes alimoniam corporalem, & conviviis ſuis ſpiritualibus fructum ſervantes. In iis, & aliis obſervantiis Regularibus incedebat Remenſis Eccleſia terribilis ut caſtrorum acies ordinata, amabilis ſuis, admirabilis alienis: ſi hæc immutari cœperint, quid dicet*

Digitized by Google

dicet germana ejus loco, & ordine Germania, quæ inter alias inſtitutiones Eccleſiaſticas refectionis adhuc, & quietis fraternam communicationem non obſervat, ut modernam diſſolutionem non admittat? Clamabis vel compatiens, vel inſultans, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Clamabunt & Gallicanæ Eccleſiæ diſpenſationis levamen libentius admittentes, quam auſteritatis rigorem. Ecce Remenſis Eccleſia facta eſt, quaſi una ex nobis, conſortio ſuo verecundiam noſtram operiens, auctoritate ſua negligentiam noſtram defendens. Locum illum totum tranſcripſi, quod mire argumento noſtro deſerviat ad oſtendendum vitæ communis uſum in Eccleſia Remenſi. Adnotanda præcipue ſunt verba illa; *Ut modernam diſſolutionem non admittas*, ex quibus facile colligitur, ſæcularizationem recens in Gallicanas Eccleſias inveƈtam fuiſſe, iiſque ſæculis tam communem paſſim fuiſſe, ut ad Epiſtolæ finem appellet eam, *Generalem Eccleſiæ conſuetudinem*.

Circa hæc eadem tempora Innocentius Papa III. epiſtolam dedit ad Canonicos Remenſes ex ipſorum Chartulario depromtam, quam retulit Dominus Belot in Eccleſ. Laudun. rit. ut eam in ſui favorem interpretaretur. Ex illa intelligimus, qua ratione vitæ communis inſtitutum paulatim in capitulo iſto defecerit; Sub exordia enim, cum Regula adhuc vigebat, omnes in eodem refectorio prandebant; quemadmodum eſt a nobis jam demonſtratum; inde, licet quotidie pranderent, nonnulli tamen ſeorſim a communi menſa cibum ſumebant. *Si non omnibus diebus ſingulis, omnibus tamen diebus Canonicorum aliqui comedebant.* Tandem malo in dies creſcente, certis tantum diebus ad Refectorium ibant, atque duo hæc peccata ipſis Pontifex improperat: *In frequentatione menſæ communis vos exhibetis non modicum negligentes, cum nec omnibus nobis*, quod primum eſt flagitium, cum non omnes ad Refectorium ventitarent: *Nec omnibus diebus, ſed certis aliquibus communi Refectorio miniſtretur*; alterum vero, quod certis tantum diebus illuc convenirent, quod veteri ejus Eccleſiæ inſtituto indubie adverſum erat, cum Pontifex hæc addat: *Factumque ſit per negligentiam veſtram interpolatum, quod eſſe conſuevit continuum prædeceſſorum veſtrorum temporibus conſueverat.* Hercle non intelligo, quo pacto ex hoc loco colligi poſſit, refectoria ædificata non fuiſſe, ut Canonici quotidie ibi prandierent, ſed certis tantum ſolemnitatibus, cum tam aperte ibidem legamus: *Quod eſſe conſuevit continuum Prædeceſſorum veſtrorum temporibus conſueverat.*

Laudunenſes Canonici eamdem ſane, quam Remenſes eorum confratres, cenſuram a Summo Pontifice promerebantur, cum ejuſdem peccati rei eſſent, ut me Dom. Belot docuit ex Actis capituli ſui eodem loco relatis, ex quibus nihil colligere poteſt, niſi eos in idem cum Remenſibus flagitium lapſos fuiſſe, quorum in ſervanda quoque diſciplina ſocii fuerant.

Ex iis, quæ inde conſecuta ſunt, intelligimus, neque Chriſti Vicarii monita, neque adhortationes tantæ auctoritatis Epiſcopi, qualis erat Stephanus Tornacenſis, tantam vim apud Remenſe capitulum habuiſſe, ut eos a regulari vita deſerenda, & ſæculari aliorum more amplectenda abſterrere poſſent. Inoleverat jam iis temporibus Præbendas reſignandi conſuetudo, quod ex notabili Hiſtoria diſcimus, a Thoma Cantipratenſi relata lib. 2. cap. 39. quæque an. 1192. evenerat in perſona Rhotodii, nepotis Guillelmi de Campania Archiepiſcopi Remenſis, qui cum Cantor, & Archidiaconus illius Eccleſiæ eſſet, atque ad Epiſcopatum Cabillonenſem nominatus fuiſſet, *Archidiaconatum, & Canoniam reſignavit*. Itaque exiſtimo, Canonicos Metropolitanæ Remenſis ſæculares effectos fuiſſe circa an. 1200. Laudunenſes vero horum exemplum ſecutos.

5. *Canonici Cathedralium plures alios monaſticos mores ſervabant.*

Qui intimius pleramque Cathedralium Canonicorum inſtituta rimabitur, fateri debebit contra Dominum Belot jam citati ſententiam, quod *Vitam clauſtralem ducebant more clauſtralium*. Legatur cap. 9. Regulæ

Chrodogangi, de *Septimariis Coquinæ*, atque perſpicientes, Canonicos præclariſſimæ Cathedralis Eccleſiæ culinaria vaſa ſingulis hebdomadis per vices purgare, ex quibus Archidiaconus, Præpoſitus, & Cellerarius ab ea re immunes erant.

Obſervamus præterea, illis demandatum fuiſſe, ut Sabbatho veniam peterent, ſi quid aut amiſiſſent, aut confregiſſent, hæc humilitatis opera perpetrando. Videre eſt quoque cap. 19. præſcriptum illis fuiſſe, ut quotidie poſt Primam ad opus irent: *Surgentes a capitulo vadant, aut ſimul, aut ſeparatim ad opus ſibi injunctum, cuſtodientes ſilentium.* Servandum etiam illis erat ſilentium præcipue poſt completorium, quomodo legitur cap. 23. *de recepto ſilentio poſt Completorium.*

Errata quoque ſua quotidie in capitulo fatebantur, atque pœnitentiæ loco imponebantur flagellationes, carcer, ad Eccleſiæ fores excubatio, ut Canonici introeuntes, & exeuntes ſuper eos graderentur, quomodo cap. 61. eſt explicatum: *Qui vaciturniatem in Eccleſia minime cuſtodierit, vel fregerit, in ipſo die panitetat in aqua, & pane; & ſi iterum tribus diebus panitetat in pane, & aqua; & ſi tertia vice iteraverit, ſeptem diebus panitetat; & ſi amplius, hoc facere præſumpſerit, corporali diſciplinæ ſubjiciatur, ut ceteri timeant.* Animadvertendum autem eſt, Decreta iſta non ab Abbate pro ſuis Monachis edita eſſe, ſed a magno Epiſcopo pro ſuo Clero.

Plures Eccleſiæ eam Germaniæ, quam Galliæ leges iſtas amplexæ ſunt, atque illæ præcipue, quæ Regulam S. Auguſtini ſervabant. Remenſis Eccleſia inter illas ſemper habita fuit, quæ majori ardore canonicæ, & regulari diſciplinæ ſervandæ ſtuduerunt, qua re merito ſemper commendari meruit juxta Stephanum Tornacenſem: *Uſurpabat ſibi haſtenus, nec immerito, Remenſis Eccleſia diſciplinam, in his, & aliis obſervantiis regularibus inedebat terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Hoc ipſum memorabili exemplo confirmabo a Cantipratenſi relato, qui id ſe ab iis accepiſſe teſtatur, qui illum norant, de cujus eventu agitur, Bertrodo ſcilicet, Remenſi Archidiacono, ad Cabillonenſem Epiſcopatum nominato, de quo ſuperius mentio a nobis jam facta eſt. Canonicus iſte funeri Alberti Epiſcopi Leodienſis cognati ſui aſſiſtens, quod in Remenſi Eccleſia fiebat, non veſte in choro uſurpari ſolita a confratribus ſuis, ſed alio ornatu magis ſæculari, qualis a Nobilitate adhibetur, illuc advenerat. Re divina peracta Decanus capitulum congregavit, atque Archidiaconum accerſiri juſſit, ab eoque quæſivit, reſignaſſetne Præbendam ſuam, atque Archidiaconatum? qui cum negaret: *Surgite ergo, ait Decanus, ut ſatisfactatis Eccleſiæ, & dorſum ad diſciplinam coram fratribus præparate, eo quod ſine nuptiali veſte Chorum cum Canonicis contra Regulam intraviſtis; nec mora ſurgens, & procumbens clericus accepit, exuit, & a manu Decani validiſſimam diſciplinam accepit, qua accepta veſtibus reinduitus ſe erexit, & Decano cum maxima oris gratia coram omnibus dixit: Gratias ago Deo, & Patronæ Remenſis Eccleſiæ ejus pieſſimæ Genitrici, quod te talem in regimine dereliquo, hinc magis diligam locum iſtum, & in fide iſta dignam ſeveritatis memoriam venerabor.* O verba ſane pulcherrima, profundæ humilitatis, atque admirandæ manſuetudinis ſenſus in tam illuſtri Canonico teſtantia, quæque mihi invictum argumentum ſufficiunt ad comprobandum, quam accurate Eccleſia illa regulares mores ſervaverit, cum poſtremis temporibus, diſciplina jam in præceps ruente, anno ſcilicet 1192. ejus dignitatis, atque ordinis viro non pepercerit.

6. Canonici Cathedralium promiſſum ſuperpelliceum geſtabant ad talos uſque deſcendens.

Cum Dom. Belot 6. Sum. n. 6. de rit. Eccleſ. Laudun. ſcribat, facile eum concedere ſuperpelliceum ad talos uſque promiſſum geſtatum olim fuiſſe a canonicis cœnobitis, ſive in commune viventibus; ſi horum numero canonicos Eccleſiarum cathedralium complectatur, idem cum ipſo ſentio; verum ſi eos inde eximere contendat, loca aliquot ſatis ad rem facientia in medium pro-

proferam, quæ ſententiam ipſius funditus evertant. Primus eſt ex Homilia *de Cura Paſtorali* Leonis Papæ IV. anno 847. ubi Presbyteris, ipſorum munera recenſens, vetat inter cetera, ne ſuperpelliceo albæ loco in celebranda Miſſa utantur, haud dubio propter veſtium iſtarum ſimilitudinem. *Veſtimenta*, inquit, *ſint nitida, nullus in Alba qua in uſu ſuo utitur, præſumat. Miſſas cantare*.

Riculphus Epiſcopus Sueſſionenſis, qui an. 889. florebat, in conſtitutionibus pro cleri ſui reformatione conſcriptis; *Nemo*, inquit, *illa Alba utitur in ſacris Myſteriis, qua in quotidiano, & exteriori uſu induitur*. Profecto loci iſti accipiendi ſunt tam de Canonicis Cathedralium, quam de aliis Presbyteris, cum eodem ſuperpelliceo ſaltem retroactis ſæculis ſemper uſi fuerint. Concilium Baſileenſe Seſſione 21. jubet quoque, Canonicos geſtare ſuperpelliceum *ultra medias tibias*.

Si evidentiora hujus rei documenta quiſpiam requirat, vel priſcos tumulos, atque vitra Cathedralium inviſet, reperiesque magnam monumentorum copiam veteris indumenti Canonici. Eccleſiarum Galliæ poſtrema, quæ hanc veſtem adeo venerabilem geſtarit, eſt Abbatia S. Dionyſii Remenſis, ubi non ita pridem conſpiciebantur veteres canonicæ eadem induti, quæ non alia erat, ut putandum eſt, a veſte, qua utebantur olim canonici Cathedralis hujus Urbis, dum vitam communem ſervabant; quod adhuc videre licet in quibuſdam ſepulchris, quæ in hujus Metropolis clauſtro conſpiciuntur.

7. Veteres Canonici Cappam anterius clauſam geſtabant.

Minime moribus atque uſibus noſtri temporis inniteudum eſt, ſi quis affirmare velit, Cappas canonicorum cathedralium anterius ſemper apertas fuiſſe; neque enim vetuſtati id cognitum fuit, ſed recens eſt potius inventum ab aliquot ſæculis majoris commodi gratia invectum, eadem fere ratione qua caſulæ circumciſæ ſunt, quibus Presbyteri ad Miſſas celebrandas utuntur.

Sacrum Cardinalium collegium, quod princeps eſt Eccleſiæ capitulum, hactenus cappas anterius clauſas geſtat, ſolemne quodam excepto ad manus exerendas.

Concilium Oxonienſe in Anglia anno 1222. habitum, atque Londinenſe anno 1237. celebratum jubent, ut clerici & canonici *Cappas clauſas* habeant.

Canonici Eccleſiæ Remenſis, atque Abbatiæ S. Dionyſii ejuſdem civitatis, atque aliquot Germaniæ cathedrales eumdem morem retinent, qui olim ubique paſſim ſervabatur.

Cum commodi ratio canonicis ſuaſiſſet, ut cappas anterius aperirent, curioſitas ſericæ ornamenta adjecit, ut venuſtiores & pretioſiores redderentur. In Eccleſia Laudunenſi eas e rubro villoſo ſerico, vulgo *Velluto*, geſtant, quod Dom. Belot tamquam rubricam illius Cathedralis, latenſque myſterium venditat, explicationem huic rei accommodans moralem magis quam litteralem, & magis piam, quam naturæ & menti illorum conformem, qui primi morem iſtum invexerunt.

8. Veteres Canonici Cathedralium Officium Divinum in Eccleſiis canebant.

Dominus Belot videtur nimis generatim affirmaſſe 4. Sum. n. 16. quod *Nuſquam Canonici Cathedrales, ad canum deſtinati fuerint*, cum nullo negotio tam in Græca, quam in Latina Eccleſia oſtendere poſſim, Clericos & canonicos Pſalmos & Dei laudes in Eccleſia cecinifſe. Locus eſt memorabilis circa Orientis morem ex Imp. Juſtiniani Epiſtola ad Taberium *Præfectum Prætorio* Codice Tit. 3. *de Epiſcopis & Clericis n. 52. Præterea ſancimus, ut omnes Clerici per ſingulas Eccleſias conſtituti pro ſeipſos pſallant nocturna & matutina & veſpertina, ne ex ſola Eccleſiaſticarum conſumtione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes. Clerici circa Liturgiam Domini Dei: Si enim multi Laicorum, ut ſua animæ conſulant, ad ſanctiſſimas Eccleſias confluentes ſtudioſi circa pſalmodiam oſtenduntur, quomodo indecens non fuerit Clericos ad id ordinatos non implere munus ſuum? quapropter omnimode Clericos pſallere jubemus, & eos qui inventi fuerint inculpate in Li-*

turgiis perſeverantes, extra Clerum conſtitui. Nam qui conſtituerunt vel fundaverunt ſanctiſſimas Eccleſias, pro ſua ſalute & communi Reipublicæ, reliquerunt illis ſubſtantias, ut per eas debeant Sacra Liturgiæ fieri, & ut in illis a miniſtrantibus ſibi Clericis Deus colatur. Locus iſte adeo elegans, & rei inſerviens mihi viſus eſt, ut totum inſerere, Latine ſaltem, operæ pretium duxerim; ubi adnotandum eſt, pium hunc Imperatorem velle & jubere, ut Clerici & canonici in Eccleſiis *per ſeipſos pſallant.*

Eundem morem in Occidentis Eccleſis obſervare eſt. S. Ambroſius eum in Mediolanenſem Eccleſiam invexit. Gregorius Turonenſis pluribus librorum ſuorum locis nos docet, clericos in Eccleſiis eeciniſſe; atque ne longius progrediamur, videri poteſt liber MS. Miraculorum S. Genovefæ ante Normannicum bellum Collectorum, ſcilicet ante annum 870. ubi quodam loco dicitur, quod *Clerici cantabant*, dum unum ex miraculis illis fiebat.

Quod ſi quis reſpondeat, eos cathedralium canonicos non fuiſſe, videamus, quid Chrodogangus Metenſibus ſuis mandarit; ex cap. 50. enim *de Cantoribus* perſpici poteſt non Mercenarios, ſed Canonicos fuiſſe eos, qui Choro & cantui præerant, cum ibi ſcriptum ſit: *Propter collatum donum, non ſe ceteris ſuperbiendo præferant, ſed humiliter ſocios exhibeant, & providendum illis, quando temperate, quando ſubmiſſe Divinum agatur Officium, ut ſecundum numerum Clericorum, & Officii qualitatem, & temporis prolixitatem, tantum protendant, & voces moderentur ceterorum.* Unde facile conjici poteſt, Canonicos omnes in Cathedrali iſta Officium eeciniſſe; ſed nonnullos inter eos fuiſſe, qui propter vocis excellentiam ceteris ad cantum dirigendum præpoſiti erant. Subdit deinde; *hi autem qui hujus artis minus capaces ſunt, donec erudiantur, melius convenit ut ſileant.* Si Officio peragendo deſtinati non eſſent, ſed tantum animarum ſaluti procurandæ, cur adeo ut cantum addiſcerent commendaretur? Cur ipſis mandaretur, ut taceant, donec canere ſciant? Nullæ utique regulæ præſcribendæ ipſis fuiſſent circa id, quod ipſorum muneris non erat. Cum hoc loco de *Schola Cantorum agitur*, exiſtimandum non eſt, eos mercede conductos tantum fuiſſe, velut hodierni Cantores; ſed id intelligendum de Clericis, ſive Cantoribus Eccleſiæ cujuſdam loco quodam, veluti ad anagnoſterium, congregatis, ad ſimul canendum; quomodo in Pontificali pluribus locis adnotatum eſt, *Schola proſequitur*. Ubi vero dicit, conſtituendos *Seniores fratres, qui tempore ſtatuto viciſſim cum cantorum ſchola ſint*, id intelligendum, ut ſcilicet eorum curam gerant, ut modeſtiam ſervent, atque illos admoneant eorum, quæ canenda ſunt: *Ne hi qui dicere debent, aut otio vacent, aut inanibus, aut ſuperfluis fabulis vacent.* Concilium Aquiſgranenſe a Regula iſta Canonem 133. ſumſit, ubi dicitur: *Tales ad legendum, cantandum, & pſallendum conſtituantur* &c. Et paulo poſt: *Qui vero hæc docte peragere nequeant, eruditantur prius a Magiſtris, et inſtructi hæc implere ſtudeant.* Clariſſime igitur videmus, Concilium optare, ut Canonici canere diſcant, quo muneri ſuo Officium peragendi ſatisfacere poſſint, *et inſtructi hæc implere ſtudeant.*

Adeo vero conſtans eſt, Canonicos ipſos rem Divinam feciſſe in Cathedralibus ſaltem poſt Concilium Aquiſgranenſe, ut ſi vetuſta Regeſta conſulantur, facile dignoſci poſſit, Semiprædendarios, & Cantores quingentis tantum, vel ſexcentis annis poſt quam ſæculares effecti ſunt, admiſſos fuiſſe. Ea de cauſſa certus præbendarum numerus in duas partes diviſus eſt, ad conſtituendas Semiprædendas, ſive ſerviles Prædendas; quæ Eccleſiaſticis conferendæ eſſent, Officii onus, atque pondus in Canonicorum levamen portaturis. Ejus rei exempla a compluribus Cathedralibus petita afferre poſſem; ſed contentus ero ejus, quæ notiſſima eſt, Pariſienſis teſtimonio, ubi decem Semiprædendæ, quæ hodie huic Eccleſiæ inſerviunt, inſtitutæ tantum fuerunt cir-

ca

cā annūm 1260. quo obtenta fuit Bulla a Papa Alexandro IV. ut quinque Præbendæ Presbyterales S. Dionyſii in decem Semipræbendas Divino Officio deſtinatas dividerentur. Tandem nemo dicere auſit, Canonicos Cathedralium numquam Dei Laudibus in Choro decantandis deſtinatos fuiſſe ſine manifeſta ipſorum injuria, atque niſi unum e pulcherrimis elogiis, quæ præclaro iſti Ordini unquam tributa ſunt, ipſis eripiatur, quod ſcilicet a Venantio Fortunato Epiſcopo Pictavienſi ante mille annos editum fuit lib. 16. Carm. 30.

Celſa Pariſiaci Cleri reverentia polens
Eccleſiæ genium, gloria munus, honor,
Carmine Davidico Divina poemata pangens
*Curſibus * aſſiduis dulce revolvit opus*

* Officium Divinum apud veteres Auctores *curſus* appellatur.

FINIS LIBRI PRIMI.

COM-

COMMENTARIUS HISTORICUS IN BREVIARIUM ROMANUM.

Quo simul aliarum singularium Ecclesiarum, præcipue vero Breviarii Parisiensis ritus explicantur.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Dominica ad Matutinum.

DOminica ante Matutinum dicitur tacita voce *Pater*, *Ave*, & *Credo*, *totum secreto*; idque ideo, quod olim in Officio non extarent; Pius enim V. primus id fieri jussit.

Initium deinde fit clara voce, recitando versiculum *Domine labia*, qui ex Psalmo quinquagesimo petitus est, estque Oratio, quæ olim, dum a somno surgebant, recitabatur. Versiculus *Deus in adjutorium*, primus est Versiculus Psalmi 69. qui olim totus recitabatur, atque ad ejus, sicut ad omnium Psalmorum finem, dicitur *Gloria Patri*, atque post, *Sicut erat*, additur *Alleluja*, quod ad Psalmorum finem dicebatur. Crucis etiam signum fiebat, quum *Deus in adjutorium* canebatur, juxta veterem Christianorum morem, actiones omnes a crucis signo incipiendi. S. Benedictus primus instituit, ut *Deus in adjutorium* ad cujusque Horæ initium recitaretur; ante ejus tempora vero initium fiebat a Psalmis, quomodo tribus ante Pascha diebus adhuc fieri solet; ad ejus autem imitationem dicitur *Domine labia* ad Matutini initium, & *Converte nos* ante completorium: quæ quidem preces revera duobus hisce officiis conveniunt, verum a Monachis profectæ sunt. Honorius Augustodunensis l. 4. c. 117. ait, Alexandrum 2. jussisse, ut *Alleluja* mutaretur in *Laus tibi Domine Rex Æternæ Gloriæ*, post Septuagesimam, usque ad Pascha.

Invitatorium quoque Monachis acceptum referimus, exiat enim apud S. Benedictum cum Psalmo *Venite*; Invitatorium istud est Antiphona ex eodem Psalmo petita: solebant enim Antiphonæ ab ipsis Psalmis peti. *Venite adoremus Dominum*, *qui fecit nos*, est Versiculus 9. Psalmi *Venite*; repetiturque Invitatorium post duos quosque hujus Psalmi Versiculos. In veteri Psalmorum divisione duo versus, qui duos versiculos efficiunt, simul jungebantur, quod ad *Venite* adhuc servatur. Repetitur Invitatorium ad Versiculos singulos. Erat enim vetus Antiphonas canendi ratio, eas post singulos Psalmi, qui canebatur,

Ver-

Verſiculos repetendi. Eccleſiæ mens eſt per Invitatorium filios excitare, ut ad Deum Creatorem noſtrum adorandum veniant; is enim præcipuum Divini officii objectum eſt, & maxime Dominicæ diei. Ritus genua flectendi ad verba illa Pſalmi *Venite adoremus* a Monachis proficiſcitur.

Hymni *Primo dierum omnium*, & *Nocte ſurgentes* vulgo S. Gregorio tribui ſolent; exiſtimarem tamen, eos antiquiores eſſe, quum apud S. Benedictum obvii ſint, neque alias ſatis certum videatur, S. Gregorium carmina conſcripſiſſe. Hymni iſti valde ſero Breviario Romano inſerti fuerunt.

Eo anni tempore, quo noctes longiores ſunt, ſcilicet per Æquinoctium Autumnale uſque ad Vernum, dicitur, *Primo dierum*, qui ceteris longior eſt, quia tunc Officium longius erat, cum illud incipiendi tempus longius diſtaret a diluculo, quod Laudes recitandæ erant. At *Nocte ſurgentes*, qui brevior eſt, æſtate dicitur, quod noctes breviores ſint. Hymni iſti compoſiti fuerunt ea ætate, qua nocte ad Matutinum recitandum ſurgebatur. *Nocte ſurgentes*, atque in alio, *Surgamus omnes. Nocte quærimus*. Ex Hymnis iſtis intelligitur, Eccleſiam Dominica diem illam colere velle, qua Deus Mundum condere cœpit, atque illum, qua Jeſus Chriſtus reſurrexit: *Primo dierum omnium, quo Mundus extat conditus, vel quo reſurgens*.

Quod ad Pſalmos attinet, olim officium ab illis incipiebat, quod juxta Breviarii inſcriptionem nihil aliud erat, niſi *Pſalterium diſpoſitum per hebdomadam*.

Quis hanc Breviarii diſtributionem fecerit, ignoramus; fuerit autem fortaſſis S. Hieronymus Damaſi Papæ tempore. Illud certe conſtat, eam antiquiſſimam eſſe, atque S. Benedicto anteriorem, qui tamen eam ſequi noluit, atque profitetur, ſe a Pſalterio Romano nil niſi Canticum, quod ſingulis hebdomadæ diebus ad Laudes dicitur, accepiſſe. Idem Sanctus teſtatur, ſe quidem idem, quod Pontifex, intendiſſe, curare ſcilicet, ut Pſalterium per hebdomadam abſolvatur; verum aliam Pſalmorum diſtributionem inſtituit, valde a Romana diverſam. In Romano enim cum Pſalmi vel longiſſimi numquam ſecari ſolerent, velut *Attendite*, immo ſæpe plures Pſalmi ſub eodem *Gloria Patri* conjungi, quaſi unicum conſtarent, quod ad Laudes adhuc ſupereſt; contra S. Benedictus nil veritus eſt eumdem Pſalmum in plures partes ſecare. Peculiaris hæc eſt Sancti hujus licentia, quam deinceps aliæ Regulæ imitatæ ſunt, & nonnulla quoque Concilia approbarunt; Romæ tamen ad hanc diem recepta non eſt, præter *Beati immaculati*, qui in minores diei horas diſtributus eſt, atque ante earum inſtitutionem Pſalmus ille totus ad primam diei horam, ſive ad Orationem matutinam dicebatur. S. Benedictus, & ceteri Monachi huic Pſalmorum diviſioni per Lectiones ſuppleverunt, quum e contra Romæ, atque in Eccleſiis ſæcularium in populi tantum Conventibus legi ſoleret. Hinc lectiones ad Miſſæ tempus ſervabantur, quo populo a Concionatore explicabantur. Monachi vero per quam raro concionabantur, ſatiſque habebant multum legere, atque ſuper ea, quæ lecta fuerant, meditari.

Ad primum Nocturnum conſpicuus eſt vetus mos plures Pſalmos ſub unica Antiphona recitandi, quomodo & hodie fit ad minores Horas. Antiphona *Servite* a Pſalmo a. *Quare fremuerunt* petita eſt, quemadmodum Antiphonæ ſemper a Pſalmis accipi ſolebant.

Gloria Patri Antiphonam comitabatur, atque cum plures Pſalmi ſub eadem Antiphona recitabantur, *Gloria* ad finem poſtremi Pſalmi tantum dicebatur. Hinc ad Matutinum unicum tantum *Gloria Patri* erat ad finem cujuſque e quatuor Pſalmis primi Nocturni, idque ad Laudes ſupereſt, ad Pſalmum *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, atque ad *Deus miſereatur noſtri*, atque ad alios duos *Laudate*, & *Cantate*, qui unicum tantum *Gloria*, atque unicam Antiphonam habent.

Dominicæ Officium unico tantum Nocturno ſub exordia conſtabat e duodecim

Pſal-

Pſalmis compoſito, quaſi ad Deum tot Pſalmis, quot horæ noctis ſunt, collaudandum. Apud S. Pachomium, atque Caſſianum videre eſt, Angelum duodecim Pſalmos pro noctis Officio deſignaſſe; at cum Monachi, præcipue S. Benedictus, tres Nocturnos Dominicæ Officio tribuerunt, duo quoque Romano officio addita ſunt, verum primo longe breviores, ſimileſque minoribus diei Horis effecti ſunt, quarum ſingulæ tres tantum Pſalmos habent.

Secunda Antiphona *Deus judex juſtus* e Pſalmo VII. ſumpta eſt, atque alterius eſt a noſtra, verſionis, diciturque *fortis, & longanimis* juxta verſionem a Septuaginta expreſſam, cum in Pſalmo juxta vulgatam legatur *Fortis, & patiens*, quod ſæpe in Officio occurrit. Verum id admoniſſe ſufficiat, cum poſt Pii V. Papæ tempora, qui vulgatam Breviario inferi voluit, Pſalmi tantum & Lectiones juxta eam inferti fuerint; Antiphonæ vero, atque Introitus priori loco conſtiterint, atque juxta eamdem verſionem, ſecundum quam ante Pontificem iſtum legebantur, adhuc recitari ſoleant. Tertia Antiphona *Tu Domine* e Pſalmo VI. petita eſt.

Quod ad Verſiculum *Memor fui noſte* ſpectat, Amalarius l. 4. c. 2. docet olim *Media nocte ſurgebam* dici conſuevisſe, at poſtquam media nocte ſurgere deſitum eſt, verſiculi iſti mutati ſunt. Idem docet, duodecim Pſalmos primi Nocturni recitatos fuiſſe ſine Antiphona cum tribus *Gloria Patri*, ideſt ſemel poſt quatuor quoſque Pſalmos, tres vero Pſalmos ſecundi Nocturni cum tribus Antiphonis, atque tres poſtremi cum *Alleluja*. Verſiculi iſti poſt Pſalmos breves erant preces, ſive elevationes mentis, & cordis ad Deum. Quum dicuntur, verſus Altare ſe vertunt; unde juxta Amalarium l. 4. c. 45. *a vertendo* Verſiculi appellari ſunt.

Pater ad Pſalmodiæ finem dicitur: abſolutio vero Nocturnum abſolutum eſſe ſignificabat; abſolutio enim dicitur *ab abſoluta prece*; nullæ enim erant tunc lectiones: at poſtquam illæ in Breviarium invectæ ſunt, *Pater* inter Pſalmodiam, & Lectiones invenitur, neque dici poteſt quo referatur: tutius tamen eſt credere, Orationem Dominicam medio Officio inſeri voluiſſe. Tacita voce adhuc recitari ſolet, neque vox elevatur, niſi ad *Et ne nos*, quomodo & Benedictini, qui olim nullas collectas ad Officii finem habebant, ad hanc diem *Pater* eodem modo recitant ad minorum Horarum finem; cum e contra alta voce canerentur, atque recitarentur ad Laudes, Veſperas, atque ad Miſſam. *Pater* in Nocturnis ſecreto recitatum, cui reſpondebatur, dicendo *ſed libera*, idem erat, quod noſtræ collectæ ſunt, quæ in ejus locum ſucceſſerunt, quas Sacerdos ſolus recitat, atque vocem elevat, ad *Per omnia ſecula*, ut illi reſpondeatur *Amen*. Hinc *Pater* ſecreto non dicebatur, neque adhuc plerumque dicitur, quam a Celebrante; populi vero reſponſio, *ſed libera nos a malo*, velut & *Amen* ad collectam, unionem Celebrantis ſignificat cum Aſſiſtentibus.

Amen ad *Pater* Officii non dicitur, quia populi aſſenſus Celebrantis orationi præſtitus ſatis demonſtratur poſtrema petitione, *Sed libera nos a malo*, in commune recitata.

Abſolutio, & Benedictio aliud non erant quam Celebrantis benedictio ad cujuſque Officii finem, *Abſoluta prece benedixit*, quomodo benedictio datur ad finem cujuſque Horæ dicendo, *Benedicamus Domino*, atque clarius ad Primam, & Completorium, *Dominus nos benedicat*, vel *Benedicat, & cuſtodiat nos Deus* . . . . Poſtea Verſiculus *Pater* abſolutio, & benedictio ad Lectiones, quæ invectæ fuerunt, relata ſunt.

Quare Verſiculus adverſus Altare converſus excitat ad renovandam attentionem ad preces peragendas, Lectiones audiendas, atque abſolutionem recipiendam; atque inde ſervatus eſt mos, Verſiculos ante officii collectas recitandi, ut magis attenti eſſemus orationi, quæ peragenda eſt. Olim nulli Verſiculi erant, quod in Paſchatis hebdomada adhuc ſupereſt.

Saris conſtat, eas, quas abſolutiones vocamus, preces tantum fuiſſe, cum in tertii dumtaxat Nocturni abſolutione de

de peccatorum remiſſione mentio fiat, *A vinculis peccatorum*: potuit autem id in precis formam dici cœpiſſe, eaque de cauſa pro abſolutione deprecatoria tantum haberi poteſt.

Jube facultas eſt, quam Lector a Superiore petit, antequam legere incipiat: dicit autem *Domne*, & non *Domine*, quod non Deum, ſed Superiorem alloquatur. Poſt VI. ſæculum vox iſta *Domnus* ſatis invaluit, idemque ſignificat, quod *Dominus*, *Signore*. Pontifex ipſe in vetuſtiſſimis Litaniis, referente Serario, *Domnus Apoſtolicus* appellatur. S. Benedictus cap. 63. jubet, ut Abbas *Domnus* appelletur, quod nomen, ait Smaragdus, Monachis quoque tribuitur, quia juxta S. Benedictum, Abbas Jeſum Chriſtum repræſentat, *Abbas quia vices Chriſti agis*, *Domnus appelleris*. Caſſiodorus lib. 8. cap. 5. ait, *Domni* appellationem Regibus quoque tributam fuiſſe, quæ & Sanctis ſæpe tributa eſt. Solus Pontifex, antequam lectionem ſuam legat, ait *Jube Domine*, ſermonem ad Deum convertens, quum non deceat eum ab inferioribus benedici.

Lectionibus reſpondetur dicendo *Deo gratias*, quod a Monachis derivatum eſt, qui olim per dici ſpatium hac prece utebantur; & S. Auguſtinus in Pſal. 132. eamdem tuetur adverſus Donatiſtas, qui Monachos deridebant, quod quum invicem obvios ſe haberent, ea uterentur.

Secundus, & tertius Nocturni tres tantum Pſalmos, & tres Lectiones habent, ſatiſque oſtendunt, eos veteri officio fuiſſe ſuperadditos; fuerunt enim Romæ Dominica die tres Nocturni ad Sancti Benedicti imitationem recepti.

Ad ſecundum Nocturnum in Antiphona *Bonorum meorum non indiges*, vetus verſio a Pſalmi verſione diverſa ſervata eſt, quo loco habetur *non eges*; non ſecus ac ad tertiam Antiphonam *Diligam te virtus mea*, quum in pſalmo habeatur *Fortitudo mea*. In Pſalmo iſto primus verſiculus Antiphonæ loco eſt; quod a vetuſta Antiphonarum origine ductum eſt, quæ ſub initium primus tantum Pſalmi verſiculus erant poſt ſingulos verſiculos, vel ad finem tantum, velut hodie fit, repetendus. Id in Veſpere ad *Dixit* ſupereſt, atque ad plures alios officii Pſalmos, atque etiam ad Miſſæ introitus, ut prima Adventus Dominica Introitus eſt, *Ad te Domine levavi animam meam* . . . . & Pſalmus eſt alter verſiculus: *Vias tuas demonſtra mihi*.

Poſt tertium Nocturnum dicitur *Te Deum*, Adventu, & Quadrageſima exceptis. Oratio iſta a Sancto Benedicto deſumpta eſt, ſicut etiam & duo Nocturni *Te Deum* præcedentes. Romæ Hymnus iſte Reſponſorii locum tenet, atque ideo cum recitatur, nullum extat Reſponſorium. Apud Monachos, Pariſiis, & in pluribus aliis Galliæ Eccleſiis Reſponſorium inter poſtremam Matutini Lectionem, & *Te Deum* ſemper extat.

CAP. II.

Dominica ad Laudes, atque ceteras diei Horas.

NEmo inficiari poteſt, Laudes eſſe Officium a Matutino diſtinctum, quia illis initium datur per *Deus in adjutorium*; atque ideo ſtatutum eſt, ut poſt *Te Deum* dicatur collecta, cum *Benedicamus*, cum Laudes Matutinum non comitantur, veluti fit Natalis tempore.

Quatuor priores Pſalmi ſub duobus *Alleluja* tantum recitantur. Duodecim enim Noctis Pſalmi ſub unico *Alleluja* abſoluti fuerant teſte Caſſiano, atque hoc primum erat Officii intervallum; altero vero duo *Alleluja* recitabantur, atque tertio, quod poſt ultimum *Laudate* eſt, tria dicebantur; nulla enim cantica olim ad Laudes habebantur, ſed addita tantum fuere circa VI. ſæculum, ut videre eſt ex Regula S. Benedicti, qui eadem, Romanæ Eccleſiæ exemplo, officio ſuo inſeruit.

Duo priores Pſalmi *Dominus regnavit*, & *Jubilate* ſunt velut cantica Reſurrectionis

ctionis ; & prætermitti ſolent a Septuageſima uſque ad Paſcha , quod tempus lugubre ſit, & loco *Dominus regnavit* , dicitur *Miſerere* ; reliqui duo Pſalmi *Deus Deus meus* ; cum *Deus miſereatur noſtri* quotidie dicuntur etiam Perialibus diebus , ſuntque Oratio ſub diluculum recitanda . Poſt illos unicum *Gloria Patri* dicitur , quia eandem unicam Orationem conſtituunt . Dominicis ad Laudes, atque ad minores Horas nulla alia eſt Antiphona præter *Alleluia* , quod canticum eſt Reſurrectionis , cujus memoria ſingulis Dominicis renovatur . Inter cantica , Deo laudando omnium aptiſſimum eſt *Benedicite* (Daniel. 3.) quod officio Dominicæ optime convenit. Obſervandum tantum eſt , poſtremum verſiculum *Benedicamus Patrem* , additionem eſſe Eccleſiæ , loco *Gloria Patri* , neque id cantici partem eſſe ; potuiſſet tamen ac confuſionem evitandam Antiphonæ loco ſtatui , atque diſtinctio fieri inter ea, quæ Prophetæ ſunt , quæque ejus non ſunt . Alter verſiculus *Benedictus es Domine in firmamento* ſumtus eſt ex Daniele . Idem obſervari poteſt ad Miſſam Sabbathi quatuor Temporum menſe Septembri ad quintam Lectionem, ad quam legitur hoc Canticum , atque continenter dicitur *Gloria Patri* , & *ſicut erat* , Cantico primum puerorum inſertum, quod ceteris quatuor Temporibus , licet idem canticum recitetur, obvium non eſt .

Tres poſtremi Laudum Pſalmi ſunt totius Pſalterii poſtremi , ita ut Pſalterium ad Matutinum incipiat, atque ad Laudes abſolvatur , quaſi unicum Officium ſorent . Poſtremi iſti *Laudate* , Laudum appellationem Officio huic dederunt , *Matutinæ Laudes* ; Officium enim hoc in Romanis Ordinibus tria nomina habet ; quod poſt primam Antiphonam abſolvitur , Officium ſive Oratio *Matutina* dicitur ; Canticum *puerorum* dicitur *Benedicamus* , ſive *Canticum trium puerorum* ; tres demum poſtremi Pſalmi peculiariter *Laudes* appellantur , quam appellationem toti huic Officio tribuerunt .

Hymnus *Æterne rerum conditor* conſtanter S. Ambroſio tribuendus eſt , quomodo intelligimus ex S. Auguſtino l. 1. Retract. c. 21. qui eum Patris hujus nomine recitat . Hymnus Æſtivus *Ecce jam noctis* S. Gregorio tribui ſolet .

Canticum *Benedictus* , a S. Benedicto Canticum Evangelicum appellatum , ex hujus Sancti Regula ſumtum eſt , neque ulla ejus mentio fit in Regula Aurelliani . Amalarius hujus cantici meminit, cui S. Benedictus nullam Antiphonam præpoſuit ; Romæ vero ea quæ uſurpari ſoler , pleramque ex diei Evangelio petita eſt , quemadmodum & ad *Magnificat* , quia Cantica hæc ſunt Evangelica ; idque tantum Dominicis , vel Quadrageſimæ Feriis , quibus habentur Evangelia ſingulorum dierum propria .

Quod ad commemorationes ſpectat , vel ſuffragia Sanctorum , Micrologus c. 4. air , juxta veterem Romanum ritum unicam tantum Orationem in Miſſa recitatam fuiſſe . Cum vero plures huic inſertæ ſunt , idem quoque in Officio ſervatum ; at poſtea earum numerum pro cujuſque pietatis ſenſu adauctum fuiſſe . Teſtatur præterea c. 30. in Adventu commemorationem de Cruce factam non fuiſſe , atque uſque ad Pentecoſtes feſtum abſolutum tam ad Veſperas , quam ad Laudes , Sexta etiam Feria , & Dominicis commemorationem Trinitatis prætermiſſam fuiſſe . Ea commemoratione iſta illud ſervatum eſt , ut poſtremum Mæutini Reſponſorium , quod eſt de Trinitate , *duo Seraphim* , atque Symbolum *Quicumque* ad Primam ſingulis Dominicis recitetur . In concordia S. Donſtani mentio fit ſuffragiorum Crucis , B. Virginis , & Patroni per varias Antiphonas , ſed per unicam collectam , quæ hæc omnia comprehendebat : *Quibus finitis cantent Antiphonam de Cruce , inde Antiphonam de S. Maria , & de S. Patrono* .

Commemoratio B. Virginis fit per Antiphonam , *S. Maria ſuccurre miſeris* , quæ ex Sermone 18. de Sanctis , S. Auguſtino tributo , quum tamen ſit Ambroſii Autperti , Monachi Benedictini , Volturnenſis in Italia apud Beneventum VIII. ſæculo Abbatis , perita eſt .

Hymnus *Jam lucis orto ſidere* ad Primam

mam vulgo S. Ambroſio tribuitur. Quod ad Pſalmos attinet, ex antiquis Romanis Ordinibus videmus, ſeptem Pſalmos ante *Beati immaculati in via* recitatos fuiſſe; videlicet 21. *Deus Deus meus reſpice in me*, 22. *Dominus regit me*, 23. *Ad te Domine levavi Animam meam*, 26. *Judica me Domine quoniam*, 53. *Deus in nomine tuo*, 117. *Confitemini Domino*, inde *Beati immaculati*, & *Retribue*. Verum in poſtremis Breviarii emendationibus, *Deus in nomine*, & *Confitemini* Dominica die ſervati ſunt, ceteri vero quinque, in quinque priores hebdomadæ dies diſtributi; poſt Feriam ſecundam, uſque ad Feriam ſextam. Dicitur quotidie *Deus in nomine*, & *Confitemini* Dominicæ adjunctum fuit propter verſiculum *Hæc dies*, qui cum Dominica affinitatem habet, & Feria VI. dicitur *Deus Deus meus reſpice*, quia ibi de Paſſione mentio fit, cui Feria ſexta Sacra eſt. Radulphus Propoſ. 10. ait, juxta Ambroſianum ritum *Confitemini* recitari ad Primam omnibus Dominicis, atque omnibus Feſtis, & Paſchatis hebdomada Dominica dicitur quoque Symbolum *Quicumque* S. Athanaſio tributum.

Pro Antiphona dicitur tantum *Alleluja*, quod ter repetitur, & Paſchali tempore quater: Paſchatis die vero ſemel tantum dicitur.

Nihil animadverſione dignum eſt in minoribus Dominicæ Horis, quod adnotatum non ſit, ubi de illis in univerſum egimus.

Hymnus *Lucis Creator* ad Veſperas S. Ambroſio tribui ſolet. Micrologus ait, Verſiculum *Dirigatur oratio ſicut incenſum* recitatam fuiſſe eodem tempore, quo Altare thurificabatur; *Cum ipſo Verſu Dirigatur . . . . offertur Incenſum*, & Feriæ diebus, quibus Incenſum non adhibebatur, dicebatur *Elevatio manuum &c.*

Nihil fere habetur alicujus momenti circa completorium, atque Officium ſex hebdomadæ dierum, quod, ut longius iſti inhæreamus, promereatur; quare ad Proprium de Tempore tranſitum facimus.

CAP. III.

De Salutatione Angelica.

ANtequam ſalutatio *Angelica* uſu reciperetur, mane ſignum edebatur, nominibus ad opus evocandis; meridie, ut ſignum daretur iis, qui in agris erant; & præcipue ad operarios admonendos, ut boves vel equos ſolverent, iiſque jugum demerent. Unde fit, ut quemadmodum hora undecima illa ſolvi ſolent, ita eadem hora, non meridie, Campana in agro pulſetur. Concilium Colonienſe anno 1423. jubet, ut quotidie ad Solis ortum ſignum Campana edatur; Ludovicus vero XI. ſtatuit, ut *Ave Maria* ad Campanæ ſonitum meridie reciteretur, quemadmodum Veſpere uſu jam receptum erat, atque hinc idem quoque mane fieri ſolet. Ex Concilio quodam Senonenſi XIV. ſæculi intelligimus, per ea tempora nondum additum fuiſſe *Angelus* ad *Ave Maria*, quare ut Mane, Meridie, & Veſpere Oratio fieret, Campanæ pulſatio admonebat.

PROPRIUM DE TEMPORE

CAP. IV.

De Tempore Adventus.

EX Eccleſiæ more Adventus eſt tempus ante Natalis Feſtum deſignatum, ut per pietatis exercitationes animi Fidelium præparentur, ad rite celebrandum, propitiumque ſibi reddendum Jeſu Chriſti adventum. Olim enim Adventus vox pro ipſa Natali die accipiebatur, quæ Adventus Domini appellari ſolebat, non pro tempore quo ad hoc Feſtum præparatio inſtituitur. Miſſale Mozarabicum, & Lanfranchus in ſuis Statutis, ubi de Dominicis ante Natale agitur, eas *Dominicas ante Adventum* vocant. Hymni Natalis apud S.

Digitized by Google

Ambrosium inscribuntur : *De Adventu Domini* ad hujus Festi diem demonstrandum . In veteribus libris tempus hoc appellatur juxta Dominicas I. vel II. vel III. *ante Nativitatem Domini* . Videre tamen est apud S. Bernardum, tempus hoc ea ætate Adventum appellatum fuisse : *Hodie celebramus Adventus initium* . Durandus quoque *lib. 6. Ration. præparationem Adventus* illud vocat , atque ista præparatio ad Adventum , scilicet ad Natale , quinta Dominica ante Festum istud incipiebat . Alii : *Quadragesimam ante Natalem Domini* illud appellabant ; vide Sacramentarium Rutholdi Abbatis Corbejensis ; Alii vero *Quadragesimam Martini* vocant .

Facili negotio demonstrari potest , omni ævo dies quosdam fuisse præparationi ad Natale addictos . Videmus apud Theophylum Alexandrinum , atque apud S. Augustinum , Natalis Vigilia jejunium institutum fuisse ad animos ad hoc Festum præparandos . Durandus l. 6. c. 2. & nonnulli alii contendunt , ipsum S. Petrum Adventus institutorem fuisse ; verum affirmare possumus, nihil certi ea de re quinque prioribus Ecclesiæ sæculis inveniri posse, atque Adventûs appellationem huic tempori significando designatam ante VI. vel VII. sæculum minime obviam esse .

Satis constat , illustriora ejus rei vestigia in Gallia exstare , minimeque fidei absonum est , ibidem Adventum originem suam habuisse circa V. sæculi dimidium , ut videre est ex Gregorio Turonensi l. 10. hist. c. 3. qui refert , Perpetuum Episcopum Turonensem in Diœceseos suæ usus jussisse , ut tribus per hebdomadam diebus a Festo S. Martini, usque ad Natale jejunium fieret . Inde Concilium Turonense anno 567. cum de jejuniis a Monachis per annum servandis statutum ederet , mense Septembri , Octobri , & Novembri Feriam secundam , tertiam , & sextam ipsis præscribit , atque pro mense Decembri addit can. 9. 17. *die Decembri ad Natale Domini omni die jejunent* .

Verum concilium Matisconense anno 581. constitutionem pro laicis edidit , Perpetui Decreto conformem , qua pro omnibus Fidelibus statutum est , ut singulis hebdomadis *a S. Martini Festo , usque ad Natale Domini , secunda , quarta , & sexta Feria jejunetur , & Quadragesimali ordine Sacrificia debeant celebrari.* In Gallia secunda , quarta , & sexta Feria jejunium fiebat , non Sabbato , cum e contra Romæ dies Sabbati omnibus retro sæculis jejunio destinata fuerit . Hoc pacto Adventus velut quædam Natalis quadragesima habitus fuit , quadraginta præparationis diebus Natale præcedentibus , non secus ac veris Quadragesima præparationi ad Pascha inservit . Id ex Regula Chrodogangi spectamus , qui Canonicis suis mandat , ut *a tranſitu Martini , usque ad Natale Domini a carne abſtineant , & usque ad nonam jejunent* . Capitularia caroli Magni jubent , tres Quadragesimas servari ; primam ante Pascha , alteram post Pentecosten , tertiam ante Natale ; atque additur l. 8. c. 184. *Propter conſuetudinem plebis , & Parentum noſtrorum morem obſervare convenit* . Quum vero jejunia ista omnia ad Natale referantur , ea absque dubio præparationis loco ad hoc Festum servabantur . Hinc videmus , quomodo Adventus in Gallia cœperit . Durabat autem sex hebdomadis perendie a S. Martini Festo incipiendo , quæ res occasionem dedit hilaritati , qua ea die indulgetur , eodem ferme pacto , ac Feria tertia ante cinerum diem , quia illa postrema erat , qua carnes comedere liceret , & quia sequenti die jejunium , sive abstinentia incipiebat . Rabanus l. 6. de Instit. cler. c. 22. Quadragesimam S. Martini ad Natalis Festum refert , quæ quadraginta diebus ante Jesu Christi Natale incipiebat , ut præparatio ad illud institueretur . Hinc in Missalibus Mozarabicis , Ambrosianis , & Gallicanis sex Dominicæ ante Natale numerabantur ordine retrogrado , ita ut sexta plerumque esset , quæ Festum Sancti Martini sequebatur . Videmus præterea in Bulla Bonifacii VIII. occasione Canonizationis S. Ludovici Regis, eum quadraginta dies ante Natale jejunasse , unde conjicimus , morem istum in Gallia ultra decimum tertium sæculum perduraſſe .

In-

Digitized by Google

Institutum adeo pium illico e Gallia in Italiam migravit, aliquam tamen contractionem passum: fuit enim ad quinque hebdomadas redactum. Atque inde est, quod in Sacramentario Sancti Gregorii quinque tantum Dominicæ ante Natale reperiantur. Postea vero tempus istud ad quatuor hebdomadas contractum est. Nicolaus I. in sua Epistola ad Bulgaros id ipsis tantum præscribit; *In Adventu quatuor hebdomadibus a cœnæ abstinendum*. Ratherius Veronensis decimo sæculo quatuor tantum hebdomadas designat, & Berno Augiensis sæculo undecimo ait: *In Adventu Domini quatuor hebdomadibus abstinendum*. Spicileg. t. 2. Abbo abbas Floriacensis meminit Concilii apud S. Dionysium in Gallia habiti an. 995. quo libellus exhibitus fuit de adventus initio, quod nonnulli, ut ibi refertur, 28. Novembris adversus communem consuetudinem incipiebant, cum quatuor tantum hebdomadas habere deberet. Ex Canonibus Egberti Archiepiscopi Eboracensis videmus, in Anglia unica hebdomada præparationis gratia ante Natale jejunium servatum fuisse: *Propter advenientem venerabilem solemnitatem Domini Nostri Jesu Christi in plena hebdomada ante Natale Domini præparare se gens Anglica semper consuevit*. Verum sensim ista adventus jejunia adeo laicis ipsis commendata, in simplicem abstinentiam degenerarunt. Ratherius Veronensis, Concilium Selingestadiense an. 1122. atque Abrincense an. 1172. abstinentias istas clericis tantum commendant: Salisburiense vero an. 1281. Monachos tantum ad id constringit. S. Franciscus de Paula Feriam quartam tantum, & sextam ab omnium Sanctorum die usque ad Natale pro ieiunio præscribit. Concilium Mediolanense IV. duos hosce dies pro Episcoporum domesticis designat. S. Carolus in suis Actis de abstinentia tantum agit pro Ecclesiasticis. Ex epistola Innocentii III. ad Archiepiscopum Bracharensem constat, Romæ totius adventus tempore exacte ieiunium servatum fuisse. At Urbanus V. an. 1372. domesticis suis abstinentiam tantum, non ieiunium præscribit. Gerso XV. sæculo mirabatur, quod Sacerdotes in adventu non ieiunarent. Radulphus Tongrensis propos. 16. moris meminit, qui hodie etiam Romæ servetur, scilicet Adventum die post S. Catharinam sequenti incipiendi: *Adventus Domini apud Romanos incipit Dominica prima post festivitatem Catharinæ*. Durandus lib. 6. Ration. ait: *De B. Thoma non est jejunium statuum, quia ejus Festum est in Adventu, ubi continuum est jejunium*

Licet affirmare non possimus, quando celebrari cœperit tempus, atque officium Adventus, nemo tamen inficiari poterit, a quinto usque sæculo populis commendatum fuisse, ut se ad Natalis Festum pararent. Extant de hoc argumento sermones duo Maximi Turinensis, atque inter opera S. Ambrosii duo sermones sub hujus Patris nomine, qui tamen S. Ambrosii non sunt, sed S. Maximi, vel S. Cæsarii, quibus tempus istud designatur pro dispondendis animis ad Jesu Christi Natale: *Hoc tempus non immerito Domini Adventus nominatur, nec sine causa SS. Patres Adventum Domini celebrare cœperunt, & sermones de iis diebus ad Populum habuerunt, ut se unusquisque Fidelis præpararet, & emundaret, quo digne Dei, ac Domini sui Nativitatem celebrare valeret*. Scriptor iste, quicumque is demum sit, satis ostendit, tempus istud ante ætatem suam institutum fuisse, atque singulis Adventus diebus concionem habitam fuisse. Videmus quoque ex sermonibus *de Tempore* S. Augustino tributis, quique inter opera S. Cæsarii lotari solent, hortationes ad Fideles pro concione habitas fuisse, ut se ad synaxim Natali die rite suscipiendam pararent, atque ad id per pœnitentiam, eleemosynam, atque continentiam disponerent.

Verus iste mos Adventus tempore concionandi ad hanc diem servatur. Habemus apud S. Bernardum, atque Ivonem Carnutensem sermones *de Adventu Domini*. S. Bernardus in primo suorum sermonum de tempore hoc tamquam celebri meminit: *Hodie celebramus Adventus initium, cujus nomen utique*

que celebre fatis, & notum Mundo. In capitularibus Caroli Calvi an. 846. Epiſcopi facultatem petunt ab aula ſecedendi Adventus tempore, atque ad Diœceſes ſuas redeundi; ut prædicationi, atque aliis Miniſterii ipſorum muneribus vacarent: *Maxime in Sacratiſſimis temporibus Quadrageſimæ, & Adventus Domini*. De ieiunio vero Adventus nullum aliud veſtigium ſupereſt, quam in Officio, quod Feriarum diebus celebratur, more Quadrageſimali, excepta Miſſa, quæ poſt Sextam tantum recitatur. Nulla quoque Matrimonia per hoc tempus celebrantur, per quod olim coniugati continentiam ſervabant.

Ad rite Adventus Officium intelligendum neceſſe eſt obſervare, Eccleſiam duplicem ſimul Jeſu Chriſti Adventum nobis proponere, ad pietatem noſtram duplici hoc argumento magis occupandam. Inde eſt, quod tot ibi inveniantur ad gloriam referenda, quæ Jeſum chriſtum in altero ſuo Adventu debet comitari, licet præcipuus finis ſit, nos ad Natalis Feſtum diſponere, quod ad primum dumtaxat Adventum refertur. Ieiunium non adeo rigide Adventus, quam Quadrageſimæ tempore ſervabatur; videre enim eſt apud quoſdam Scriptores, ova, atque lacticinia edi conſueviſſe, atque ita Nicolaus I. abſtinentiam tantum a carnibus Bulgaris præſcribit.

Romæ adventus a quinta primum Dominica ante Natale incipiebat, quomodo & in Sacramentario S. Gregorii, atque in veteribus Lectionariis adnotatum eſt, quod & Amalarius ætate ſua jam obſervaverat l. 3. c. 40. *In antiquis libris Miſſalium, & Lectionariorum repetitur ſcriptum hebdomada quinta ante Natalem Domini, totidem enim lectiones habentur, & totidem Evangelia*. Evangelia quinque harum Dominicarum ita fere diſpoſita erant. Quinta Miraculum erat multiplicationis panum: *Cum ſubleveſſet Jeſus oculos*. Quarta erat ingreſſus Jeſu chriſti Hieroſolymam: *Cum veniſſet Bethphage*. Tertia: *Erunt ſigna*; Secunda; *Quum audiſſet Joannes in vinculis*; & prima Dominica ante Natale, *Miſerunt Judæi*. Idem apud Lanfrancum c. 1. ſect. 2. in ſuis ſtatutis ſpectamus, primam ſcilicet Dominicam Adventus illam eſſe, qua Evangelium multiplicationis panum legitur. In Gallia, atque in Hiſpania Adventus ſex hebdomadas habebat; prima erat, quæ ſtatim poſt S. Martini Feſtum ſequebatur, quemadmodum iam admonuimus. Caroli Magni ævo Romana conſuetudo in Galliam tranſiit, atque paulo poſt Adventus ad quatuor Dominicas redactus fuit, ex quibus tres erant ſolidæ hebdomadæ, intra quartam vero Natalis vigilia evenire debebat. Amalarius, qui de antiquiori more meminerat, poſtremum iſtum non prætermiſit, atque de duobus hiſce motibus agit, qui ætate ſua, nono ſæculo ſcilicet ineunte, iam ſervabantur, atque rationem quærit eos conciliandi. Poſtquam Adventus ad quatuor Dominicas redactus eſt, eas numerandi ratio mutata fuit, atque illa, quæ quarta ante Natale appellabatur, prima Dominica Adventus vocata fuit, & tertia ante Natale ſecunda Adventus dicta, atque ita de ceteris. Berno Augienſis, qui ſæculo undecimo vivebat, c. 4. de Miſſa, Adventus meminit, uti quatuor Dominicas iſtas cum ſuis hebdomadis continentis. In Collectione quadam Homiliarum, quæ Bedæ tribuuntur, quatuor tantum Evangelia Adventus tempore reperiuntur; primum eſt, *Miſſus eſt*, Alterum, *Exſurgens Maria*; Tertium; *Fuit Joannes in Deſerto*; Quartum, *Joannes teſtimonium perhibet*.

Græcorum Eccleſia ſuum quoque Adventum habet quadraginta diebus conſtantem, velut altera Quadrageſima, quæ tamen in ſola abſtinentia a carnibus poſita eſt; hodie vero ſeptem tantum diebus ieiunium ſervare ex lege tenentur.

CAP. V.

De Officio primæ Dominicæ Adventus.

ROmæ ſæpe mutata eſt ratio Officium Adventus tempore recitandi.

Digitized by Google

di. In Ordine Romano S. Petri a Thomasio p. 16. edito, Sabbato ante primam Dominicam ad Vesperas dicuntur psalmi de Sabbato sub unica antiphona, quæ est prima Laudum de Dominica : *In illa die stillabunt* ; Versiculus *Ostende nobis Domine*, atque antiphona ad *Magnificat* : *Spiritus Sanctus* . . . . Inde Oratio de Dominica, scilicet Missæ. Dicitur ibidem, si Festum S. Andreæ Sabbato accidat, Vesperas de Festo futuras cum Commemoratione Dominicæ, antiphona, versiculo, & Oratione prædictis. In aliis Ordinariis Officium Adventus a Capitulo incipiebat cum Commemoratione S. Andreæ. In eodem ordine Romano scriptum est, ab hac die usque ad octavam Epiphaniæ commemorationem S. Petri, & S. Pauli prætermitti. Idem spectatur in Ordine Romano Benedicti XI. sæculo S. Petri Canonico.

Hodie Adventus Officium Sabbato incipit tantum a Capitulo, & non ab antiphona Laudum, quod post Lectiones Officio ejusdem diei insertas factum est. Capitulum illud ex epistola Missæ de Dominica Rom. 13. sumtum est. In pluribus Galliæ Ecclesiis primæ Epistolæ loco legebatur prophetia Malachiæ : *Ecce ego mittam Angelum meum* . . . . . & pro secunda Epistola S. Jacobi loco, quæ de Judicio agit : *Patientes estote usque ad Adventum Domini*. Hymni quoque additi fuere ; tresque illi de Adventu, scilicet, *Conditor* . . . *Verbum Supernum* . . . . *Vox ecce clara* . . . . S. Ambrosio, sed sine testimonio tribuuntur. Versiculus *Rorate*, atque antiphona *Ecce nomen* alii sunt a veteri more. Oratio *Excita* reperitur in Sacramentario Sancti Gregorii ad Missam.

In potissima Ecclesiarum parte, ubi Missæ Epistola pro Capitulo non sumebatur, Sabbato ad Vesperas dicebatur : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum* . . . . Habetur quoque Responsorium, *Salvatorem expectamus* ; nam olim in Gallia dicebantur responsoria ad primas Vesperas Dominicarum, & Festorum. Id superest Parisiis, atque in nonnullis aliis Ecclesiis ad primas Vesperas Festorum duplicium.

Durante Adventu servatus fuit mos nullam Sanctorum commemorationem faciendi, idque optima ratione, cum Officium istud destinatum sit ad omnium Sanctorum Principis, atque Sancti Sanctorum expectationem. At in Veteri Ordine apud Thomas. Commemoratio B. Virginis fiebat singulis Adventus diebus usque ad Natale, *Commemorationem B. Virginis quotidie facimus*, quod Missali conforme est, ubi per Adventum in Missa fit commemoratio B. Virginis, quod eo solidiori nititur fundamento, quum Deus per eam Filium suum nobis tradere velit.

Hymnus *Conditor* extat in omnibus Ordinariis ; in quibusdam ad *Te deprecamur* inclinatio fit. Hymnus iste elegantior reddi posset, sicuti Cluniacenses perfecerunt. Apud Monachos ante Completorium legebantur Homiliæ S. Bernardi super *Missus est*, aut Dialogi S. Gregorii.

Observare juvabit, Officium Adventus inter omnia totius anni Officia maxime varium esse, quum per quatuor hebdomadas tot habeat antiphonas proprias, & Responsoria, cuncta fere e Scriptura petita, ita ut ex totius Breviarii elaboratissimis merito haberi possit. In novis quibusdam Breviariis sequens ordo servatus est, ut nempe Capitula non ex Epistola Dominicæ sumta sint, sed aliunde, quo amplius e Scriptura legatur ; a Pii enim V. dumtaxat temporibus Dominicis Adventus, Septuagesimæ, Quadragesimæ, Paschali tempore, atque Festis diebus Capitula ista ex Missæ Epistola sumuntur, atque idem quater repetitur, scilicet ad primas, & secundas Vesperas, ad Laudes, atque ad Tertiam. Propriæ præterea pro Vesperis antiphonæ ab antiphonis Laudum diversæ adjectæ sunt, atque ad minores Dominicæ horas Antiphonæ, & Capitula diebus Ferialibus desumpta, cum inde etiam petantur Responsoria, atque postremo Responsorio aliud substitutum, quod ad Evangelium ea die perlectum refertur.

[a] Invitatorium *Regem venturum* prima Do-

Dominica ad Matutinum extat in pleriſque Ordinariis, ſi pauca excipias, etiam in Gallia, ubi habetur, *Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori noſtro.*

Antiphonæ primi Nocturni a Benedicto Canonico relatæ ſunt, *Miſſus eſt Gabriel* pro quatuor prioribus pſalmis; *Ave Maria* pro quatuor ſequentibus, *Ne timeas Maria* pro quatuor poſtremis. Antiphonæ iſtæ ſunt ex Evangelio S. Lucæ. Hodie tres aliæ antiphonæ dicuntur, quæ majorem cum ſecundo Adventu affinitatem habent, quam cum primo; vel antiphonæ iſtæ a Prophetis petitæ ſint. Jeſu chriſti Natalem a pluribus ſæculis prædictum annuntiant, ut ſtimulum nobis ad nos majori cura ad Nativitatem ſuam præparandos injiciant.

Verſiculus primi Nocturni erat olim *Oſtende nobis*; hodie vero eſt, *Ex Sion ſpecies*, de firma ſcilicet ſpe nobis a Deo per ſuos prophetas tradita, Filium ſuum nobis mittendi.

Lectiones primi Nocturni ex Iſaja petitæ ſunt, quum enim iſte primus ſit e quatuor majoribus Prophetis, ea de cauſſa ab illo initium ducitur. Inter Prophetas omnes nemo magis diſtincte Meſſiam deſcripſit, atque Iſajas, agitque tam clare de Jeſu Chriſto, atque de Eccleſia, ut Evangeliſta potius quam Propheta haberi poſſet, atque Hiſtoricus res jam geſtas referens, quam vir olim poſt multa ſæcula implenda prænuntians verus videatur. S. Hieronymus, pluresque alii pariter ſentiunt, Iſajam omnium Sacrorum Scriptorum eloquentiſſimum eſſe, eumque cum Demoſthene conferunt; verum Græca interpretatio paulo liberius confecta eſt, neque ſemper Hebraico exemplari conformis. In veteribus Breviariis legitur titulus: *Incipit Iſajas Propheta*, iſque ad primam tantum Lectionem. Ad primum autem, & ſecundum Nocturnum perlegebatur in pluribus Eccleſiis, quod adhuc alicubi ſervatur. In Pariſienſi Cathedrali legitur primum Prologus S. Hieronymi in Iſajam, atque ad finem Prologi dicitur, *Explicit Prologus*, poſtea *Tu autem*. Ad finem Lectionum Iſajæ Pariſiis vetus mos reſtitutus eſt dicendi, *Hæc dicit Dominus, convertimini ad me, & ſalvi eritis*. Carthuſiani morem iſtum numquam intermiſerunt.

In prima Lectione, ubi dicitur bos agnovisſe poſſeſſorem ſuum, atque aſinus præſepe Domini ſui, id populi ſtupiditatem erga Deum ſignificat, atque hinc Pictores Jeſum Chriſtum in medio præſepis inter bovem & aſinum jacentem efformant. Extant Auctores nonnulli ignobiles, aut minus caſtigati, qui hujus ſententiæ fuerunt, veluti Auctor Poematis Lactantio tributi, atque alius Sermonis 33. S. Joanni Chryſoſtomo tom. 6. adſcripti, & Auctor libri Promiſſionum ſub nomine S. Proſperi latens.

Primum Reſponſorium *Aſpiciens* plures Verſiculos habet, atque ad finem *Gloria Patri*, hunc que morem plures verſiculos ad ſingula reſponſoria inferendi, & *Gloria Patri*, non ſecus ac ad tria Reſponſoria cujuſque Nocturni, & ad ſingula minorum horarum Reſponſoria dicitur, recitandi morem Romæ ſatis frequentem fuiſſe, ex Ordine Romano Benedicti Canonici intelligitur. Amalarius ait, ætate ſua Reſponſorium iſtud *Aſpiciens* tres Verſiculos habuiſſe in Antiphonario, quod Eccleſiæ Metenſi tradiderat; at in Abbatiæ Corbejenſis Antiphonario, quod Romanum erat, duos tantum Verſiculos exſtitiſſe. Honorius quoque Auguſtodunenſis de tribus hiſce Verſiculis loquitur, atque ad hanc diem tres Verſiculi uſurpari ſolent. Augebatur Verſiculorum numerus quum idem Reſponſorium per hebdomadam repetendum erat, atque in dies ſingulos ſinguli verſiculi ſumebantur: *Quando Reſponſorium cantari contingit bis aut ter in una hebdomada, aut in hebdomadis cui ſubnexi ſunt tres verſus, ut unus cantetur in una nocte, alter in altera, tertius in tertia.*

In pluribus Eccleſiis Reſponſorio huic plures cæremoniæ addebantur; canebatur autem cum Symphonia & Muſica, ob hæc verba: *Ite obviam ei* . . . . quaſi Meſſiæ obviam eundum eſſet. Pariſiis atque in nonnullis aliis Eccleſiis major campana hoc tempore pulſatur, tam-

Digitized by Google

tamquam ſignum ad Populos admonendos, ut obviam eant Meſſiæ.

Ad ſecundum Nocturnum in veteribus Romanis Ordinibus Antiphonæ erant, *Ecce ancilla . . . . Angelus Domini . . . . Antequam convenirent . . .* Hæ Antiphonæ ex Evangelio petitæ erant, atque majorem cum Feſto Annunciationis affinitatem habebant, cujus revera Officium toto Adventu fieri cenſebatur; ſed ut aliquod diſcrimen extaret, in poſtremis Breviariis Antiphonæ ex Prophetis ſelectæ ſunt.

Verſiculus ſecundi Nocturni erat, *Veni ad liberandum*. Lectiones erant S. Auguſtini, & S. Leonis; hodie vero legitur tantum S. Leo de ſecundo adventu Jeſu Chriſti. Cum autem S. Leo primus ſit Pontifex, cujus Sermones collecti fuerunt, æquiſſimum erat, ut Romæ legeretur, ubi pro concione habiti fuerant; atque inde eſt, quod jure ſingulis ſolemnitatibus illum legi ſtudeant. Idem inter Latinorum Patrum eloquentiſſimos annumeratur.

Licet S. Leo primus ſit Pontifex, cujus Sermones ſuperſint, exiſtimandum tamen non eſt, ejus Deceſſores numquam conciones habuiſſe, quemodo nonnulli opinati ſunt ex Sozomeno l. 7. c. 13. ubi dicitur in Eccleſia Romana neque Epiſcopum, neque alium ejus nomine ad populum verba facere. Quis enim mente aſſequi poterit, in celeberrima totius orbis Eccleſia Epiſcopum, unum ex præcipuis muneribus ſuis, alimentum ſcilicet ſpirituale gregibus ſuis præbendi obire neglexiſſe? S. Leo nuſquam ſignificat, ſe rem novam concionando præſtitiſſe; immo ipſe profitetur Serm. 3. 7. & alibi ſe munus tantum ſuum implere; atque Sermone 82. de Sixto agens, publicarum Inſtructionum meminit, quas ille populo ſuo faciebat, *Ut utilitatibus Inſtitutionum ejus &c.* S. Ambroſius Sermonem memorat a Papa Liberio habitum pro Marcellinæ profeſſione in Baſilica S. Petri Natalis die, quod teſtimonium eſt veteris moris concionem in profeſſionibus habendi, eumque Roma fortaſſe originem ducere, aut ſaltem ibi perpetuo ſervatum fuiſſe. Dicendum igitur eſt, Romanos Pontifices omni ævo concionatos fuiſſe, non ſecus ac ceteri Epiſcopi in Eccleſiis ſuis præſtabant; S. Leonem vero primum extitiſſe, cujus Sermones collecti fuerint, fortaſſe quod reliquis eloquentiores eſſent; ejus enim ſtylus oratoriis ornamentis refertus eſt, atque numeroſa & ſonora oratione gaudet, quæ res attentionem maxime conciliat.

Apoſtolorum & Sanctorum Epiſcoporum exemplo ſatis docemur, auctoritatem & facultatem concionandi propriam eſſe Eccleſiæ Paſtorum. Quare id non prætermittebant, niſi quum ob negotia, vel morbos muneris ſui miniſterio vacare nequirent, atque eo caſu, ad ſuam abſentiam ſupplendam, atque Fideles Verbo Dei nutriendos presbyteris utebantur. Attamen primorum Epiſcoporum Sermones videntur potius fuiſſe allocutiones, atque inſtitutiones familiares, quam veri Sermones; atque hinc videmus neque a populis ſuorum paſtorum ſermones fuiſſe collectos, neque Epiſcopos eos litteris mandaſſe. Origenes primus eſt, cujus Homilias habeamus, creditur que eas ſcripſiſſe, cum nimis elaboratæ ſint, atque de argumentis agat tanta eruditione refertis, ut ex tempore eas conſcripſiſſe, atque antequam pronuntiaret ſcriptis non mandaſſe, minime vero ſimile fiat. Primus Epiſcopus, cujus in Oriente Orationes habeamus, eſt Gregorius Nazianzenus. Elucet autem in ejus ſcriptis minime vulgaris eloquentiæ apparatus, atque ipſemet nos docet, amanuenſes eum habuiſſe, qui Orationes ſuas conſcriberent. Orat. 32. *Valete Sermonum meorum amatores, & calami tam perſpicui, quam occulti*. Sanctus Joannes Chryſoſtomus, cum adhuc Presbyter eſſet, Homilias ſuas ad populum conſcribere ſtuduit; in illis vero nihil prætermiſit, quod auditorum animos allicere atque commovere poſſet; qua de re ad Oratoriæ Artis regulas diligenter exactæ ſunt, atque inde Chryſoſtomi appellationem eſt aſſecutus.

Fieri quoque poruit, ut cum primi Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi Græci eſſent origine, quemadmodum eorum nomina oſtendunt, ideo difficulter latine verba facere pro concione potuerint, quod & Valerio Hipponenſi Epiſcopo contigit,

qui ministerium hoc S. Augustino adhuc Presbytero delegare coactus fuit ; vel ut propterea rato conciones habuerint ; aut tandem ut concionandi mos primis sæculis nondum fuerit constitutus. Satis enim erant breves quædam allocutiones in Evangelia, quales a S. Justino proferuntur, Homiliarum vel Sermonum loco ; idque magis convenit primorum temporum simplicitati, atque rectè latine loquendi difficultati. Inde quoque fortasse ratio petì potest, cur cum tot Epistolæ, atque Decretales primis illis Pontificibus falsò adscriptæ fuerint, iis tamen nullus Sermo sit tributus, quæ res Sozomeno occasionem scribendi dedit, Romæ nullos umquam habèri Sermones.

Lectiones secundi Nocturni sumtæ sunt ex Sermone S. Leonis de jejunio decimi mensis, scilicet de jejunio quatuor temporum Decembris, ubi dicitur post collectas terræ fruges per messem, æquum etiam esse, ut Deo grates referantur, atque pauperibus bona a Deo nobis tributa distribuantur, atque abstinentia servetur, atque ita jejunium & eleemosynam commendat, simulque docemur, quomodo Sacrum Adventus tempus transigendum sit. In iis etiam agit S. Leo de postremo judicio, atque de Mundi fine, tamquam in proximo essent, & ait, Christianam temperantiam sitam esse in refecandis superfluis omnibus, quibus concupiscentia gaudet, quæque sensibus tantum oblectandis inserviunt, demonstratque, quanto facilius animus a terrestribus curis atque negotiis solutus bonis cœlestibus contemplandis, æternisque rebus per silentium atque solitudinem meditandis aptus sit.

Ad tertium Nocturnum Antiphonæ erant quoque ex Evangelio, *Ecce Ancilla . . . . Beata es Maria . . . . Beatam me dicent . . . .* quæ postea in eas, quas hodie reciramus, mutatæ sunt. Priores duæ Lectiones ex Epistola S. Leonis ad Flavianum sumtæ erant ; tertia vero erat Homilia in Evangelium, ut refert Benedictus Canonicus. Evangelium autem istud quam diutissime illud fuit de Jesu Christo Hierosolymam subeunte, quod Dominica Palmarum dicitur. Id non tantum ex Ruperto sæculi duodecimi scriptore constat, sed etiam ex nostris Gallicanis Breviariis sæculi decimiquinti, ubi habetur cum Homilia S. Joannis Chrysostomi Evangelium : *erunt signa in Sole*, cum Adventus sex Dominicis constabat, secunda Dominica Adventus, sive tertia ante Natale legebatur ; atque ea est ratio, cur in primam Dominicam translatum fuerit.

Homilia S. Gregorii est : maxime enim decet, ut Romæ explicationes legantur in Evangelia, quas Pontifex ille publice ad Populum habuit. Micrologus, qui de Evangelio *Erunt signa in Sole* agit pro prima Adventus Dominica, hanc ejus rei rationem c. 3. reddit, Evangelium istud primum fuisse, super quod S. Gregorius Homilias conscripserit, neque eum Pontificem ordinem ullum servasse in iis, quæ seligebat. Idem scriptor ait, *ex antiqua traditione* ea die Evangelium Jesu Christi Hierosolymam subeuntis, *Quum appropinquares* lectum fuisse, idque in Lectionario S. Hieronymi adnotatum esse, atque illud Evangelium affinitatem habere cum Jesu Christi Natali, qui tunc primum orbem hunc subibat ; ex hoc etiam Evangelio Responsorium, quod Natali dicitur, *Benedictus qui venit*, sumtum fuisse, quod hodie tertium est Circumcisionis die. Verum quidquid dicat Auctor iste de titulo hujus Homiliæ, quæ prima inter Gregorianas recensita sit, multum immorandum non est inscriptionibus, vel titulis Homiliarum ejus Pontificis, eorum præcipue, qui hodie hujus Patris editionibus inserti sunt ; isti enim 200 vel 300 annis ab ejus morte superadditi fuere : consulendi tantummodo sunt manuscripti codices Regiæ & Thuaneæ Bibliothecæ, qui inscriptiones præferunt ab editis valde diversas ; antiquiores vero septingentorum fere annorum nullas habent. In editis Dominicæ post Trinitatem numerantur, cum Festum istud recentissimum sit. Adnotatum quoque, Homiliam sextam recitatam fuisse in Basilica S. Marcellini, et S. Petri Dominica tertia Adventus, die ipsorum Natali,

cum

cum tamen horum Sanctorum Feſtum conſtanter ſecunda Junii celebretur. Scriptum eſt præterea ad plurium Homiliarum capita, eas in Baſilica S. Joannis, quæ Conſtantiniana dicitur, pronunciatas fuiſſe, quum tamen conſtet, Baſilicam iſtam fuiſſe Baſilicam Salvatoris, atque ita appellatam a Papa Sylveſtro, & in Epiſtola Stephani VI. anno 885. Verum quidem eſt, prope Salvatoris Eccleſiam, S. Joannis Baptiſtæ Eccleſiam quamdam extitiſſe, atque alium S. Joannis Evangeliſtæ; verum illæ Monaſteria erant. Anaſtaſius ſæpe obſervat, Baſilicam S. Salvatoris Conſtantinianam fuiſſe.

Fieri equidem poteſt, Homiliam iſtam in hujus diei Evangelium primum eſſe Sermonem, quem S. Gregorius habuerit, atque id occaſionem dediſſe Evangelium de Judicio legendi prima anni Eccleſiaſtici die, ut in ea prima quoque ejus Pontificis Homilia legeretur. Agit in his lectionibus S. Gregorius de Mundi fine, quaſi brevi accidere deberet propter aeris intemperiem, atque hominum internecionem paſſim graſſantem.

In quibuſdam Eccleſiis Evangelii loco legebatur initium S. Marci, ubi agitur de Miſſione, atque prædicatione Præcurſoris, qui ut Meſſiæ vias præpararet, advenerat.

In nonnullis Romanis Ordinibus videmus, ad tertium Nocturnum primi Reſponſoria repetita fuiſſe, & in Bibliothecæ Sangallenſis Ordine Reſponſoria extant, quæ ad hanc diem recitantur.

Quod ad *Te Deum* ſpectat, mos illud in Adventu Romæ recitandi, uſque ad duodecimum ſæculum viguit. Amalarius, qui IX. ſæculo vivebat, ait in Supplem. *apud aliquas tantum Eccleſias omiſſum fuiſſe*; atque in Ordine Romano Benedicti canonici adnotatum eſt, poſt nonam Lectionem in Adventu recitatum fuiſſe, *Quibus finitis cantatur Te Deum laudamus*. Quare poſt duodecimum tantum ſæculum illud Romæ in Adventu dicere ceſſatum eſt; atque ideo in Miſſa hujus temporis *Gloria in Excelſis* non dicitur, quia ex veteri Romana Rubrica hi duo Hymni ſe invicem comitari debent, neque *Gloria* in Miſſa dicitur, quando ad Matutinum *Te Deum* recitatum non eſt. Innocentius III. hujus Rubricæ meminit, atque ejus fortaſſe Auctor eſt, eamque rationem reddit, quod nempe hi duo Hymni Sanctiſſimæ Trinitatis laudes contineant. Circa hoc idem tempus violaceis ornamentis in Adventu Romæ uti cœptum eſt, tamquam tempore myſteriorum pleno, quum olim referente Amalario candida ornamenta adhiberentur, atque Officium cum lætitiæ, & celebritatis ſignificationibus peragereturur. Refert idem Benedictus p. 120. ſingulis Adventus Dominicis *Gloria* recitatum fuiſſe: *D. Papa venit . . . . ibique ſicut mos eſt, cantat Miſſas cum Gloria in Excelſis Deo, ſicut in aliis Dominicis, uſque ad Natalem Domini*. Micrologus cap. 30. quarumdam Eccleſiarum meminit, ubi neque *Te Deum*, neque *Gloria* in Adventu dicebantur, ut majori cum lætitia, inquit ipſe, Natalis die reſumerentur. Ait quoque, pleraſque Eccleſias Caſulis Dalmaticarum loco in Miſſa uſas fuiſſe, in aliis vero ordinarias veſtes mutatas non fuiſſe, propterea quod Miſſa ad Tertiam dicatur, atque *Alleluia* tamquam per anni curſum canatur. Neque diu eſt, quod Pariſiis in Adventu albis ornamentis utrebantur. Turone, atque Cænomanii nigras adhibent.

Refert Radulphus Glaber hiſt. lib. 3. in pluribus Conciliis circa annum 1000. in Gallia habitis querelas propoſitas fuiſſe adverſus Monachos, quod *Te Deum* dicerent Adventus, & Quadrageſimæ Dominicis *contra Eccleſiæ Romanæ morem*; eos vero reſpondiſſe, ita a S. Benedicto præſcriptum fuiſſe; complures Pontifices, atque inter ceteros S. Gregorium Regulam illam comprobaſſe, atque *His compertis uſus Monachorum authentico ex more viguit*. Lanfranchus in ſuis ſtatutis c. 7. agit de more ſuorum temporum neque *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria* ad Miſſam per Adventum, ne Feſtis quidem diebus recitandi. *In Adventu omnibus Dominicis, & Feſtis Gloria in Excelſis minime cantatur*. Itaque veuſtiſſima Romæ conſuetudo erat, quæque circa

duodecimum ſæculum reſtituta eſt, *Te Deum* in Adventu non recitandi; *Vidi tempore priſco*, ait Amalarius, *Gloria in Excelſis prætermiſsi in Adventu*; quod ſi olim, ideſt ante ſuam ætatem, omittebatur, id tacite ſignificat, ejus ævo amplius omiſſum non fuiſſe.

In quibuſdam Eccleſiis per Adventum poſt Matutinum antequam Laudes inciperentur, Chorus univerſus genua flectebat, atque veluti ſuſpirabundus ob expectatam ſalutem ſolemniter canebat, *Emitte Agnum Dominatorem*, quod uſque ad Natalis Vigiliam fiebat. Oratio iſta verſiculi Sacerdotalis loco Pariſiis, atque in aliis Eccleſiis, inſervit.

In Eccleſia S. Martini Turonenſis dicebatur olim *Te Deum* per Adventum, & per Quadrageſimam uſque ad Paſſionis Dominicam, neque ultra 400. annos eſt, quod ibi communis Eccleſiæ conſuetudo recepta ſit. Contra Toloſæ *Te Deum* in Adventu non recitabatur, ne Feſtis quidem S. Saturnini, S. Andreæ, S. Thomæ, aliiſque, licet *Gloria in Excelſis* Feſtis hiſce in Miſſa recitaretur.

Ad Laudes Antiphona *In illa die*, in omnibus Romanis Ordinibus reperitur, & quatuor ſequentes cum Alleluja ad cujuſque finem, abſque capitulo, vel Hymno, quæ ſoquioribus tantum ſæculis invecta ſunt.

Verſiculus erat, *Egredietur de loco ſuo*, quod mutatum eſt in illud, *Vox clamantis*; Antiphona *Spiritus* ad Pſalmum *Benedictus* extat quoque in veteribus libris.

In antiquis Senonenſibus ſtatutis anni 1267. videre eſt, Epiſcopum concionari debuiſſe prima Dominica Adventus ante Miſſam. Pariſiis dies iſta ex illis eſt, quibus Theologus Epiſcopi loco concionari debet.

Ad minores Horas ad Pſalmos Primæ recitabatur ſecunda Laudum Antiphona, *Iucundare*; ad Tertiam tertia; ad Sextam quarta; ad Nonam quinta; ad Veſperas vero quinque Laudum Antiphonæ repetebantur.

Mane ſtatio habebatur ad S. Mariam Majorem, ibique Pontifex Miſſam cum ſolemnitate celebrabat; & *Gloria in Excelſis* canebatur; verum decimo tertio ſæculo conſpicuus eſt mos illud in adventu amplius non recitandi, ut videre eſt in Ordine Romano Cajetani, qui Bonifacii VIII. tempore vivebat; *A Dominica de Adventu uſque ad Nativitatem Domini non cantatur Gloria in Excelſis, niſi in Feſto novem Lectionum*. Feſtis quoque, ut hodie cantabatur; non vero a Septuageſima uſque ad Paſchas; hujuſque rei occaſione refert idem Scriptor Romanum morem hunc Hymnum ad Miſſam non recitandi, quando *Te Deum* ad Matutinum recitatum non fuerat: *Gloria ſemper dicitur in Miſſa, quando Te Deum dicitur ad Matutinum, ut dicitur Ite Miſſa eſt, ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ*.

Miſſæ Epiſtolæ ſæpe mutata fuit, atque aliquando illa Hieremiæ perlegebantur, quæ cap. 23. 5. habet de Adventu Meſſiæ tamquam populi ſui Paſtoris nobis promiſſi. Ejus rei meminit Dutandus lib. 6. cap. 142. in aliis Eccleſiis Malachias c. 3. 1. legebatur de primo Jeſu Chriſti Adventu, ante quem Deus mittere debebat Angelum ſuum, ſive Præcurſorem; vel ea, quæ S. Jacobus c. 5. 7. ſcribit ad præparandos ad ſecundum Jeſu Chriſti adventum fideles. Hæ duæ Epiſtolæ in veteribus Gallicæ Sacramentariis habentur; neque diu eſt, quod Epiſtola ad Romanos legitur, eo loco ubi c. 13. 7. dicitur, ſalutem noſtram proximam eſſe, quod & Rupertus, & Durandus teſtantur.

Quod ad Evangelium ſpectat, hactenus dicta ſufficere poſſunt, ut intelligamus, illud, quod hodie legitur, primæ Dominicæ Adventus proprium effectum non fuiſſe, niſi poſtquam tempus iſtud ad quatuor Dominicas fuit redactum.

CAPUT VI.

De Feriis Adventus.

IN Feriis Adventus vetus Officium hodierno fere ſimillimum erat.

Feria ſecunda ad primum Reſponſo-

rium

rium Matutini *Suſcipe* videntur reſecari poſſe in verſiculo verba illa, *Efficieris gravida, & eris Mater ſemper intacta*, cum paulo ante idem ſelectioribus verbis dictum fuerit.

Secundum Reſponſorium Feriæ tertiæ ex viſione quadam Ezechielis ſumtum, ſatis elaboratum eſſe non videtur.

Facili negotio videre eſt, Reſponſoria trium poſtremorum hebdomadæ dierum a Dominica ſumta eſſe, atque a tribus præcedentibus diebus.

In veteribus Romanis Ordinibus, Feriarum diebus in Adventu, ad Veſperas Pſalmi diei proprii dicebantur, ſub priori Antiphona Laudum Dominicæ, atque cum commemoratione B. Virginis per Antiphonam *Miſſus eſt V. Ave Maria.* Oratio *Deus qui de B.M.V. utero*: fiebat quoque commemoratio Sanctorum in univerſum; *Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti ejus cum eo V. Exultabunt Sancti.*

Pro Feriis Adventus Miſſa habebatur vocata *de Adventu*. Huic ſimilis extat in lectionario Gallicano, *Miſſa in Adventum Domini*, & Miſſa hæc quinque prioribus hebdomadæ diebus dicebatur: *Sabbato* vero *Miſſa de S. Maria, ſi non fuerit Feſtivitas novem Lectionum*; tunc enim Officium erat de Feſto.

Concilium Matiſconenſe anni 581. can. 9. mandaverat, ut poſt S. Martini Feſtum uſque ad Natale Feria ſecunda, quarta, & ſexta Miſſa celebraretur eadem ratione, atque hora, ut in Quadrageſima. Verum diu eſt, quod id neque in Gallia ſervatur, neque apud Græcos, qui in ipſorum jejunio Quadrageſimali, quod Natale præcedit, Miſſam præſanctificatorum non celebrant, ut in Quadrageſima ante Paſcha. Nihil ergo ſingulare habetur in Miſſa Feriarum Adventus, quæ plerumque eadem eſt cum Miſſa de Dominica.

Olim Romæ Epiſtolæ extabant, atque Evangelia propria pro Miſſis Feriæ quartæ, & ſextæ cujuſque Adventus hebdomadæ, quæ Feriæ peculiariter jejunio deſtinatæ ſunt; ſed poſt Pii V. reformationem conſuetudo iſta exolevit; at Pariſiis in novo Miſſali Domini Harlæi reſtituta fuit.

In veteſtis Ordinariis Turonenſibus, Bituricenſibus, aliiſque ſtatutum eſt, ut in Adventu Miſſa poſt Nonam dicatur, velut jejunii diebus, exceptis Dominicis, & Feſtis novem Lectionum, atq; ut eadem, quæ in Quadrageſima, ornamenta adhibeantur. Pariſiis poſt Sextam dicitur Cabilone ſtatutum erat, ne *Gloria in excelſis* diceretur in Miſſa Adventus, etiam cum Feſta in id tempus inciderent. Meminit Rupertus moris cujuſdam, juxta quem in Adventu Diaconus Dalmaticam, & Subdiaconus Tunicam in Miſſa non geſtabat.

CAPUT VII.

Secunda Dominica de Adventu.

IN Ordine Romano Amelii anni 1394. habetur, ſi Feſtum duplex in aliquam e Dominicis Adventus inciderit, in aliam diem transferendum eſſe, quia Dominicæ illæ proprium Officium habent: *Quoniam iſtæ Dominicæ habent hiſtorias proprias.* En ergo poſtremorum ſæculorum de Dominicis Rubrica, ut cum Reſponſoria, & Antiphonæ propriæ haberentur, velut in Dominicis Adventus, atque a Septuageſima uſque ad Paſcha nullius Feſti Officium fieri deberet.

Secunda Adventûs Dominica ſtatio erat ad S. Crucem in Hieruſalem, ubi Papa Miſſam celebrare debebat; propriumque Invitatorium exſtabat: *Rex noſter advenit Chriſtus, quem Ioannes prædicavit Agnum eſſe venturum.* Extabant quoque Antiphonæ propriæ cujuſque Nocturni, erantque Reſponſoria eadem fere, atque illa, quæ hodie recitamus, & Antiphonæ Laudum, *Ecce in nubibus.*

In quodam Ordine Romano, tres priores Lectiones hujus diei ex Iſaja petitæ erant, tres vero ſecundi Nocturni ex Sermone cujuſdam Patris, cujus nomen tacetur, atque ad tertium Nocturnum duæ Lectiones ex aliqua S. Pauli Epiſtolarum, poſtrema vero erat Homilia in Evangelium. Hinc patet antiqua

qua conſuetudo legendi vetus Teſtamentum ad primum Nocturnum, Sermonem cujuſdam Patris ad ſecundum, & Novum Teſtamentum ad tertium; quod tribus ante Paſcha diebus adhuc ſervatur.

Hodie ad ſecundum Nocturnum legitur S. Hieronymus, quo explicantur Lectiones in primo Nocturno lectæ, ſcilicet Prophetia, ubi Virgo tamquam ſurculus ſtirpis Jeſſe per David a quo deſcendit, ſpectatur, & Jeſus Chriſtus tamquam flos, & fructus ejus viſcerum, quem ipſa in lucem edidit. Ibi quoque habetur interpretatio S. Hieronymi, qua locum illum e Canticis Jeſu Chriſto accommodat, ubi Sponſus florem agrorum ſe eſſe ait, & Lilium Convallium, ut inde oſtenderet, cum pro totius Mundi ſalute advenerit, omnes ad eum accedere poſſe, fere uti agrorum flos omnium ſpectat orum manibus teri objectus eſt, alio longe diſcrimine a floribus hortenſibus, qui ſub cuſtodis tutela ab omni injuria immunes ſunt. S. Hieronymus in Lectionibus iſtis mentionem facit Evangelii Hebraici, quo Nazareni utebantur. In hoc Evangelio locus Iſaiæ aliter legebatur, atque in Editionibus Græcis, & Latinis; ejus enim ſententiæ loco, quam nos legimus, Spiritum Sanctum requieturum, ſive habitaturum in Meſſia, majori quadam vi legebatur, plenitudinem Spiritus Sancti in ipſo reſeſſuram.

Ad tertium Nocturnum in Homilia S. Gregorii nobilis quædam ſententia exrat, tanto magis oportere nos gratos, atque obſequentes Deo præbere, quanto profundius ſe ipſe inclinavit, humanam naturam pro nobis aſſumens, reſque in ſpeciem ſummæ ipſius excellentiæ indignas ſubiens, quod Judæis, atque Gentilibus, ne ſcandalum ob Dei Filii humilitatem accipiant, impedimento eſſe debet.

CAP. VIII.

Tertia Dominica Adventus.

DOminica iſta plerumque *Dominica de Gaudete* dicitur, quia Miſſæ introitus a *Gaudete* incipit. Romæ maxime ſolemnis erat; atqsin quibuſdam Ordinibus habetur, Sabbato præcedentiad veſperas conſueviſſe recitari pſalmos de Dominica, *Dixit*, & *Laudate omnes gentes* quinti Pſalmi loco, cum quinque Antiphonis Laudum tertiæ Dominicæ; & noctu ſtationem apud S. Petrum fuiſſe; quo ante Matutinum proceſſionem inſtituebant, & Nocturnum tres Pſalmos, tres Antiphonas, tres Lectiones, ac tria Reſponſoria habentem canebant. Lectiones iſtæ ex Iſaja erant: *Gaudens gaudebo*. Inde *Te Deum*, quod ſolemnis dicebantur tres Nocturni ejus diei proprii, cum Antiphonis, & Reſponſoriis propriis; Invitatorium erat, *Ecce venit D. Rex. occurramus obviam Salvatori*. Antiphonæ Laudum, & Reſponſoria Matutini eadem cum illis erant, quæ nos recitamus; Lectiones primi Nocturni erant, ut in minori officio jam recitato, ex Iſaja petitæ, *Gaudens gaudebo*. Ad ſecundum Nocturnum legebatur Epiſtola S. Leonis ad Flavianum de Incarnationis Myſterio, legebaturque a Cardinalibus. Duæ priores Lectiones tertii Nocturni Patris alicujus explicationem in Iſajam continebant, poſtremam vero Lectionem Papa legebat, quæ Homilia erat in Evangelium ejus diei. Poſtea Primicerius præcinebat *Te Deum*; Miſſamque ea die Papa celebrabat, & *Gloria in Excelſis* dicebat.

Hodie aliud eſt Invitatorium, & cum Natalis non longe abſit, dicitur, *Prope eſt jam Dominus*. Lectiones ſecundi Nocturni ſermo ſunt S. Leonis de Collectis, ſive ſtipe, quæ certis per annum Dominicis Romæ pro egenis colligebatur. Extant hac de re ſex hujus Patris Sermones, de *Collectis* inſcripti. Eleemoſynam ibi commendat, admonetque, collectas a Traditione Apoſtolica proficiſci, adeo ut earum mentio a S. Paulo fiat 1. Cor. 16. 1. *De Collectis, quæ fiunt in Sanctos . . . . per unam Sabbati*. In eodem Sermone, ait quoque S. Leo, quatuor Temporibus Feria quarta, & ſexta jejunium ſervatum fuiſſe, & Sabbato vigilias in Eccleſia S. Petri habitas. *Quarta, & ſexta Feria jejunemus, Sabbato autem apud B. Petrum Apoſtolum præ-*

pariter vigilemus. Minime autem existimandum est, Sabbato jejunium servatum non fuisse, quod S. Leo vigiliæ tantum meminerit; jejunium enim ea die pro veteri Romano more Sabbato jejunandi servabatur, atque in Sabbato quatuor Temporum jejunium usque ad Dominicam porrigebatur, quæ vigiliam habebat, ideſt cujus nox in Ecclesia transigebatur ad Ordinationes habendas, nox scilicet inter Sabbatum, & Dominicam intercedens, qua jejunium Sabbati porrigebatur, & nonnisi Dominica post absolutam Ordinationem comedere licebat. Admonebatur populus, ut vigiliæ huic in Ecclesia S. Petri interesset, quæ statio erat Fidelium Urbis Romæ. Ordinationes autem non in domesticis Episcoporum facellis, ut hodie, sed publice, atque in præcipua Urbis Ecclesia habebantur coram Clero, & populo, & ceremonia hæc pars erat officii hujus Dominicæ.

Ad calcem omnium fere Sermonum, qui de quatuor Temporibus S. Leonis extant, legitur formula moniti, quod populo fiebat ad eum hortandum, ut officio huic interesset. Verum hæc additio est ab exscriptoribus facta; licet jam diu locis illis inserta fuerit, cum Micrologus c. 26. testetur, eam ætate sua ad singulos S. Leonis Sermones de quatuor Temporibus extitisse: *Quem denunciationis modum pene in omnibus suis Sermonibus obtinuit, cum jejunia quatuor Temporum denunciares*.

In Lectionibus istis S. Leo jejunii præstantiam explicat, atque, illud eleemosynæ junctum esse debere, atque in egenos largienda, quæ per abstinentiam e prandio refecantur; hospitalitatem in advenas exercendam; nodos vestiendos, atque opem ægrotis ferendam. Ad hujus Sermonis finem petit a Deo, ut preces suæ exaudiantur per merita, atque suffragium S. Petri: *Cujus suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus per Dominum nostrum Jesum Christum*. Hac ratione pleræque nostræ Sanctorum Collectæ conscriptæ sunt, petimusque Deiopem, atque auxilium per merita, atque intercessionem Sanctorum: *Ejus meritis, & intercessione*. Petimus autem hoc pacto a Deo, ut nobis propitius sit ob virtutes, & res gestas, quibus Sancti Deo ita gratos se reddiderunt, ut vitam æternam promeriti sint. Idem quoque sæpe in veteri Testamento usurpatum fuisse, Scriptura docet iis in locis, quibus a Deo Patriarcharum merita proponuntur, veluti apud Danielem ait Ananias ad Deum: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum*, Dan. 3.

Nostrarum Collectarum conclusio extat etiam ad hujus Sermonis finem, ubi post proposita Deo merita, atque preces S. Petri, Jesu Christi intercessio additur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*. Omne, quod Ecclesia a Deo petit, per Jesu Christi merita, atque intercessionem deprecatur, *qui vivit, & regnat cum Deo Patre, & Sancto Spiritu in sæcula sæculorum*. Ad Sermonis finem respondebat populus *Amen*, claudebatur vero Divini nominis invocatione. In conclusione ista non extat *Deus*, uti in nostris Collectis, sed tantum, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum*.

Decem & novem Sermones S. Leonis extant de jejunio decimi mensis, id est Decembris, quo Romæ frequentius, quam ceteris anni temporibus Ordinatio fiebat.

Ad tertium Nocturnum Homilia S. Gregorii circa humilitatem S. Joannis tota versatur, explicatque, quomodo absque mendacio præclaros titulos ipse palam a Jesu Christo tributos respuere potuerit.

CAP. IX.

De quatuor Temporibus Mensis Decembris.

TErtia Adventus hebdomada celebre jejunium, atque Officium quatuor Temporum occurrit, cujus originem investigare juvat.

Exi-

Existimarunt nonnulli, Ecclesiam in jejuniis quatuor Temporum, seu tempestatum anni, Synagogam imitari voluisse, quod Propheta Zacharias cap. 8. de quarti, quinti, septimi, & decimi mensis jeiunio agat, quæ ad ætatis, autumni, atque hyemis tempora referri videntur. Hæc est S. Leonis sententia, qui de jeiunio Decembris agens, ait serm. 11. id ex Veteris Testamenti moribus ad nos perveniſſe, atque Apostolos mores istos veteris legis retinuisse, propter utilitatem, quam Fideles inde haurire poterant. Idem Pontifex serm. 9. & 7. tradere videtur, jeiunia ista Ecclesiæ ab Apostolica institutione manare. Verum indubie affirmandum est, nullum jeiunii quatuor Temporum vestigium ante S. Leonem extare; fieri tamen potest, ut Judæorum morem imitandum sibi proposuerint, qui jeiunia in quatuor anni tempora distributa habebant. Quare idem Pontifex ait serm. 18. jeiunia ista juxta sensum S. Spiritus Ecclesiæ inspiratum ita per anni cursum distributa esse, ut abstinentiæ lex singulis temporibus præscripta habeatur; etenim præter veris jeiunium, quod Quadragesima continetur, habemus ætatis jeiunium ad Pentecostem, jeiunium autumni septimo mense, jeiunium hyemis decimo, sive Decembri. Meminit quoque in serm. 9a. quatuor horum temporum, plurefque eius sermones de jeiunio septimi, & decimi mensis ad nos pervenerunt.

S. Isidorus Hispalensis Offic. 37. 38. Rabanus l. 1. Inst. c. 18. aliique opinati sunt, jeiunia ista Apostolicæ institutionis esse, atque post eos falsarum Decretalium Scriptor Papæ Callixto Decretum tribuit, quo statuitur, ut quatuor Temporum jeiunium ab Apostolica traditione acceptum ubique servandum sit. Verum quum Decretalis ista pro supposititia ab omnibus habeatur, neque ullus umquam ante S. Leonem horum jeiuniorum meminerit, nec tamen Pontifex iste eius rei auctorem prodat, agatque velut de more Romæ recepto, nihil certi hac de re affirmare possumus, nisi jeiunia ista S. Leone antiquiora esse, licet originem, atque initium demonstrare non possimus. Peculiaris erat Romanæ Ecclesiæ mos Feria quarta, sexta, & Sabbato per annum jeiunandi; verum quum Fideles ab instituto isto deficerent, res eo rediit, ut quater tantum per annum servaretur ad singulorum anni temporum initium. Conspicuus est mos ille apud S. Augustinum in Epistola sua ad Casulanum; *Christianus, qui quarta, & sexta Feria, & ipſi Sabbato jeiunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit.* Idem Pater ibidem rationem affert, cur Ecclesia Feria quarta, & sexta jeiunare magis studuerit, aitque: *Ipsa quarta Feria consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Deinde Feria sexta dies Passionis eius manifestus est.* In vita S. Fulgentii c. 29. hæc habentur: *Per singulas septimanas omnes Clericos, & Viduas, & quicunque potuisset ex laicis quarta & sexta Feria statuit jeiunare.* S. Epiphanius hæres. 75. affirmat, Apostolos statuisse, ut duobus illis diebus jeiunium servaretur, idque ubique obſervatum: *Quis est usquam servorum, qui non eo consentiat, quartam, sextamque Feriam solemni in Ecclesia jeiunio consecratam ex Apostolorum auctoritate.* S. Clemens Alexandrinus quoque l. 7. Strom. hujus moris meminit. Erat autem id a Judæis profectum, quum Pharisæi bis per hebdomadam jeiunare, gloriæ sibi ducerent: *Jeiuno bis in Sabbato.*

Romana consuetudo quatuor Temporibus jeiunandi statim in Hispaniam transiit, quum S. Isidorus l. 1. Offic. c. 36. meminerit de jeiunio Pentecostes, messis, atque alterius ante Festum Natalis, quæ tria sunt anni tempora; nam veris tempus Quadragesima continetur; quæ ratio est, quod apud veteres Scriptores jeiunia ista trium temporum appellentur: *Jeiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti*, ait Atto Vercellensis x. sæculo.

Jeiunia ista octavo sæculo in Galliam migrarunt, atque nono sæculo in Concilio Moguntino an. 813. & in Capitularibus c. 34. l. 5. accepta fuere. *Constituimus*, ait Concilium Moguntinum, *ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio obſerventur, hoc est, in mense Mar-*

Digitized by Google

Martio hebdomada prima . . . . In Menſe Junii hebdomada ſecunda . . . . . In Menſe Septembri hebdomada tertia, & in Menſe Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum. En ergo conſtitutio juxta exemplar ab Eccleſia Romana acceptum, recenſque in Gallia inſtitutum ad Romanæ Eccleſiæ exemplum.

Idem Concilium Moguntinum ieiunia iſta recipiens, atque iiſdem hebdomadis, ut Romæ, affigens, decrevit, ieiunium iſtud Stationis fore magis, quam Quadrageſimæ, neque eodem rigore, ut Romæ, ſervandum, ubi non niſi poſt Veſperas cibum ſumere licebat; fas enim erat illud ſolvere poſt Nonam, qua diebus illis Miſſa celebrabatur, non expectato ſolis occaſu; licet eadem abſtinentia, ut Quadrageſima tunc ſervaretur: *Et venient omnes ad Eccleſiam hora Nona cum Litaniis ad Miſſarum ſolemnia, & jejunetur uſque ad horam Nonam, & a carne ab omnibus abſtineatur.*

Iſidorus Hiſpalenſis c. 39. 40. ubi de ieiuniis Quatuor anni Temporum agit, aliter atque Romæ conſuevetat, ea collocat; aliud enim tribus poſtremis diebus hebdomadæ poſt Pentecoſtem deſignat, quod & in Concilio Gerundenſi an. 517. factum eſt: aliud Menſe Septembri ad ejus exemplum, quod a Moyſe decima die ſeptimi Menſis ſtatutum eſt ad publicam expiationem, quod Jeremias inſtituerat; poſtremum vero Calendis Januarii, qua die jejunium ab Eccleſia mandatum erat, ut obex poneretur inſaniæ, atque inhoneſtis ludis, ac jocis, qui Calendis Januariis ſæculis illis fieri ſolebant. Hinc aliqua inter Eccleſias diverſitas fuit circa Quatuor Temporum jejunia, neque Romanus mos firmiter per totum Occidentem conſtitutus fuit, niſi Papæ Victoris II. tempore an. 1054. vel etiam ſub Urbano II. in Concilio Claromontano.

Affirmare conſtantet poſſumus, nullum Quatuor Temporum veſtigium in tota antiquitate exſtare. Tertullianus, Euſebius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, qui tam ſæpe de jejunio egerunt, ne verbum quidem hac de re habent. Orientalis Eccleſia numquam ea agnovit, neque ad hanc diem novit, immo in ea vetitum ſemper fuit Sabbato jejunare. In Eccleſia Mediolanenſi ante S. Catolum numquam ſervata fuerant; ipſe enim primus ea ſervari curavit in ſua Diœceſi v. Concilii Mediolanenſis decreto.

Demum Romæ quoque per longum tempus tria tantum tempora numerabantur; quod jejunium menſis Martii cum Quadrageſima confunderetur. Hinc in Sacramentario S. Gregorii *Jejunium trium temporum dicitur*. Nulla ibi exſtat collecta, neque Officium, niſi pro quarto, ſeptimo, & decimo Menſibus; hinc jejunium primi menſis, quod hodie legitur, additio eſt hujus Pontificis tempore poſterior. Concilium Cloveshovienſe an. 747. can. 18. *Ieiunium trium temporum* dumtaxat appellat. Atto Vercellenſis decimo ſæculo trium Temporum morem, qui in Italia adhuc vigebat, in aliud Quatuor Tempotum, qui ubique fere alibi ſtatuebatur, mutavit. Decretum vero Papæ Calixto tributum, ſuppoſititium eſt, ad quartum tempus tribus aliis ab Apoſtolis inſtitutis addendum. Decretum iſtud ſcriptum eſt ex falſis decretalibus, quarum Auctor ad Apoſtolos uſque porrigit ea, quæ tempore, quo ipſe ſcribebat, adhuc recentia erant.

Quod ad Officium Feriæ quartæ Quatuor Temporum Decembris ſpectat, noctu ad Matutinum Iſaiæ Lectio non intermittebatur. Pius V. primus juſſit, ut Evangelium Miſſæ cum Homilia legeretur. Apud Carthuſianos, & Cluniacenſes, atque alibi hactenus id non ſervatur; Pariſiis vero, & in pluribus aliis Eccleſiis mos iſte ad Romanæ Eccleſiæ exemplum invectus fuit.

Quod ad Miſſam attinet, Romæ ſtatio habebatur ad S. Mariam Maiorem, ubi Papa rem divinam peragebat, eratque *Miſſa more Quadrageſimali*. Veſpere tantum celebrabatur ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, atque ante collectas *Flectamus genua* dicebatur. Oratio ſuper populum fiebat, cantuſque lugubris erat, pronunciabatque Pontifex ad Miſſam iſtam eos, qui Sabbato ſequenti ordinandi

erant. Ordo Benedict. *Ibi D. Papa cantat Missam, & nuntiat, quem ordinare disponis. Auxiliante Domino, & Salvatore nostro Iesu Christo elegimus hunc Diaconum, in Presbyteratum. Si quis habet contrarium, pro Deo, cum fiducia exeat, & dicat verum, tamen memor sit conditionis suæ.* Durandus l. 6. c. 8. observat, ætate sua Ordinandorum examen ea die adhuc habitum fuisse, atque leiunium geniculationes, & preces eius diei ad hoc examen refert.

In Missa huius diei duæ habentur Epistolæ, ex Propheta Isaia 7. 22. desumptæ; erat enim vetus mos duas quotidie legendi, primam ex veteri, ex novo alteram Testamento, quod Feria quarta, & Sabbato quatuor Temporum dumtaxat hodie servatur. Evangelium est de Annuntiatione *Missus est*, pluribusque in locis Missa solemnis erat propter Evangelium de Incarnatione, quod ad Matutinum legitur cum luminibus, thure, casula, sive tunica, velut ad Missam, atque dum perlegitur tam ad Matutinum, quam ad Missam, Parisiis, Rothomagi, Meldis, & in pluribus aliis Ecclesiis, maior campana pulsatur. In sancto Parisiensi sacello ad Matutinum post lectionem Evangelii *Missus est*, modis musicis canitur *Salve Regina*. Biducassibus eædem vestes sumuntur ad legendum *Missus* ad Matutinum, quæ ad Missam, scilicet casula cum Diacono, Subdiacono, Cruce, Cereis, Thure, gestatque celebrans palmam manibus, dum hoc Evangelium legitur, atque inde Chorus universus Evangeliorum codicem deosculatur. Meminit Durandus l. 6. cap. 8. huius cæremoniæ, quæ in pluribus Galliæ Ecclesiis adhuc viget. Propter huius Evangelii solemnitatem pluribus in locis genua sub Officii tempus non flectebantur, atque minus B. Virginis officium prætermittebatur. In aliis vero Ecclesiis celebrans alba indutus totum Evangelium ad Matutinum legebat, atque inde Diaconus Homiliam e Beda sumtam; in Missa vero ad primam orationem dicebatur: *Dominus vobiscum*. Romæ Homilia super *Missus est* a S. Ambrosio petitur, ubi inter cetera habetur, de B. Virgine: *Electa est; quæ erat desponsata viro, non antequam desponsaretur, ne diceretur, quod concepera ex adulterio*. Ex quo loco intelligimus, Patrem istum existimasse, Mariam non tantum Sponsam, sed veram Uxorem S. Iosephi fuisse. Primum Matutini Responsorium *Clama in solitudine* a Micrologo c. 32. refertur.

In veteri quodam S. Dionysii Breviario in Gallia statutum legimus, ut Festa, quæ in eam diem incidere possent, in aliam transferrentur; & cum ad Matutinum legatur, *Missus est*, non dicitur *Iube* ad Lectionem istam, sed *Dominus vobiscum*, velut ad Missam. Homilia est e Beda accepta.

Feria sexta Evangelium est de Visitatione B. Virginis, atque Homilia S. Ambrosii rursum est, ubi promtitudinem extollit, qua Virgo ad Elisabethem cognatam suam transiit, quod veluti argumentum proponit, activitatis gratia in animis docibilibus, qui pias eius inspirationes sequuntur: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

CAP. X.

De Sabbato quatuor Temporum, atque de Ordinatione huic diei annexa.

SAbbato Evangelium est de Prædicatione S. Joannis, constatque ex S. Gregorio, qui ea de re Homiliam conscripsit, eius ætate Evangelium istud ante Natale in Ecclesia S. Joannis Lateranensis lectum fuisse, ubi tunc statio habebatur, quæ postea in Ecclesiam S. Petri translata fuit.

Notabilis hæc dies erat propter Missam, atque cæremoniam Ordinationis huic diei annexæ. Papa Gelasius ep. 9. c. 7. primus Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum sabbatis Quatuor Temporum, ad Quadragesimæ medium, atque Vespere sabbati sancti celebrari destinavit, existimatque, nullo eventu Presbyterum, vel Diaconum alio tempore ordinari posse: *Ordinationes Presbyte-*

byterorum , Diaconorumque , niſi certis temporibus , & diebus exercere non audeant , ideſt , quarti menſis ieiunio , ſeptimi , & decimi , ſedeſtam Quadrageſimalis initii , ac mediana Quadrageſimæ die Sabbati ieiunio .

Olim Ordinatio Miniſtrorum nulli tempori fixa erat , ſed prout Eccleſiæ neceſſitas ferebat , quocumque tempore, ut Græci vel hodie faciunt , ordinabantur . Circa quintum ſæculum Dominicis tantum Ordinationes fieri cœperunt , cuius rei Conſtitutiones Apoſtolicæ meminerunt , quemadmodum & Papa Zoſimus , s. Hilarius Arelatenſis , & præcipue s. Leo , qui in ep. 2. Dioſcorum Alexandrinum hortatur ad Eccleſiæ Romanæ morem ſervandum circa tempus Ordinationum , quæ , inquit , promiſcue diebus omnibus faciendæ non ſunt , ſed tantum nocte inter ſabbatum , & Dominicam , quæ veluti ad Dominicam diem ſpectare videri poſſet, iubetque, ut illi , qui Ordinationem celebrabunt , ieiuni ſint , atque ieiuninm ſabbati uſque ad Dominicam producant , ideſt , ut poſtquam per totum ſabbatum ieiunarint , Dominica poſt abſolutam Ordinationem mane cibum ſumant . Ita enim explicatur ab Urbano II. in Concilio Claromontano anno 1095. ubi de Ordinationibus hæc habentur : *Et tunc protrahatur ieiunium uſque ad craſtinum , ut magis appareat in die Dominico ordinationes fieri* . Verum mos iſte , cuius meminit s. Leo tamquam Romæ iam conſtituti , Dominicis tantum ordinandi non ubique ſervabatur . Eius enim ratio habita fuiſſe non videtur in Ordinationibus s. Ambroſii , s. Auguſtini , s. Paulini , & plurium aliorum ; quare Pontifex iſte teſtatur ep. 83. morem iſtum peculiarem Romanorum fuiſſe , quod adhuc in Epiſcoporum Ordinationibus ſervatur , quæ non niſi Dominicis , vel Feſtis ſolemnibus fieri ſolent : *Solum autem maiores noſtri Reſurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum iudicarunt , ut Sacerdotes , qui ſummuntur , hoc die potiſſimum . . . . non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis , vel Leviticæ Ordinatio celebretur* .

Poſtquam Gelaſius Papa Presbyterorum , aliorumque Miniſtrorum ordinationem ſabbato Quatuor Temporum fieri deſtinavit , cernimus morem iſtum ab Egberto Archiepiſcopo Eboracenſi anno 747. in Canonibus ſuis confirmatum fuiſſe : *Epiſcoporum Ordinationes fieri oportet diebus Dominicis ; Presbyterorum vero , & Diaconorum in Sabbatis Quatuor Temporum* . Can. 47. Attamen dici poteſt , id non ubique ſervatum fuiſſe , licet infitiari non poſſimus , concilium claromontanum ſub Urbano II. anno 1095. ea de re decretum edidiſſe, legemque iſtam ab eo tempore in Eccleſia Latina uſu receptam fuiſſe. Habetur enim *Can.* 24. hujus Concilii , Ordinationes faciendas non eſſe niſi Quatuor Temporibus , & Sabbato tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ , ſtatuitque , ſi fieri poteſt , ut jejunium uſque ad Dominicam producatur, ut Ordinationes ea die celebrentur . Concilium quoque Lemovicenſe anni 1031. tempus Ordinationum Quatuor Temporibus deſtinat , idemque ait Concilium Rotomagenſe can. 8. Ordines Sacros nocte inter Sabbatum , & Dominicam , vel Dominica mane conferendos eſſe , ſi jejunium Sabbati ſolutum non ſit .

Amalarius , atque Micrologus teſtantur , nullum exſtare teſtimonium , quoante Papæ Simplicii tempora Ordinationes alio tempore , quam Decembri factas fuiſſe probari poſſit ; verum id falſo tantum Damaſi Pontificali nititur ; conſtat enim ex S. Leone , Ordinationes ſingulis anni temporibus factas fuiſſe, dummodo dies Dominica eſſet , primuſque Gelaſius Papa Ordinationes Quatuor Temporibus conjunxit . Licet quoque primis eccleſiæ ſæculis , quibus Miniſtrorum numerus adhuc perexiguus erat , neque opus ducebatur eos, ut hodie, multiplicandi , Romæ quoque unica Ordinatio per annum habebatur Menſe Decembri , ob Natalis Feſtum , ideoque ad anni finem , ut in promtu eſſent ad Eccleſiam ſub proximè ſequentis anni initium deſtiviendam . Verum etſi unica ſolemnis Ordinatio per annum habita fuiſſet , exiſtimandum tamen eſt alias extra Ordinem factas fuiſſe , cum

Eccleſia Paſtoribus opus haberet . Verum quocumque demum tempore Ordinatio fieret , Romana conſuetudo juxta S. Leonem erat , eam nocte , quæ Dominicam præcedit , celebrandi , *circa noctem Dominicam* , atque a jejunis , quia Romæ Sabbatis jejunabatur ; atque ideo ad jejunium Dominicæ Vigilia reperiendum , opus non erat ante Gelaſium Papam aliquod anni tempus expectare . Cæremonia circa noctis medium peragebatur , & ad lucem uſque perdurabat , ſive uſque ad Dominicæ Auroram ; ea deinde ad Sabbati veſperam retracta fuit ; cum enim a jejunis id præſtandum eſſet, occaſio ſumta eſt decimo vel undecimo ſæculo illud prævertendi ob difficultatem , jejunium tanto tempore ſervandi . Dominicæ iſtæ vacantes appellabantur , *Dominicæ vacat* , quia proprias Miſſas non habebant , Miſſaque de Ordinatione , quæ Dominica die mane fiebat , pro ejus diei Miſſa reputabatur ; unde ad nos derivavit conſuetudo Quatuor Temporibus Decembris & Quadrageſimæ idem Evangelium Sabbato , & Dominica ad Miſſam dicendi ; quarta vero Dominica Adventus rota Miſſa præter Epiſtolam & Evangelium a Feria quarta præcedenti ſumta eſt . Miſſa, quæ circa Dominicam dicebatur , pro Dominicæ Miſſa habebatur ; atque hinc in omnibus Sacramentariis ante nonum ſæculum , atque antequam Ordinatio huic Sabbato adnecteretur , videre eſt Epiſtolam & Evangelium , quæ Romæ dicebantur Dominica ante Natale . Reliquum etiam nobis eſt , ut ad poſtremam collectam *Flectamus genua* non dicatur , quia tunc Ordinatio abſolutæ erat , atque Dominica appropinquabat . Oratio quoque ſuper populum teſte Pſeudo-Alcuino amplius non dicitur , quia canones Dominica die geniculationes fieri vetant .

Hodie mos iſte penitus obſolevit ; Ordinationes enim neque Dominica , neque Veſpere Sabbati , ſed mane fiunt. Hinc in recentibus Breviariis , nec Sabbato , & Dominica idem Evangelium repetatur , Dominicæ verus ſuum Evangelium ſervatur , & Sabbato initium Evangelii S. Marci legitur : *Sicut ſcriptum eſt in Iſaja: Ecce ego mitto Angelum.*

Quarta iſta Dominica inter dies vacantes numeratur , quemadmodum & ceteræ omnes quæ poſt Sabbatum Quatuor Temporum , ſive Ordinationes accidunt .

Quod ad hujus diei Officium ſpectat , S. Gregorius in Homilia ſuper Evangelium oſtendit , Baptiſmo S. Joannis peccata remiſſa non fuiſſe , ſed ad eorum remiſſionem accipiendam per Jeſu Chriſti Baptiſmum ſolummodo præparaviſſe.

In quibuſdam Romanis Ordinibus ſtatio erat ad S. Petrum , atque Ordinationis tempore Papa Eccleſia iſta exibat , atque in Eccleſiam S. Andreæ ad Ordinationem faciendam tranſibat , inde ad S. Petri Eccleſiam ad Miſſam abſolvendam revertebatur , quia *In hoc Altari (S. Petri) nulla Conſecratio debet fieri, niſi de Romano Pontifice* . Ad Miſſam dicebantur primum duodecim Lectiones , unde Sabbatum iſtud duodecim Lectionum dies appellatum fuit ; ante Ordinationem ſcilicet , quemadmodum totidem dicebantur & antequam baptizarentur Cathecumeni , & ante Fontium Benedictionem , quæ Romæ Sabbato Sancto adhuc leguntur . Verum Sabbato Quatuor Temporum duodecim Lectionum numerus ad ſex contractus fuit ; affirmarque Micrologus c. 42. olim ſex tantum recitatas fuiſſe , atque cum Græce , & Latine recitarentur , duodecim ita exſtitiſſe : *Hoc Sabbatum quamvis ſex tantum habeat Lectiones , dicitur tamen duodecim Lectionum , eo quod antiquitus Lectiones bis legebantur , Græce videlicet , & Latinè* . Amalarius id ipſum jam ante adnotaverat l. 2. c. 1. aitque , ætate ſua idem Conſtantinopoli ſervatum fuiſſe . Berno Augienſis, qui ſæculo undecimo vivebat , teſtatur Romæ morem viguiſſe eas Græce , & Latine recirandi ; primas pro Græcis , qui Officio aderant , neque Latine ſciebant, alteras vero pro Latinis ; unde credibile fit , ſex tantum ur hodie exſtitiſſe , atque duodecim Lectiones appellatas fuiſſe, quod ſingulæ bis legerentur Latine ſemel , atque iterum Græce .

Inter ſex iſtas Lectiones plerumque quinque ex veteri Teſtamento petitæ ſunt , atque conſtanter Sabbato Quatuor

tuor Temporum ſervari ſolet, ut pro quinta ejus diei Lectione liberatio trium puerorum e fornace Babylonica accipiatur, ad demonſtrandum, juxta Pſeudo-Alcuinum, eos qui ordinandi ſunt, tamquam pueros illos probatos eſſe debere. Adnotat quoque, non dici *Flectamus genua* ad collectam hujus Lectionis, in eorum, quæ de Nabuchodonoſore perlecta fuerant, deteſtationem, qui Dei loco ſtatuam ſuam adorari faciebat. Ad finem hujus Epiſtolæ non dicitur *Deo gratias*, quia gratiæ Deo redduntur per Hymnum ſive Gradualem ſubſequentem, cui *Gloria Patri* & *Sicut erat* inſertum eſt, eo pacto quo Laudibus Dominicæ ad calcem Cantici *Benedicite* additum fuit *Benedicamus Patrem & Filium*. Adnotandum tamen eſt, doxologiam iſtam non exſtare apud Prophetam Danielem, ſed ab Eccleſia compoſitam & Officio ſuo inſertam fuiſſe, quemadmodum & in Pſalmis, aliiſque Officii ſui canticis facere ſolet.

Inter quintam & ſextam Lectionem peragebatur longa atque moleſta cæremonia ordinationis, quæ a ſatis longa Litania incipiebat, poſtquam Epiſcopus ſermonem atque hortationem faciebat, ceteraſque cæremonias in Pontificali deſignatas; ea de cauſſa tota Sabbati nox inſumebatur uſque ad Dominicæ initium; ea autem tranſacta, quarta ſcilicet vigilia, ſi incipiente jam Dominica ad poſtremam collectam perventum eſſet, cum ea die genua flectere non liceat, *Flectamus genua* non dicebatur.

CAP. XI.

De ſolemnibus Adventus Antiphonis, quæ ab O incipiunt.

HEbdomada ante Natale dicitur quotidie ad *Magnificat* Antiphona propria, quæ incipit ab interjectione O, quaſi ad Salvatorem adjurandum, ut ad nos a peccato liberandos venire feſtinet.

Amalarius de Antiphonis iſtis agit c. 13. de Ord. Antiph. atque videtur eas pro libitu ad Laudes, vel ad Veſperas recitandi finere facultatem. In vita Alcuini habetur: *Tertia antequam migraret die, ſolitam exſultationis voce decantavit Antiphonam, O clavis David, & ſceptrum Domus Iſrael.* Videmus quoque in Ordinibus Romanis ſtatutum eſſe, ut ad Laudes, atque ad Veſperas recitentur. *Has Antiphonas, O Sapientia, cum aliis quotidie cantamus ad Benedictus, quas antiphonamus ab in Sanctitate*; repetebatur ſcilicet Antiphona a vocibus illis *in Sanctitate*, & Veſiculus quotidianus erat, *Oſtende nobis miſericordiam.* Hinc Amalarius exiſtimabat, cum Canticum *Benedictus* ad Meſſiam magis referatur, quam *Magnificat*, magis convenire, ut iſtæ Antiphonæ ad illud recitentur; verum ipſe ſibi reſpondet, Antiphonas iſtas ad B. Virginem potius, quam ad Zachariam ſpectare, atque ideo ad *Magnificat* additas fuiſſe.

In quibuſdam Romanis Ordinibus octo O reperiuntur; etenim præter ſeptem quotidianas octava dicebatur, *O Virgo Virginum*, quæ in Breviario Pii V. abolita fuit; in quibuſdam aliis Ordinibus præter octo iſtas habetur, *O Gabriel, O Rex pacifcus, O Mundi Domina, O Jeruſalem*; alloquebantur enim modo Meſſiam, modo ejus Matrem, quæ eum parere debebat, vel Angelum, qui eam annuntiaverat, vel Urbem, in qua naſci debebat.

Apud Amalarium de Ord. Antiph. c. 14. octo O extant; ſeptem ſcilicet quæ adhuc ſuperſunt, & octava *O Virgo Virginum*, quæ abolita eſt. Durandus l. 6. c. 2. ætate ſua novem fuiſſe ſcribit; præter enim octo iſtas alia extabat pro Feſto S. Thomæ, quod inter hoc temporis intervallum cadit: *O Thoma Didyme*, atque alia, *O Virgo Virginum*, in B. Virginis honorem: *Una de Virgine quæ concepit, altera in honorem S. Thomæ cujus Feſtum tunc accidit.* Pariſiis anno tantum 1680. duæ iſtæ Antiphonæ expunctæ ſunt, quarum loco duæ aliæ compoſitæ, *O Paſtor Iſrael* pro vigilia S. Thomæ, & *O Sancte Sanctorum* pro poſtrema die, ſemper enim novem recitatæ fuerunt, quaſi novemdialis præparationis loco ad Natalis Feſtum; Romæ tantum ſeptem ſuper-

Digitized by Google

ſuperſunt ; ubi hebdomada ſtatuta ad Meſſiæ Adventum ſuſpiriis expetendum. Honorius Auguſtodunenſis l. 3. c. 5. ſeptem tantum meminit, eadem ratione atque ordine, quo hodie Romæ recitantur. Incipiunt autem Antiphonæ iſtæ a variis nominibus, quæ Prophetæ Jeſu Chriſto tribuerunt.

In prima *O Sapientia* Jeſus Chriſtus agnoſcitur tamquam Patris Sapientia ab ejus ore egreſſa, ſcilicet ex ejus ſubſtantia generata ; Sapientia appellatur, quia per Incarnationem ſuam rationem invenit nos redimendi, per Sapientiam, Juſtitiam, & Miſericordiam. Mirabilis eſt ergo ejus Sapientia in conſiliis ſuis, atque in eorum executione.

O Adonai : apud Hebræos hoc unum eſt e Divinis nominibus, quod Dominum ſignificat, atque ita Meſſiam pro eodem Deo habitum, qui populum Iſrael elegit, qui Judæis promiſſus eſt, qui Moyſi apparuit, ipſique legem tradidit. Græci, *Adonai* verterunt in *Kyrios*, & Latini in *Dominus*, quod de hominibus quoque dicitur, veluti in Pſalmo, *Confituis eum Dominum Domus ſuæ*, cujus loco in Hebraico exemplari habetur *Adonai*.

O Radix Jeſſe ; Meſſia e Davidis genere oriri debebat, cui promiſſus fuerat ; ipſe erat expectatio gentium, adventque ad duos populos conjungendos, atque ſalvandos.

O Clavis David, Jeſus Chriſtus advenit ad nobis Cœlum aperiendum, viamque nobis demonſtrandam, qua illuc ejus veritatis lumine adiuti pervenire poſſimus. Id ex Iſaja ſumtum eſt cap. 22. verſ. 22. *Dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*, atque ex Apocalypſi 3. v. 7. *Hæc dicit Sanctus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Quæ plenam Jeſu Chriſti poteſtatem in Regnum ſuum, ideſt Eccleſiam demonſtrant, cujus figura erat Regnum Davidis ; quo nemo revera pervenire poteſt, niſi Jeſus Chriſtus ei januam aperiat, eumque trahat ad ſe ipſum.

O Oriens ; ſcilicet Sol eſt exoriens, qui annuntiat, atque affert lucem gratiæ. *O Rex gentium* ; Rex nationum, qui ad eas ſubjugandas veniet, ſuæque Redemtionis participes faciendas. *O Emmanuel*, qui idem eſt ab Iſaja pronunciatus ſub eodem nomine, *nobiſcum Deus*.

Antiphonæ iſtæ apud Amalarium aliter diſpoſitæ ſunt, eas recenſentem, uti Metis canebantur, at Honorius Auguſtodunenſis illas eodem ordine refert, quo hodie leguntur, ealque ſeptem donis Spiritus Sancti ab Iſaja c. 21. deſignatis confert, quæ Jeſus Chriſtus per Incarnationem ſuam nobis communicavit. *O ſapientiæ* donum eſt Sapientiæ. *O Adonai* donum intellectus legis Moyſi traditæ. *Radix Jeſſe* donum Conſilii, quo tanta molitus eſt ad nos redimendos. *Clavis David*, donum fortitudinis, qua Infernum clauſit, & Cœlum aperuit. *Oriens* donum eſt luminis, veritatis, & ſcientiæ. *Rex gentium* donum pietatis, qua ad Gentiles ſalvandos permovebatur. *Emmanuel* donum timoris Filialis, qui, ut Deum amemus, efficit.

In pluribus Ordinibus Romanis Antiphonæ iſtæ incipiunt a Feſto S. Nicolai, atque Feſto S. Luciæ abſolvuntur. Honorius Auguſtodunenſis l. 3. cap. 5. quarumdam Eccleſiarum meminit, ubi duodecim recitabantur ad duodecim Prophetas, qui Meſſiam prænuntiaverunt, deſignandos : *Si duodecim O cantantur, duodecim Prophetæ exprimuntur*. Eorum, qui ſeptem tantum habent, conſilium fuit hebdomadam conſecrandi Meſſiæ petendo ad exemplum Eccleſiæ Toletanæ, quæ in decimo ſuo Concilio anno 656. Feſtum B. Virginis octo ante Natale diebus celebrabat, atque totis octo diebus perdurare volebat ; hoc re vera Feſtum erat Annuntiationis B. Virginis, quod vigeſima quinta Martii celebrare nolebant propter Quadrageſimam, atque 18. Decembris octo ſignanter ante Natale diebus affixum fuerat. Poſtquam vero Hiſpani, ut Romanum morem ſequerentur, Feſtum Annuntiationis 25. Martii celebrarunt, vetus 18. Decembris Feſtum ſervaverunt, atque *Expectationem B. Virginis* appellarunt.

runt; ideſt ejus partus expectationem: quod alibi dicitur Feſtum O Natalis, ſeu Feſtum Expectationis divini partus, & per integram octavam producitur. Hæc in Gallia *hebdomada de expectato*, vel *exceptato* dicitur, atque ita Mediolani etiam appellatur, finitque vigilia Natalis. In Belgio Feſtum iſtud Feria quarta quatuor Temporum celebratur; Annuntiationis Miſſa ante lucis ortum abſolvitur, diciturque *Miſſa aurea*, atque interea myſterium ab Actoribus repræſentatur. Inter Antiphonas O Romæ abrogatas ea ferenda non erat, *O Thoma Didyme*, qua Meſſias ab uno ex ejus Apoſtolis petebatur.

Pariſiis, Cabillone, atque in aliis Eccleſiis O dicebantur poſt Veſperas in Capitulo, vel in Refectorio, quo Proceſſionis ritu ſe conferebant, cantabantque tria Reſponſoria *Miſſus eſt*, & duo alia, atque inde O, duoque cerei accendebantur, qui Clero præferebantur, eique in reditu lumen præbebant, atque interea major Campana pulſabatur. Eodem tempore collatio Clero dabatur; unde intelligimus, Canonicos tunc jejunaſſe, atque in commune vixiſſe, & comediſſe. Procedente vero tempore cum nonnulli abuſus irrepſiſſent, collatio iſta abrogata fuit, ſtatutumque, ut O in Choro caneretur. Pariſiis anno 1545. decretum fuit, ut collatio illa in pecuniam converteretur; verum id nonniſi ab anno 1639. præſtitum. Ex hac ceremonia illud Pariſiis ſupereſt, quod in Urbis Parochiis Campana pulſetur, dum canitur *Magnificat* Antiphonæ O; quod ſignum erat ad eos, qui adeſſe volebant, admonendos; in Cathedrali vero abolitum fuit, poſtquam O in choro cantari cœpit; ſignum vero, quod poſt *Magnificat* editur, pro completorio eſt, quomodo ſingulis anni diebus edi ſolet. Pariſiis, non ſecus ac in pluribus aliis Eccleſiis collatio iſta ſolo Vini calice conſtabat, quod in vas aliquod verſabatur pro illo, qui cantabat O, qui primus bibebat, atque poſt eum ordine ceteri omnes de choro. Antiphonæ iſtæ quotidie a Dignitate aliqua annuntiabantur; prima die Decanus præcinebat *O Sapientia*, atque deinde reliqui ceteris diebus. Antiphonæ iſtæ bis tantum dicuntur juxta Romanum Ritum ante & poſt *Magnificat*, veluti ad Feſta duplicia ſolemus; verum Pariſiis, atque in aliis Eccleſiis ter repetuntur, ante Canticum, ante *Gloria Patri*, atque ad finem *ſicut erat*; quod in ordinariis appellatur, *triumphare*: *Triumphabantur Antiphonæ*: ad innuendum quod ter repetebantur.

CAP. XII.

De quarta Dominica Adventus, atque hebdomada eam ſubſequente.

QUod ad Dominicam iſtam ſpectat, duo tempora diſtinguenda ſunt; illud ſcilicet, quod S. Gregorium Papam præceſſit, quo Epiſtolæ, & Evangelii loco ea legebantur, quæ hodie ad tertiam Dominicam leguntur; atque illud, quo Ordinationes huic Dominicæ fuerunt adnexæ; poſt illa enim tempora cernimus, Miſſam Sabbati ſera adeo nocte celebratam fuiſſe, ut mane tantum quarta vigilia abſolveretur, eſſetque loco Miſſæ, & Officii de Dominica; unde eſt, cur Dominica iſta inter dies vacantes numeretur: *Dominica vacat*.

Verum poſtquam Ordinationis Miſſa citius, atque ipſa Sabbati die celebrata fuit, cum Dominica iſta implenda eſſet, atque illi Miſſa aliqua aſſignanda, Sabbati Evangelium retentum fuit; Introitus vero, Graduale, & Communio a Miſſa Feriæ quartæ deſumta, adeo ut nihil proprium habeat præter Epiſtolam.

Dominica hæc aliquando *Dominica de Canite* appellatur propter primam Laudum Antiphonam, quæ *Canite eſt*, atque præterea, quod Lectiones ad primum Nocturnum ab Iſaiæ loco incipiebant, *Canite tuba*, quod hodie ad primum Reſponſorium dicitur. Ad ſecundum Nocturnum Sermo alicujus Patris legebatur; atque ad tertium duæ priores Lectiones ex Epiſtola S. Leonis

ad

ad Flavianum accepta erant, tertia vero ex Homilia super Evangelium.

In quibuſdam vetuſtiſſimis Ordinibus Romanis apud Thomas, hujus diei ſtatio erat ad S. Eugeniam Romanam Virginem, & Martyrem, quæ olim Eccleſiam in Urbe habebat; cujuſque mera ad vigeſimam quintam Decembris in Martyrologio deſcribitur. Exabant olim acta ejus Martyrii, quæ a S. Avito Viennenſi lib. 6. Poem. recitantur; verum quoad Martyrem iſtam, atque ac quoad S. Anaſtaſiam, vetus Romanus mos, cujus Papa Gelaſius meminit, ſervatus eſt, Acta ſcilicet Martyrum non legendi, ne aliquid veritati, atque Hiſtoricæ ſeveritatis legibus adverſum irrepſiſſet. Hinc commemoratio S. Eugeniæ Dominica ante Natale in anteceſſum fiebat, S. Anaſtaſiæ vero ipſa Natali die. In Gallia commemoratio S. Eugeniæ ad Miſſam vigiliæ Natalis fiebat. Sanctæ hujus nomen in ipſo Miſſæ Canone legebatur, unde credibile eſt inde eraſum fuiſſe, cum ejus commemorationem in Officio fieri deſitum eſt, quod tunc evenire potuit, quando Templum ejus nomini conſtructum minus frequentari cœpit, vel penitus diruſtum fuit, cum e contra S. Anaſtaſiæ Eccleſia Romæ diu celebris extiterit: ibi enim ſtatio Feriæ tertiæ, quæ prima poſt Quadrageſimæ initium occurrit, & Feriæ tertiæ Penteceſtes diu facta eſt, atque inde Sanctæ hujus commemoratio in Natalis Miſſa ſervata. Advertendum præterea eſt, S. Eugeniæ commemorationem in anteceſſum factam fuiſſe, licet 25. Decembris, quemadmodum & S. Anaſtaſiæ, Martyrium paſſa fuiſſet, quia S. Eugenia prius mortua erat, ſcilicet ſub Valeriano anno 258. & S. Anaſtaſia ſub Diocletiano circa annum 304. Hinc facile intelligi poterit, quod in veteri Orationum per annum collectione legitur apud Thomas. *Dominica quarta Adventus antiquitus vocabat ſtatio, feſta ad S. Eugeniam. Al. ad Apoſtoles.*

In alio Ordine Romano apud Thomaſ. p. 226. Dominica iſta, *Dominica proxima Natalis D.* appellabatur. Pro Invitatorio dicitur, *Vigilate animo, in proximo eſt Dominus Deus noſter*: cætera Officio noſtro valde ſimilia ſunt.

Ad ſecundum Nocturnum legebatur celebris Epiſtola S. Leonis ad Flavianum data, qua adeo accurate Incarnationis Myſterium explicat; diſcrimen enim ibi inſtituit inter duas Dei F.lii Nativitates, atque duas in Jeſu Chriſto Naturas, quarum proprietates ſubſiſtunt, licet in eadem perſona unitæ ſint. Affirmat præterea, Verbum naturam noſtram ſumſiſſe, omneſque ejus proprietates præter peccatum, adductiſque rationibus probat, illud veram carnem, noſtræ ſimilem habuiſſe. Eutycheris Fidei formulam rejicit, quia abſurdum eſt, inquit, affirmare Filium in Incarnatione duarum eſſe Naturarum, impium vero contendere, eum poſt Incarnationem unius tantum Naturæ eſſe. Ad ſecundum Reſponſorium Verſiculus *Pulchriores oculi vino*; *dentes lacte candidiores*, quo major de Meſſia idea exhibeatur, mutari poſſet, atque ejus loco ea quæ præcedunt ſubſtitui: *Lavabit in vino ſtolam, & in ſanguine uvæ pallium.*

Hodie ad ſecundum Nocturnum legitur primus Sermo S. Leonis de jejunio decimi Menſis, ſcilicet de quatuor Temporibus Decembris. Diſcimus inde, Incarnationem merum eſſe Divinæ miſericordiæ effectum, & gratiam, quæ mentes noſtras illuminat, ut facienda nos doceat, corda noſtra quoque accendit, ut quæ nobis inſpirata ſunt, opere exequamur, *Det, unde ipſi quoque quod operatur, operemur.*

In Homilia commendat S. Gregorius, ut pœnitentia peccatorum gravitati, & numero reſpondeat.

Hebdomada, quæ Dominicam iſtam ſubſequitur, hebdomada præparationis appellatur, quia tunc præparatio inſtituitur ad Natalis Feſtum, ſolemniſque eſt in omnibus Ordinibus Romanis propter Antiphonas proprias Laudum ad ſingulos dies, & propter Antiphonas *O ad Magnificat*. Obſervat Gavantus olim Rubricam fuiſſe, quæ ejus ætate Pariſiis adhuc ſervabatur, ut ſi aliquod Feſtum in hebdomadam iſtam incidiſſet, poſt abſolutas Feſti Laudes dicerentur quoque Laudes de Feria cum Pſalmis, &

An-

Antiphonis prædictis: at Pius V. Rubricam istam in aliam commodiorem mutari curasse; scilicet, ut Antiphonæ, quæ in diem S. Thomæ incidunt, in Sabbatum transferantur: & duplices istæ Laudes ad Officium contrahendum suppressæ sunt.

In hebdomadam istam nullum Festum admittebatur, neque aliud adhuc visitur præter Festum S. Thomæ, neque octava ulla celebratur a 17. Decembris incipiendo.

Tres extant in hebdomada ista Antiphonæ, quæ ritum peculiarem habent. Prima est *Expectetur*, quæ semper Sabbato ante Natale ad Laudes dicenda est sub finem Cantici Moysis, quia ex Cantico illo sumta est. Altera est *Nolite timere*, quæ S. Thomæ diei conjuncta est, sive 21. diei Decembris quatuor ante Natale diebus, quia ibi dicitur intra quinque dies Dominum apparituram. Antiphona ista adeo venusta Franciscanis Fratribus visa est, ut vel quater eam repeti curaverint, cum Romanum Breviarium emendarunt; verum Pius V. repetitiones istas abolevit. Tertia est, *Ecce completa sunt* in supervigilio Natalis ad Adventus temporis finem, & Messiam proxime adventurum demonstrandum. Affirmare tamen possumus, duas hasce postremas Antiphonas ceteris fere omnibus Adventus Antiphonis non respondere, quæ ex Scriptura petitæ sunt, & præcipue ex Prophetis. Meminit Micrologus cap. 32. Antiphonarum *Nolite timere*, & *Expectetur*.

In pluribus Ecclesiis Natalis supervigilio scilicet 23. Decembris, Vesperæ solemnes erant propter Antiphonam, *O Virgo Virginum, quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem: filiæ Jerusalem, quid me admiramini, Divinum est Mysterium hoc quod cernitis*. Campanæ præterea omnes pulsabantur, albæ vestes, & incensum adhibebantur.

Græci Dominica ante Natale Commemorationem Adami, & Evæ celebrant, omniumque Justorum veteris Testamenti, qui adventum Messiæ ipsorum Liberatoris, a quo post Resurrectionem in cœlestem gloriam introducendi erant, expectarunt.

CAP. XIII.

VIGESIMA QUARTA DECEMBRIS.

De Vigilia Natalis.

JEjunium Natalis vigiliæ totius antiquitatis, etiam remotioris testimoniis comprobari potest. S. Augustinus jejunium istud tamquam universale proponit, atque inter ceteros lapsus, propter quos Presbyterum quemdam Diœcesis suæ depositione dignum esse censebat, illum numerat, quod Natalis vigilia non jejunasset: *Confessus est dies jejunii Natalis Domini, quo Ecclesia Gippitana, sicut ceteræ, jejunabat, prandisse, & cœnasse . . . . Ego . . . . removendum ab Officio Presbyteri arbitratus sum* Ep. 65.

Ex Epistola decima Theophyli Alexandrini intelligimus, cum vigilia ista in diem Dominicam incidisset, qua Canones jejunare vetant, neque jejunium in diem Dominicam incidens in antecessum præverti posset, quod in Oriente Sabbato quoque jejunare non liceret, Theophylus ut adversas istas leges conciliaret, finit jejunium vigiliæ solvi, aliquot tantum dactilos comedendo: *Ut paucos dactilos sumentes, simul, & hæreses vitemus, quæ Christi Resurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus*.

Jejunium in vigiliis majorum Solemnitatum per universam Ecclesiam usu receptum erat, velut a S. Paulino discimus ad vigiliam Festi S. Felicis, Natal. 7.

Nostis eum morem, ut jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœtibus, a Templo Domini; postquam data fessis

Corporibus requies ſumta dapè ; cæ-
pimus Hymnos
Exultare Deo ; & Pſalmis producere
noctem.

Hinc aperte conſtat, jejunium iſtud uſu receptum fuiſſe die, quæ feſtum præcedebat : *Noctis cum morem, ut jejunare ſolemne ante diem*. Jejunium uſque ad horam Veſperarum perdurabat, poſt Officium vero quilibet domum ſecedebat ; ciboque ſumto aliquanto tempore quieſcebant, atque inde in Eccleſiam ad Officium reliquo noctis tempore cantandum redibant.

Petrus Damianus in Regula, quam Eremicolis quibuſdam præſcribit, eis permittit, ut integrum Vigilia Natalis, & Paſchatis panem comedant, quo viſ: es ad officii prolixitatem tolerandam ſumant ; verum illos valde improbat, qui longitudinem cantus hujus noctis prætexentes, collationes faciebant, & liquores bibebant ; quod ipſe demonſtrat adverſum eſſe hujus diei jejunio, quod magis exacte, & regulariter ſervandum eſſet, neque collationibus iſtis violandum, & Feſti ſanctitati, quod ita dehoneſtatur & profanatur. Sæpe etiam cœnæ iſtæ, ſive collationes in pravos uſus degenerabant, adeo ut quibuſdam in locis eas abolere opus fuerit, atque in eleemoſynas ſaniori conſilio convertere. Petrus Damianus die iſta pro veſpertino cibo patitur dumtaxat Eremicolas illos pane uti, atque herbas, ſive legumina oleo præparare, ut vires ſumere poſſent ad longitudinem cantus, & Officii Nocturni ſuſtinendam, *Ut labor Eccleſiaſtici reſe veinr Officii*. Opuſc 14.

Variæ extant Officii hac die recitandi rationes. In quibuſdam Romanis Ordinariis apud Thomaſ. p. 37. Invitatorium eſt, *Chriſtus adveniet nobis, venite adoremus* ; tres Antiphonæ, tres Pſalmi, tres Lectiones, & Laudes velut die Dominica. Hujus Vigiliæ Officium valde notabile eſt, neque ulla in re cedit vigiliis Paſchatis, & Penteceſtes, immo Dominicæ ipſi præfertur, ſi vigilia hæc in eam diem incidat ; & mos tres Nocturnos Dominicæ recitandi uſque ad Homiliam, quæ eſt de vigilia, conſpicuus eſt apud Micrologum c. 33. *Vigilia, cum in Dominica evenerit, ſex ſibi Reſponſoria de Dominica cum Dominicalibus, Pſalmis aſſumat ; .... vero ultima, & matutinales Laudes cum Feſtalibus Pſalmis Sabbato concedat* : Ita ut Sabbato præcedenti Reſponſorium tertii Nocturni de Dominica diceretur, atque ad Laudes Antiphonæ quartæ Dominicæ in Pſalmos de Feria.

Invecta eſt ergo conſuetudo Natalis vigiliam habendi tamquam peculiaris ſolemnitatis argumentum, quæ ad tertium Nocturnum exorditur, cum in Dominicam incidit, cui præfertur, neque amplius Dominicæ mentio fit, neque ulla ejus commemoratio ad Laudes, atque ad Miſſam. Nullam quoque Feſtum ea die celebrari ſinitur.

In Breviariis, quæ annum 1521. præcedunt, Officium univerſum, initio ab ipſo Matutino ducto, ritu duplici recitandum eſſe, adnotatum eſt ; neque ideo deinde ad Laudes tantum duplex deſignatum eſt, quia Pſalmi de Feria in Officio duplici recitari non poſſint, cum olim alii Pſalmi in Feſtorum Officio, quam de Feria, ſive de die currenti, non recitarentur.

Antiphonæ omnes, & reſponſoria e Scripturis ſumta ſunt, quibus Iſraelitis mandatum eſt, ut parati ſint in diem ſequentem, quo Erythræum transfretare debebant, atque a Pharaonis perſecutione liberandi erant ; quod Eccleſia ſenſu ſpiritali Jeſu Chriſto accommodat, qui eras per Nativitatem ſuam apparere debet, noſter Liberator futurus.

In Homilia ſuper Evangelium agnoſcit S. Hieronymus, B. Virginem non tantum Sponſam, ſed revera nuptam S. Joſepho fuiſſe, verasque rationes reddit, ob quas Jeſus Chriſtus ex muliere uxorata oriri debebat, ne ex adulterio conceptus exiſtimaretur. S. Hieronymus S. Joſephum quoque tuetur, quod, cum uxorem ſuam prægnantem videret, eam juxta legis mandatum non denuntiaverit ; aitque, propter reverentiam erga uxorem ſuam ab illo id præſtitum fuiſſe, de qua ne minimam quidem ſuſpicionem conceperat. Locus S. Ignatii Martyris a S. Hieronymo relatus ex illius epiſtola ad Epheſios ſumtus eſt a.

est, quo loco ait, Principem sæculi, sive diabolum, Mariæ virginitatem, ejus partum, atque mortem Domini ignoraviſſe.

In aliis Breviariis Homilia erat vel S. Hilarii, vel Origenis, quemadmodum Ulricus in ſuis Conſtitutionibus Cluniacenſibus adnotavit, aut demum ſermo S. Severini Epiſcopi. Voces illæ, *Qui licentia maritali*, parum caſtæ quibuſdam videri poſſent.

Solemnis Martyrologii lectio, quæ ad Primam fit, atque mos genua flectendi, cum Jeſu Chriſti ortus annuntiatur, utietiam ad verba ſymboli, *Et incarnatus eſt*, utque ad illa Evangelii S. Joannis, *Verbum caro factum eſt*, fieri ſolet, in Concordia Regularum S. Dunſtani c. 3. occurrit, ubi dicitur, ad voces iſtas omnes humi ſe ſternere debere ad *Deo* gratias agendas pro Incarnationis beneficio, ejuſque Filii nativitate. Mos erat majorum ſolemnitatum, Martyrologium legere in Capitulo, atque humi ſe ſternere, dum illæ annuntiabantur; quod Feria quarta majoris hebdomadæ, cum dies cœnæ Domini annuntiabatur, & in pluribus aliis Feſtis fiebat. In pluribus Galliæ Eccleſiarum Ordinariis videre eſt, ad Primæ finem majorem campanam pulſandam eſſe, quæ admoneat, in Capitulum eundum eſſe ad legendum Martyrologium, & genua flectenda, cum Lector incipit, *In Bethlem Judæ Jeſu Chriſtus Filius Dei naſcitur*. Lector quoque genua flectebat, atque ita lectionem ſuam intermittebat, quam paulo poſt reſumebat; dum humi ſtrati erant, pars, *Memento ſalutis Auctor*. . . . . *Maria mater gratiæ*. . . . *Gloria tibi Domine*, pars alia *Miſerere* dicebant. In nonnullis Eccleſiis Archidiaconus cappa ſerica indutus pulpitum aſcendebat cum pompa, incenſo, & luminibus ad Jeſu Chriſti Nativitatem annuntiandam, atque interea major campana pulſabatur.

Ubique reperiuntur Antiphonæ *Judæa*, & *Jeruſalem*, & Collecta, *Deus, qui nos annua expectatione*. Exſtant ſermones S. Bernardi pro Natalis vigilia, ubi cum Eccleſia ad eam diem accommodat verba illa, quibus Invitatorium conſtabat; *O Juda, & Jeruſalem, nolite timere, cras egredimini, & Dominus erit vobiſcum*; pro ſecundo vero Reſponſorio hæc ſerviebant; *Sanctificamini hodie, & eſtote parati, die craſtina videbitis majeſtatem Dei in vobis*; quod alterius ſermonis argumentum erat.

Hujus Vigiliæ Miſſa eo magis peculiaris eſt, quod in tribus Feſtis Nativitatis Miſſis minime comprehenditur, eſtque ab officio, & Miſſa noctis Natalis ſejuncta: atque in omnibus Sacramentariis etiam Gelaſii ſtatutum eſt, eam ad Nonam celebrandam eſſe, velut minorum jejuniorum diebus: *ad Miſſam horæ nonæ*. Lanfranchus ſtatut. c. 1. ſect. 2. jubet, ut Miſſa hæc cum ſolemnitate poſt ſextam celebretur, Diacono dalmaticam, Subdiacono tunicam, Cantoribus cappas geſtantibus; Graduale vero in albis canatur, atque præterea lumina, & incenſum ad Altare adhibeantur, & majores campanæ pulſentur. In quibuſdam Eccleſiis generalis abſolutio ante Miſſam dabatur, quemadmodum fit Feria quinta majoris hebdomadæ, cum pœnitentes reconciliantur; in aliis vero plures prophetiæ, & quinque aliquando legebantur, uti fit Sabbato quatuor Temporum, vel Sabbato ſancto, & vigilia Pentecoſtes ante Fontium benedictionem. Mediolani quatuor adhuc Lectiones e veteri Teſtamento dicuntur, cum totidem Gradualibus, & Collectis ante Epiſtolam, & Evangelium; atque ex quatuor iſtis primis Lectionibus prior eſt illa ex Geneſi, qua Meſſias Abrahamo promiſſus eſt; altera ex libro Judicum; Manue ſcilicet oratio; tertia ex libro Regum; quarta ex Iſaja, *Dixit Dominus ad Achaz*.

Ad Veſperas in pleriſque ordinariis dicebantur Antiphonæ Laudum *Judæa, & Jeruſalem* cum Pſalmis de Feria, Capitulum *Pauius ſervus*, Reſponſorium *O Juda Jeruſalem*, a quatuor cappas geſtantibus cantatum, Hymnus, *Veni Redemtor*, Collecta, *Deus qui nos Redemtionis*, Commemoratio vero Virginis fiebat per ſtationem canendo, *Sancta, & Immaculata. V. Poſt partum*.

Durandus l. 6. c. 12. de more alia-

rum Ecclesiarum Galliæ agit, ubi ad Vesperas quinque *Laudate* dicebantur; scilicet *Laudate pueri*, *Laudate Dominum omnes gentes*, *Lauda anima mea Dominum*, *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus*, *Lauda Jerusalem*; in quibusdam vero dicebatur, *Laudate pueri*, *Qui confidunt*, *In convertendo*, *Memento Domine David*, *Benedictus Dominus Deus*.

In nonnullis ordinibus Romanis Vesperæ cantabantur cum Psalmis de Dominica, atque Antiphonis Laudum de vigilia *Judæa*, & *Jerusalem*. Postremus Psalmus est, *Laudate Dominum omnes gentes*, Versiculus, *Hodie scietis*, Antiphona ad Magnificat, *Dum ortus fuerit*, cum oratione de vigilia, *Deus qui nos Redemtionis*. Postea vero Vesperæ istæ, quæ ut propriæ ejus diei, atque solemnis vigiliæ haberi debuissent, primæ Vesperæ appellatæ sunt, atque Antiphonæ de Festo, & oratio de die recitatæ.

In ordine Romano Amelii, qui ad XIV. sæculum pertinet, videre est Antiphonas, *Rex pacifiens*, Hymnum, *Christe Redemtor*, qui vulgo S. Ambrosio tribuitur, licet ejus stylum non sapere videatur; habet enim nonnihil suavius, atque ad animi motus excitandos aptius, quam hujus sancti hymni habere soleant.

Hymnus *A solis ortus cardine* tribuitur Cælio Sedulio Presbytero Scoto, qui anno 430. florebat. In Hymno isto strophæ quælibet ab Alphabeti litteris incipit, A, *A solis ortus*, B, *Beatus*, C, *Castæ*. Aliqui eumdem Prudentio tribuere malunt.

Consuetudo ad Hymnorum finem *Gloria qui natus es de Virgine* jambicis versibus recitandi, a Monachis profecta est; extat in pluribus ordinariis; atque in quibusdam, veluti ad S. Dionysium in Gallia addebatur, *Memento salutis Auctor*, cum *Gloria tibi Domine*. Romæ *Gloria tibi Domine* tantum inscriptum fuit.

CAPVT XIV.

Vigesima quinta Decembris.

De Natalis Festo.
De Tempore, quo Festum istud institutum fuit.

Inter majores Ecclesiæ solemnitates primum ante ceteras locum semper obtinuit Natalis Domini, si Pascha, & Pentecostem excipias. *Natalis* dicitur, quia dies ista Jesu Christi Natalis est, & Festum ejus Nativitati sacrum.

Haud ita facile est affirmare, quo præcipue tempore Festum istud in Ecclesia Latina institutum fuerit. S. Augustinus de Festis agens ep. 55. 2. edit. quæ ætate sua per universum orbem servabantur, quæque ab Apostolis institutæ credebantur, Passionem tantum, Resurrectionem, Ascensionem, Descensum Spiritus Sancti nominat, quæ sunt Mysteria, quorum Apostoli testes fuere; nihil vero habet de Natali; quod velut inferioris ordinis reputat præ illis, quæ primo loco enumeraverat. Sanctus Joannes Chrysostomus tom. 5. hom. 33. ait, Festum Nativitatis Domini a longo tempore, atque ex valde antiqua traditione in Occidenti 25. Decembris celebratum. Quidam Festi hujus institutionem Julio Papæ tribuunt an. 336. verum nullo satis firmo argumento innixi; tradunt autem ad Festum istud eam diem a Julio Papa electam fuisse, ut impium cultum, qui Soli renascenti tribuebatur, averteret; tunc enim sol post solstitium quasi renasci videtur, atque a Tropico descendere, ut ad nos redeat. Extat revera Festi hujus testimonium, Solis scilicet renascentis, 25. Decembris, a Paganis celebrati apud S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Maxentium, & S. Leonem; unde nonnullis suspicio orta est, præcipua Festa nostra, quæ fixa vocantur, Festis Paganorum superinsita fuisse, non secus ac præcipua Festa mobilia, quæ omnium anti-

antiquiſſima ſunt, Judæorum Feſtis ſucceſſerunt, vetuſtaque nomina Paſchatis, & Pentecoſtes ſervaverunt. Conſtat ex Patribus mox recitatis, Paganos magna cum celebritate Feſtum Solis renaſcentis peregiſſe. Quare S. Auguſtinus ſerm. 2. in Natal. Fideles hortatur, ut diem illam in ejus honorem, qui ſolem creavit, celebrarent, per quem Fides noſtra augenda erat, & infidelitatis tenebræ diſſipandæ: *Iſtum diem nobis, non ſol ille viſibilis, ſed Creator ipſius inviſibilis conſecravit.* Verum conſultius eſt dicere cum eodem S. Auguſtino lib. de Trinit. c. 5. traditionem Eccleſiæ eſſe, Jeſum Chriſtum 25. Decembris ortum eſſe; licet affirmare liquido non poſſimus, quo præcipue tempore celebrari, atque huic diei affigi cœperit: *octavo Calendas Aprilis conceptus creditur, quo & Baſilus. Natus autem traditur octavo Calendas Ianuarias*, illo ſcilicet tempore, quo ſol rurſum aſcendere incipit, cum e contra Nativitas S. Joannis Baptiſtæ ſolſtitio æſtivo celebraretur, quo dies incipiunt imminui.

In Oriente diu circa Jeſu Chriſti Natalem diem certatum eſt. S. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromat. 25. Menſis *Paſchon* deſignat, ſcilicet 15. Maii; alii 25. Menſis *Pharmuti*, ſcilicet 20. Aprilis. S. Epiphanius hæreſ. 51. eum 11. menſis *Tybi* ſtatuit, ſcilicet 6. Januarii. Caſſianus collat. 16. ait, ætate ſua Latinam Eccleſiam Chriſti ortus diem a die ejus Baptiſmatis diſtinxiſſe; verum juxta priſcam Ægypti traditionem, eadem die Natalem, Epiphaniam, & Baptiſmum Jeſu Chriſti celebrata fuiſſe; *Uniuſque Sacramenti Nativitatem non bifarie, ut ſub occiduis Provinciis, ſed ſub una die hujus Feſtivitatem celebrant.*

S. Joannes Chryſoſtomus Antiochiæ concionem ad populum habens, ait, a decem dumtaxat annis Natalis Feſtum 25. Decembris in Oriente celebrari cœpiſſe, cum e contra in Occidentali Eccleſia omnibus retro ſæculis ea die celebratum fuerit, Romanamque Eccleſiam certius Natalem Jeſu Chriſti diem reſcire potuiſſe, eaque de re ceteras Eccleſias docere, quod Natalis ille dies ineunte cenſu ab Auguſto per Quirinum in Judæa inſtituto evenerit, Actaque iſta magna cura Romæ ſervata fuerint; atque hinc eſt, cur Romæ, quis fuerit Natalis Jeſu Chriſti dies, melius reſciri potuerit, atque cur primum ibi Feſtum iſtud fuerit celebratum. Probat deinde ex Evangelio, cum Jeſus Chriſtus ſex menſibus poſt S. Joannem Baptiſtam conceptus fuerit, & Angelus jejunio menſis Septembris Zachariæ apparuerit, B. Virginem menſe Martio concepiſſe, atque Decembri peperiſſe: *Et quidem nondum decimus annus eſt, ex quo ipſe dies manifeſte nobis innotuit* . . . . Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 8. c. 32. Feſtum Natalis ab Epiphania diſtinguit; quod additamentum eſſe ex multorum ſententia videtur, cum in Oriente utrumque ſimul celebratum fuerit. Iſidorus Peluſiota de Natalis Feſto ſub Theophaniæ tantum nomine agit, idque duplex Feſtum appellat, cum in diem Dominicam incidit: *Velut Feſtum in Feſto.* S. Gregorius Nazianzenus l. 2. ep. 110. ea pariter non diſtinguit in duabus orationibus de Theophania, & de Baptiſmate Jeſu Chriſti. Hinc Eccleſia Antiochena referente S. Joanne Chryſoſtomo prima fuit, quæ duo Feſta iſta diſtinxerit; verum id ubique receptum non fuit; advertitque Baronius in notis ad Martyrol. poſt Nicephorum can. 17. ſub Juſtini Imperio tantum Natalis Feſtum 25. Decembris ubique in Orientæ celebratum fuiſſe. In Actis conciliabuli Epheſini Monachi Eutychiani conqueſti ſunt, Flavianum Conſtantinopolitanum paſſum non fuiſſe, eos ad Communionem accedere Natalis, Epiphaniæ, & Paſchatis diebus. In Conſtitutionibus Emmanuelis Comneni, atque in Legibus Valentiniani, & Theodoſii videre eſt ſimul juncta Natalis, & Epiphaniæ Feſta.

Feſti hujus Officium omni ævo celeberrimum fuit. Romæ duo Matutina recitabantur; prius *initio noctis* ſine *Domine labia*, & ſine Invitatorio in Pontificio Sacello, qui eidem cum Clericis ſuis inter-

intererat, initiumque fiebat a primi Psalmi Antiphona; tres illius erant Nocturni, novem Psalmi, novem Lectiones, & *Te Deum*, atque inde prima Missa celebrabatur. *Ibi celebramus Missam.*

Post noctis medium iterum majori cum celebritate Matutinum dicebatur, cum Invitatorio, & Psalmo *Venite*. Honorius Augustodunensis l. 3. affirmat, Romanum morem istum duo Officia in majorum Festorum vigiliis recitandi, alibi quoque a diutissimo tempore servatum fuisse; atque priori ex Officiis istis Episcopum solum cum Clero, & Sacellanis suis adfuisse, populum vero ad secundum media nocte ventitasse; ibique reliquum noctis transegisse; Invitatorium ad posterius tantum Matutinum recitatum fuisse; atque ideo cum duo Officia ista recitari desierunt, vigilias proprium Officium habuisse. Prius ex his Officiis in vigiliam translatum fuit, quemadmodum videmus, Parisiis Natalis, Epiphaniæ, Ascensionis, & Assumptionis B. Virginis vigilias Officia propria habere, cum contra in vigiliis ceterorum Festorum, quibus duplex Officium non erat, aut si duplex quidem Officium extaret, idem vero tantum repetebatur, Officium de Feria dumtaxat recitatur.

Verum quia Natalis vigilia proprium Officium jam habebat, ab his noctis Festum præcedentis Officiis distinctum, ex illis secundum pro Natalis Festo servatum est; primum vero, scilicet Psalmi, Antiphonæ, & Responsoria prioris octava die, sive Circumcisionis Festo, Pio V. jubente, recitantur.

In aliis Ecclesiis, ubi unicum Officium recitabatur, nihilominus tota fere nox in Ecclesia transigebatur. Chorum enim subibant ante nonam vespertinam, quomodo in Regula S. Casarii legitur: *Natale Domini, & Epiphania hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est.*

Christianorum pietas, qua suadente Natalis, & Paschatis noctes orando traducebant, opinione illa nitebatur, Jesum Christum nocte ortum fuisse, & resurrexisse; ut Mysteriis istis eodem tempore, quo perfecta sunt, honos haberetur, *Nostes*, inquit Lactantius l. 7. Instit. c. 19. *vigilias celebramus propter Adventum Regis, ac Dei nostri, cujus noctis duplex est ratio, quod in ea, & vitam tunc recepit, & tunc passus est.*

In duobus hisce Officiis Antiphonæ Romæ duplicabantur (apud Thomas. p. 40.) ideft ad cujusque Psalmi initium, ante *Gloria Patri*, & post *sicut erat* canebantur. Post Lectiones sex Canteres cappis induti in medium chorum veniebant ad Antiphonam *Ecce Maria* decantandam, eaque re ter præstita Processio fiebat, & *Te Deum* canebatur, atque inde Missa, & post eam Laudes absolvebantur.

Priori isto Officio expleto ad S. Petri Ecclesiam ibant, ubi aliud Officium illi, quod in Breviario supereft, simillimum incipiebant. In vita Nicolai Papæ primi de duobus istis Officiis mentio fit tamquam de prisca consuetudine: *Consuetudo olitana*, ideft, *antiqua*. Occurrit enim in vetustissimis Romanis Ordinibus, apud Pseudo-Alcuinum, & præcipue apud Amalarium de Ordin. Antiph. c. 5. qui testatur in veteri Romano Antiphonario a se reperta fuisse: *Unde interrogavi quemdam Clericum educatum ab incunabulis in S.R. Ecclesia, cur essent hac duo Officia in una nocte posita.* Qui respondit, *Primum solet Apostolicus canere in vigiliis, & in Ecclesia S. Mariæ ad Præsepe sine Invitatorio. Alterum solent Clerici canere in Ecclesia S. Petri cum Invitatorio nocturnali tempore, quando populus solet ad Officium surgere.*

Durandus l. 6. c. 3. de ratione agit, qua ætate sua Altaria parabantur, atque, tria paramenta pro tribus Nocturnis deprompta fuisse, ad primum nigra ad tempus quod Moysis Legem præcessit significandum; ad secundum alba, ad revelationis, & Prophetiæ tempus demonstrandum; ad tertium vero rubra ad repræsentandum gratiæ, & veritatis a Jesu Christo nobis allatæ ardorem. Narbone ad primum Nocturnum rubræ vestes adhibentur, ad secundum albæ, ad tertium violaceæ. Parisiis quoque colores ad Nocturnos, atque ad Missas mutantur.

Ad

Ad Matutinum, Invitatorium ubique est *Christus natus est*, & canitur a quatuor Cantoribus cappis indutis. Narbone usque ad duodecim numero cantant *Venite*, sex alternatim quemlibet versiculum. In quibusdam Ecclesiis genuflectitur cum primo dicitur *Christus natus . . . . Venite adoremus*, & prosternitur ad adorandum Jesum Christum in momento Nativitatis suæ. Lugduni procedunt Canonici ad osculandum Altare, in signum adorationis, ad Invitatorium *Christus natus . . . .* quod fit etiam in Epiphania.

Trium Nocturnorum Psalmi sunt proprii; antiquus mos est a D. Benedicti Regula præscriptus, in Festis solemnibus proprios eligendi Psalmos pro Officio noctis; scilicet, in Psalmis textum aliquem reperiri posse arbitrati sunt, qui Festo congruere videretur; quo textu Antiphonæ loco utebantur, & post eam dicebatur Psalmus, quod indicat, Antiphonam semper ab aliquo Psalmi versiculo desumi consuevisse, & in festis solemnibus recitari Psalmum, unde Antiphona desumta esset: quod quidem percurrentibus omnes Antiphonas Psalmorum hujus Noctis facile patefiet.

Ad primum Nocturnum legitur Isajas, & nullo inscribitur titulo: *Tres Lectiones Isaiæ leguntur sine titulo*. Mos erat antiquus Librum titulo non inscribendi, nisi cum legi incipiebatur; qui mos reliquus est in Nativitate. In pluribus Ecclesiis dicebatur in fine Lectionis, *Hæc dicit Dominus . . .* Hæ Lectiones Isajæ sunt promissiones a Deo factæ mittendi Messiam, quem quidem singulari ratione designant ad hominum consolationem. Responsoria sunt pii Ecclesiæ Nativitatem Jesu Christi considerantis affectus, quibus modo Deum Patrem laudat, qui nobis dedit filium suum, modo exaltat, & laudat Filium in Nativitate sua; quandoque se convertit ad Sanctam Virginem, quæ illum mundo peperit; atque utinam Responsoria illa, & omnes Antiphonæ ad Laudes a Sacris Scripturis desumtæ essent, quemadmodum Antiphonæ ad Matutinum, & ad Vesperas desumtæ sunt. Patet autem, eos, qui hujusmodi Officium composuere, piis, quibus in hujus mysterii contemplatione afflabantur, affectibus indulsisse.

Non dicitur *Gloria Patri*, nisi in fine primi Responsorii; Romæ antehac dicebatur, diciturque etiam hodie in multis Ecclesiis in festis annuis in fine cujusq; Responsorii; postea vero Romæ cœptum est omitti, neque dicitur nisi ad primum Responsorium ter in anno, nempe prima Dominica Adventus, die Nativitatis, & Paschatis. Morem hunc memorat Honorius Augustodunensis, putaturq; tribus hisce diebus dici solere, ut SS. Trinitas pro tantis mysteriis glorificetur. Multis in Ecclesiis prosternebatur humi ad primum Responsorium, quando dicebatur *Hodie nobis . . . . nasci dignatus est*, & Responsorium ipsum a quatuor cappa indutis cantabatur. Posset ad incudem revocari secundum Responsorium: *Melliflui falli sunt Cœli* ad exprimenda bona, quæ Deus dedit hominibus dando Filium suum Unigenitum J. C. ac versiculus *Dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ*, explicandus est, quod culpa antiqua reparari petebat, & reparatio ista per redemtionem facta est.

Ad secundum Nocturnum Sermo S. Leonis est inter omnes a S. Pontifice habitus præstantissimus, & eloquentissimus: Nobilissimo exprimir stylo tum bona, quæ nobis a Nativitate Jesu Christi proveniunt; tum Dei omnipotentis investigabiles vias, æternumque decretum de Incarnatione filii sui, tum etiam moralia documenta ad ædificationem nostram, ut tantum Mysterium cum fructu meditari valeamus. Ibi cernimus, Jesum Christum venisse, ut salvaret omnes homines; *Sicus nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*: ibi cernimus Jesum Christum sine reatu, & sine macula originali natum.

In quarto Responsorio auctor fortasse respicit Bovem, & Asinum, qui vulgo in Jesu Christi nativitate dipingi solent, *Ut animalia vicerent Dominum natum jacentem in præsepio*. Locus tamen Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asi-*

Digitized by Google

& asinus præsepe Domini sui; nullam habet relationem ad Jesu Christi Nativitatem; quique nihil aliud est, quam Dei in ingratos homines invehentis querela, in eos, inquam, qui Dei oblivisceruntur, Deumque offendunt, quando Bos cognoscit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. In Evangelio, quo Jesus Christus dicitur natus in præsepio, nulla fit mentio nisi Pastorum, qui venerunt ad adorandum Puerum. Hoc Responsorium apud Monachos S. Dionysii in Gallia a quatuor cappa indutis cantari solebat: Sextum autem Responsorium *Sancta, & immaculata* canebatur ab Abbate una cum quatuor Cantoribus cappa pariter indutis. Potuit etiam hujus Responsorii Auctor respicere verba illa Habacuch 3. vers. 2. ubi juxta Septuaginta textus habet, *in medio duorum animalium*, cujus loco Vulgata habet, *in medio annorum*. Neque Evangelium, neque prisci quidquam dixere de duobus hisce animalibus in præsepio Jesu Christi; circa quintum tantummodo sæculum inventa est applicatio ista ad locum, ubi Jesus Christus natus est.

Ad tertium Nocturnum leguntur Homiliæ super trium hujus diei Missarum Evangelia, quæ pauca hic adnotanda exhibent. In Homilia S. Gregorii apparet ætate sua receptus mos dicendi Romæ tres Missas Solemnes in hoc Festo, qua de causa abbreviabatur prædicatio. In Homilia S. Ambrosii Nativitas Jesu Christi incunabulum vocatur Ecclesiæ, quæ cum Nativitate Salvatoris sumsit exordium Nativitatis suæ. Homilia S. Augustini firmat contra Arianos Verbi Incarnati divinitatem & æternitatem. In cujus locum Parisiis altera ejusdem S. Augustini suffecta est, qua Verbi divinitas uberius explicatur.

Quod attinet ad *Te Deum*, Honorius Augustodunensis l. 4. c. 117. observat, quod ævo suo disceptabatur, utrum deberet dici ante primam Missam, an post; verum invaluit usus, ut dicatur post Matutinum, cujus unam semper constituit partem, postquam inferi Matutino cœptum est; immo Romæ locum tenet ultimi Responsorii, quod adjungitur, quando non dicitur *Te Deum*.

In Ordinibus Romanis Papa legit ultimam Lectionem, dicens primo *Jube Domine benedicere*, & solum respondetur *Amen*.

In plerisque Ordinariis appatet, Responsoria cantari a cappa indutis cum *Gloria Patri*, ad quodlibet Nocturnum adhiberi incensum, incensari Altare & Chorum; tria Evangelia cum suis Homiliis dici accensis luminibus, cum incenso, & ornamentis Sacerdotalibus, ut fit in Missa, adstantibus Diaconis, Subdiaconis, ceterisque Altaris Ministris. Micrologus c. 34. affertit Romæ, post nonum Responsorium, olim dici solitam Generationem secundum Matthæum: *In Natali Domini finito nono Responsorio Evangelium Liber Generationis legitur, deinde Te Deum cum pulsatione lignorum*. Hoc amplius in nullo cernitur Ordinario Romano; sed tantum in plerisque Ecclesiis Galliæ, ubi noni hujus Responsorii servatus est usus, & istius Generationis ante *Te Deum*, quod dicebatur ad sonum Campanæ; eratque hujusmodi sonus vel signum pro Missa, vel signum lætitiæ. In quibusdam Ecclesiis dicebatur ista Generatio in fine Missæ mediæ noctis, quemadmodum nos dicimus Evangelium Magorum in fine tertiæ Missæ.

De quibusdam Imperatoribus, veluti de Carolo IV. & Friderico III. legitur, quod cum Romæ essent, septimam Lectionem legere affectabant, propter illa verba, *Exiit Edictum a Cæsare Augusto*. Fridericus III. hoc præstitit ante Papam Paulum II. anno 1468. Sigismundus Imperator in Concilio Constantiæ, Diaconali veste indutus; & hoc in Rituale Romanum tranfiit; quod si Imperator Romæ adesset ea die, ad eum spectaret istam Lectionem legere, superpelliceo, & cappa indutum, & cum ense denudato; hoc autem habetur in quibusdam Ordinariis Galliæ, respectu Regis, si forte Matutino adesset, præsertim vero in Rituali domini Estutevillæ, Archiepiscopi Rothomagensis. Verum Romæ hoc non apparet ante Ordinem Romanum Cajetani, quem

Ba-

Bonifacius VIII. Cardinalem creavit.

In plerisque Ordinariis Galliæ, in fine tertii Responsorii cujusque Nocturni dicebantur Prosæ, aut Hymni, & præ ceteris *A Solis ortus*, qui in tres partes dividebatur, & singulæ singulis Nocturnis inserviebant. Secunda incipiebat ab *Enixa est puerpera*. Testatur D. Augustinus Serm. 372. in Africa, tempore suo, cantari consuevisse hac nocte Hymnos S. Ambrosii, in honorem Nativitatis Jesu Christi: *Hinc nostri gigantis exortum brevissime ac pulcherrime cecinit B. Ambrosius in Hymno, quem paulo ante cantastis*. Hi Hymni, incensationes, & aliæ cæremoniæ, quæ in istis Ecclesiis in hoc festo servabantur, satis declarant, Nocturnum quodque considerari consuevisse tamquam Officium separatum & distinctum ab aliis Nocturnis vel Horis nocturnis. In Turonensi Ecclesia ter quæque Antiphona repetebatur, quod quidem appellabant in triumphum canere, *triumphari*, & cuique versiculo tria *Alleluja* adjungebantur. In Lingonensi in fine Lectionum Isaiæ, ad primum Nocturnum, dicebatur, *Hæc dicit Dominus qui hodie dignatus est nasci pro salute generis humani; convertimini ad me, & salvi eritis*.

In quibusdam Ecclesiis legebantur quatuor Evangelia, & quatuor Homiliæ; nempe tria ordinaria, & quartum erat Generatio secundum Matthæum cum Homilia S. Hieronymi; atque ita legebantur in Homiliis quatuor Doctores Ecclesiæ Latinæ, S. Gregorius in prima, S. Ambrosius in secunda, S. Augustinus in tertia, & S. Hieronymus in quarta. Usus autem & ritus legendi Evangelia hæc ad Matutinum cum lumine & incenso habetur apud Joannem Abrincensem undecimo sæculo. *Tria Evangelia in cappis, incenso, & candelabris præcedentibus pronuntientur*: quod Romæ etiam nunc observatur, ubi incensatur Altare, antequam legantur Evangelia.

Inerat etiam aliqua differentia in Responsoriis; Durandus l. 6. c. 13. refert, in quibusdam locis haberi tres versiculos in primo Responsorio, sicut in prima Dominica Adventus.

Canebantur etiam Parisiis, & in aliis Ecclesiis, versus qui Sibyllis tribuuntur, erantque, quos refert Eusebius in vita Constantini. Narbone Diaconus in pulpito cantat Generationem mitratus, una cum Subdiacono pariter mitrato. In Lingonensi Ecclesia Diaconus cum Dalmatica viridi Musico more cantat Generationem alternatim cum Musicis. In Trecensi ante Generationem Diaconus dicit, *Ecce annuntio vobis gaudium magnum*. In Bajocensi, postquam Diaconus cecinit Generationem, affertur Liber Evangelii osculandus Episcopo, incensatur, & postea datur osculandus toti Choro, qui pariter incensatur, ut fit in Missa. In Ebroicensi & Remensi legebatur antehac Generatio ista in fine Missæ mediæ noctis, cum candelabris, incenso, ornamentis pretiosis, & in fine cantabatur *Te Deum*, & deinde Laudes dicebantur.

Romæ retentus est hac die antiquus usus separandi Matutinum a Laudibus. Post *Te Deum* dicitur Collecta diei, cum *Benedicamus*. Collecta est illa tertiæ Missæ *Concede*; sed in quibusdam Ordinariis dicebatur illa primæ Missæ, *Deus qui hanc Sacratissimam noctem*. Monachi S. Dionysii in Gallia post Matutinum procedebant ad imum Ecclesiæ locum ad faciendam Stationem ad Virginis Sacellum, cantantes, *Sancta & immaculata Virginitas*, cum Collecta *Deus qui salutis* . . . .

In aliquibus Ecclesiis, nempe Rotomagensi, Remensi, & Turonensi, post Matutinum fiebat Officium, quod appellabatur *Officium Pastorum*; ibant ad præsepium, quod a tergo Altaris parabatur, ibique ponebant repræsentationem Virginis, & Infantis Jesus; junior Clericus repræsentans Angelos dicebat Clero *Gloria in excelsis*; Canonici repræsentantes Pastores salutabant Virginem, & adorabant Infantem; hisque redeuntibus Celebrans, qui remanserat ad Altare; (id enim fiebat post primæ Missæ communionem) conversus ad Clerum ajebat, *Quem vidistis Pastores? dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit*; qui vero Pastores repræsentabant, respondebant, *Natum vidimus*. In qui-

Digitized by Google

busdam Eccleſiis, nempe Lemovicenſi, & aliis, hoc fiebat poſt tertiam Lectionem; & propterea verba illa pro tertio Reſponſorio relicta ſunt, & pro prima Antiphona ad Laudes. In aliis Eccleſiis dicebatur ab uno Choro, *Quem vidiſtis Paſtores? Dicite . . . .* & ab alio Choro reſpondebatur, *Infantem vidimus*. Amalarius Ordin. Antiph. c. 15. loquens de Antiphonis ad Laudes, videtur non noviſſe primam *Quem vidiſtis?* Incipit enim a *Genuit puerpera*, quæ ſecunda eſt. Ea interim cernitur in Ordinibus Romanis; fortaſſe quia Romæ quoque fiebant hujuſmodi repræſentationes quas diximus, quarum Dialogus retentus eſt, quando fuere ſuppreſſæ. In Hymno *A Solis ortus*, expoſiti poſſet. *Venter puellæ bajulat ſecreta*.

Pariſiis, & in pluribus aliis Eccleſiis, dicuntur Laudes abſque *Deus in adjutorium*, ſine Capitulo, ſine Hymno, ſine Verſiculo; quæ pretioſæ reliquiæ ſunt antiqui ritus recitandi Horas Officii. Dicuntur, non ſicut Romæ poſt Miſſam, ſed in Miſſa ipſa, cujus partem conſtituunt Laudes, & cui ſunt inſertæ; hoc alias fiebat tempore Quadrageſimæ; Veſperæ inſertæ erant Miſſæ, & hoc etiam Romæ retentum eſt in Sabbato Sancto, & alibi tribus diebus ante Paſcha. Poſtcommunio Miſſæ eſt Collectæ loco pro Veſperis.

Trium Miſſarum uſus in hac die ab Urbe Roma ortum duxit, teſte D. Gregorio, qui ait, ſe abbreviare Sermonem ſuum in hoc Feſto propter haſce tres Miſſas, quæ multum temporis inſumebant: *Quis hodie tot Miſſarum ſolemnia celebrauri ſumus*. Ad primam Miſſam, quæ noctis erat, ſermo habitus videtur. Fortaſſe etiam in ſingulis Miſſis habebatur concio; plures habemus Sermones S. Leonis ſuper hoc Feſto, quibus oſtenditur, pluſquam ſemel in hac die prædicari potuiſſe. Papa unam tantum trium Miſſarum celebrabat, eamque celebrans concionabatur. Forſitan duæ Miſſæ plerumque celebrabantur in cunctis ſolemnioribus Feſtis; prima nocturno tempore poſt Matutinum, ſecunda diurno poſt Tertiam; tertia vero Miſſa hac die Romæ extra ordinem ob id tantummodo celebrabatur, quod haberetur in Urbe Eccleſia S. Anaſtaſiæ, cujus Feſtum in eumdem diem Natalis incidebat; & ne intermitterentur Stationes ordinariæ in Solemnitatibus in Eccleſia D. Petri, & potiſſimum in præcipuis ſolemnitatibus anni, ibant ad unam celebrandam Miſſam in Eccleſia illius Sanctæ, inter nocturnam & diurnam Miſſam, circa tempus Auroræ. Eccce trium iſtarum Miſſarum originem. Nondum invaleverat uſus transferendi Feſta, neque Officium in Eccleſia propria Sancti alicujus vel Sanctæ mutabatur; Miſſa, quæ dicebatur in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, erat Miſſa Nativitatis, nec de Sancta fiebat in Eccleſia propria, in die ipſo Feſtivitatis ſuæ, niſi ſimplex Commemoratio in Officio Domini, quemadmodum fiunt Commemorationes Sanctorum, eos nominando in ſuis propriis Eccleſiis, quando dicitur Oratio *A cunctis*.

Uſus iterandi Sacrificium in Solemnioribus Feſtis habetur apud S. Leonem, qui Dioſcoro Alexandrino ſcribit, ideo morem invaluiſſe in ſua Eccleſia iterandi Sacrificia in ſolemnibus Feſtis, ne quis Sacrificio privaretur his diebus, quibus magnus aderat concurſus Populi, de villis venientis ad Urbes Officiis interfuturi; omnes enim Presbyteri & Populi intereſſe Cathedralis Eccleſiæ Officio tenebantur. Et propterea Sacrificium iterandum erat, alioquin, ut ait S. Leo, maxima pars Populi Sacrificii fructu privata fuiſſet. Hinc in majoribus Parochiis plures dictæ ſunt ſolemnes Miſſæ in diebus Dominicis & ſolemnibus Feſtis, & præcipue in die Paſchatis, cum iis diebus in Monachorum Eccleſiis publice celebrari non deberet. S. Ildephonſus Epiſcopus Toletanus ann. 855. tres Miſſas notat in diebus Natalis, Paſchatis, Pentecoſtes, & Transfigurationis. Re quidem vera in Miſſali Mozarabico, & in antiquis Sacramentariis Galliæ & Mediolani, una tantum apparet Miſſa in Natali, ſicut in aliis Feſtis; quod tamen non probat, iteratam non fuiſſe: ſicuti in Eccleſiis noſtris Parochialibus, ubi plures dicuntur Miſſæ in Dominicis & magnis Feſtis, eadem Miſſa re-

Digitized by Google

ſa repetitur. Quod ſi Romæ tres Miſſæ differentes pro Feſto Nativitatis concinnatæ ſunt, hoc ſane diſpoſitione ac devotione Liturgiſtæ factum eſt, qui tale Myſterium fatis fœcundum reperit ad plura Officia ſuppeditanda; & ſicuti tempore Adventus mira cernitur Officii differentia in qualibet Hebdomada, non ſecus pro die Feſto factum eſt, cujus vigilia, primæ & ſecundæ Veſperæ, & Laudes etiam Antiphonas habent proprias; adeo ſuper Myſterium Incarnationis J. C. eloquens eſt Scriptura.

Duæ in Gallia Miſſæ in Natali, æque ac in omnibus aliis Solemnitatibus, apud Gregorium Turonenſem de Glor. Mart. c. 52. conſpiciuntur; altera nocturna, diurna altera. De nocturna loquitur referens ultionem a Deo ſumptam in Presbyterum quemdam Rionenſem in Arvernia, qui egreſſus Eccleſia, dum Officia Vigiliæ Natalis canerentur, ut biberet poſt galli cantum vel mediam noctem, Miſſam deinceps celebrare auſus fuerat; & alibi idem Auctor loquens de Niceſio Epiſcopo Lugdunenſi, horam Tertiæ deſignat, qua Miſſam in die Natalis celebrabat: *Factaque hora Tertia, cum populus ad Miſſarum ſolemnia conveniret.* De Vit. Patr. c. 8.

Conſuetudo tres Miſſas Romæ celebrandi in Feſto Natalis in Galliam & ceteras regiones invecta eſt, quo tempore Carolus Magnus Ordinem Romanum recipi juſſit; ac tandem migravit ad Presbyteros etiam, qui Miſſas privatas celebrant; ſtatutæque Rubricæ, ut qui unam tantum celebrant, Miſſam noctis celebrare debeant; ſi celebrent ante ſextam horam; ſecundam, ſi ante octavam horam; & tertiam, ſi poſt octavam. Trium Miſſarum privatarum mos hac die habetur apud Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacenſem, qui eas celebrari præcipit in Sacello Infirmorum pro Infirmis; *De infirmis autem mos conſtitutus, ut ſcutellio die tres Miſſæ in Conventu cantentur, ita ut tres Miſſæ in Cappella, quæ eis deputatur, celebrentur.* Statut. 72.

Quandoque Presbyter idem, aut Celebrans tres eaſdem Miſſas celebrabat; quod innuere videtur de ſe ipſo S. Gregorius, *Ter hodie celebraturi ſumus.* In Ordinibus Romanis adnotatum eſt etiam, quod Papa eas celebraret ad tres diverſas ſtationes; primam ad S. Mariam Majorem; ſecundam ad S. Anaſtaſiam; & tertiam ad S. Petrum. In Ordine Romano Canonici Benedicti, Papa tribus Miſſis oneratur: *Tres Miſſæ per Papam dicuntur, ſive debent dici.* Alibi plerumque a diverſis Sacerdotibus dicebantur, & Epiſcopus unam tantum, atque ultimam celebrabat, nempe diurnam, quæ ceteris ſolemnior eſt. Viget adhuc Pariſiis mos, ut primæ duæ Miſſæ non ſint niſi de Ritu ſecundæ claſſis, tertia vero de Ritu primæ. Joannes Abrincenſis præcipit, ut prima Miſſa ab Eccleſiæ Theſaurario, ſecunda a Cantore, tertia ab Epiſcopo dicatur. In pleriſque Ordinariis Monaſticis, Prior primam dicit, Hebdomadarius ſecundam, & Abbas tertiam. Apud Carthuſianos Vicarius primam dicit, Hebdomadarius ſecundam, & Prior poſtremam.

In pluribus Eccleſiis ſecunda Miſſa ne ad Altare quidem majus dicebatur; hoc obſervatur in Remenſi Eccleſia, Turonenſi, Viennenſi, Lingonenſi, & aliis.

Hora primæ Miſſæ ad galli cantum ſignata eſt, *In galli cantu*, qui juxta antiquos Ordines Romanos eſt primus cantus, *In primo gallorum cantu*, hoc eſt, ad mediam noctem, cum ſecundus galli cantus ad duas horas ſit. In Sacramentario S. Gregorii per Pamelium edito præciſe ſignatur media nox, *Media nocte Statio ad S. Mariam Majorem.* Ita etiam ſignata eſt apud Rupertum, Durandum, aliosque Auctores, mediæ noctis tempore, unde nomen retinuit, mediæque noctis Miſſa appellata eſt. Romæ non inchoatur, niſi completo mediæ noctis ſono; alibi vero inchoatur ſtatim poſt Matutinum, licet non æquum mediæ noctis tempus adveneriit.

In Miſſa mediæ noctis cantabatur *Gloria in excelſis* ſolemniter: in quibuſdam Eccleſiis dicebatur Græce, & interim omnes Campanæ pulſabantur, genuflectebatur ad illa verba: *Et in*

terra pax hominibus. In Auguſtodunenſi non dicebatur *Credo* in hac Miſſa, neque in ſecunda. In Libro inſcripto, *Speculum Eccleſiæ*, cujus Auctor eſt Turonenſis, pro certo affirmatur, pro Miſſa diei Natalis cœptum fuiſſe cani *Gloria in excelſis*, & Romæ dictum Græce ad primam Miſſam, & ad ſecundam latine, & a die Natalis invaluiſſe morem dicendi *Gloria* in Miſſis ſolemnibus. Hic hymnus ab origine erat ſolummodo pro die Natalis, dicebaturque pro Antiphona ad *Benedictus*, ubi inerat, antequam Miſſæ inſereretur. Non reperitur in Miſſali Gallicano, nec alibi. Etherius & Beatus, Auctores Hiſpani noni ſæculi, vetuſtiores ſunt qui de hoc Hymno in Miſſa ſolemni loquantur.

Micrologus obſervat, in fine hujus Miſſæ non dici conſueviſſe *Ite Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus*, quia dicebantur Laudes poſt Miſſam juxta Ritum Romanum; verum in omnibus Galliæ Eccleſiis Laudes dicuntur in Miſſa poſt Communionem.

In Ordine Romano Canonici Benedicti Papa dicit Miſſam mediæ noctis *ad galli cantum*; poſt Pſalmum *Judica*, & *Confiteor* ante Introitum, incenſat Altare, poſtea ſeſſurus vadit ad locum ſibi præparatum; dicitur *Gloria in excelſis* & *Credo*, Præfatio, *Quia per incarnati*, & *Communicantes . . . . & noctem Sacratiſſimam*; & ſolus Papa communicat in hac Miſſa; haurit Calicem abſque calamo; non ſumit ablutionem poſt Communionem, quia bis etiam celebraturus eſt, ſed lavat & purificat digitos, ut ſit in privatis Miſſis. Statio hujus noctis eſt ad Præſepium, *ad Præſepe*, quæ S. Mariæ Majoris Eccleſia nominatur, & ſacra eſt, ut cernitur, Myſterio Nativitatis J. C. cujus titulo inſcribitur; ibique propterea prima Miſſa dicebatur. Poſt Miſſam cantantur Laudes, poſtea diſcedituir. Non dicebatur *Ite*, *Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus*, ne Populus abire juſſus Laudibus intereſſe deſineret, ut inquit Micrologus, *Ne populo quaſi licentiam abeundi intra matutinales Laudes dediſſe videamur; quas ſtatim poſt Miſſam iterum concrepantibus ſignis incipere ſolemus*.

Iade ſub lucis ortum ibatur ad S. Anaſtaſiam, ibique celebrabatur ſecunda Miſſa cum *Gloria* & *Credo*; in his Miſſis legitur Epiſtola & Evangelium Græce & Latine, & duo adhibentur Subdiaconi, & duo Diaconi. In hac ſecunda Miſſa fit tantum Commemoratio S. Anaſtaſiæ in Oratione. Duæ iſtæ Miſſæ ſolemniores erant Romæ, quam alibi, quia dicebantur in Eccleſiis in die præcipuæ illarum ſolemnitatis. In fine Miſſæ, Papa poſt *Ite*, *Miſſa eſt* dabat benedictionem dicens *Adiuterium . . . . Sit nomen Domini . . . . Benedicat vos . . . .* poſtea *Placeat S. Trinitas*. Ita antiquitus dabatur benedictio ante *Ite*, *Miſſa eſt*; poſt datam Populo abeundi licentiam nihil amplius dicebatur.

Secunda hæc Miſſa inſcribitur; *ſecunda Miſſa in aurora*; nec dici debebat niſi ſub lucis ortum, propter Introitum *Lux fulgebit*. In Statutis Carthuſianorum legitur, quod Auroræ ortus expectandus eſſet; ideoque dicenda erat ante Primam, non vero poſtquam dictum eſſet *Iam lucis orto ſidere*. Cluniaci id adeo exacte ſervabatur, ut maxima ſolemnitate Laudes dicerentur, ad hoc ut complerentur ſummo mane, & tunc ſecunda Miſſa inchoabatur.

Commemoratio S. Anaſtaſiæ, quæ Urbis tantum Romæ propria erat, ad ceteras omnes Eccleſias tranſiit, poſtquam Miſſale Romanum invectum eſt; quod etiam nunc obſervatur, licet Sancta illa in tali ſolemnitate nullam habeat relationem ad alias Eccleſias, præterquam ad illam, cujus eſt Patrona. Mos antea non erat transferendi Feſta; fiebat tantum commemoratio in die recurrentis Feſti, nec alibi niſi in Eccleſia propria, immo quandoque ſine Commemoratione, ut S. Auguſtinus refert de S. Leontio in Eccleſia propria, cum ejus Feſtum in diem Aſcenſionis incidiſſet. Amalarius pariter l. 1. ajebat de ævo ſuo, quod Romæ tantum, & in Eccleſiis illius Sanctæ, ubi aſſervabantur Reliquiæ, dicebantur duæ Orationes in ſecunda Miſſa; ſed extra Eccleſiam propriam nulla fiebat illius Sanctæ Commemoratio. Concedit Micrologus quod ſi Romæ aliqua ineſt ratio hanc faciendi

Digitized by Google

faciendi Commemorationem, nulla certe ineſt eam alibi faciendi: *In nativitate D. ad Miſſam in mane Romani Orationem de S. Anaſtaſia adiiciunt, quia Stationem in Eccleſia eiuſdem Martyris ad eamdem Miſſam agunt: & nos quoque in illa adiectione incitamur, licet non eamdem adiectionis occaſionem habere videamur.* Creditur hæc Sancta Anaſtasia fuiſse Vidua, neque confundi debere cum altera cognomine, quæ Virgo dicitur. Innoc. III. cap. *Ex parte. De celebratione Miſſarum*, decrevit, ne ablutio fumeretur, neque fieret purificatio Calicis in prima, & ſecunda Miſſa.

Extant Miſſalia MSS. in quibus ſecunda hæc Miſſa tota eſt de S. Anaſtaſia, cum Commemoratione Nativitatis, quod ſcilicet curſu temporis ſtatutum ſit in hujus Sanctæ Eccleſia Miſſam propriam in ejus honorem celebrari; Præfatio eſt de Communi Virginum, quamvis Sancta non ſit Virgo, fueritque Vidua, quando Martyrium ſubiit. *Codex Rostad.*

Tertia, quæ eſt Miſſa diei, fuit ſemper ſolemnior ceteris. Romæ Cardinales Diaconi, & omnes Miniſtri Papæ in ea communicant; Communioque fiebat ſicut in Paſchate cum ablutione. Tres parabantur Calices, alter pro Communione Papæ, alter pro ablutione Papæ, & tertio pro ablutione eorum omnium, qui communicarent.

Non reperitur in antiquis Proſa *Letabundus*, quæ creditur eſſe S. Bernardi; eaque poſterioribus tantum ſæculis hujus diei Miſſæ adjecta eſt. Legimus in Ordinibus Romanis recentioribus, eam cantari conſueviſſe non ad Miſſam, ſed ad Menſam Papæ; poſt prandium Cantores veniebant ut canerent *Letabundus*. In hac Proſa S. Bernardus appellat Verbum *Ens altiſſimi*, ut illud æqualem Altiſſimo oſtendat, citatque etiam verſus falſo Sybillis adſcriptos: *Credat Sibyllinis verſibus*. Pariſiis hæc Proſa dicitur ad tertiam Miſſam. Communio in hoc feſto generatim commendata cernitur; quapropter Concilium Autiſiodorenſe can. 4. bibere vetat in hoc feſto poſt mediam noctem, ut jejunus quiſque communicet. S. Cæſarius ſerm. 15. apud Auguſt. commendat in hac die Communionem; S. Ambroſius l. 3. de Virg. cap. 1. Gregorius Turonenſis de Vit. Patr. c. 8. Rabanus l. 1. c. 31. aſſerunt, hanc eſſe noctem, qua communicatur in honorem temporis, quo J. C. natus erat.

Oratio tertiæ Miſſæ, *Concede*, refertur ab Alcuino l. 3. contra Felicem, & Elipandum: *Ut nos unigeniti nova per carnem naſcitas*; ut oſtendat, J. C. filium eſſe naturalem Dei, & non per adoptionem, ſicuti Hæretici illi affirmabant. Harum Miſſarum cuique erat Præfatio propria: *Quia per incarnati* ad tertiam ſpectat, in Sacramentario Gelaſii.

In Miſſali Gothico Evangelium *In principio* eſt pro Natalis Vigilia, & *ſatium eſt ut deſcribereturur* pro die Feſti. Epiſtola Veteris Teſtamenti eſt Iſaiæ 7. Epiſtola Novi eſt *Multifariam*.

In quibuſdam Eccleſiis pro Evangelio tertiæ Miſſæ dicebatur *Miſſus eſt*, in quibuſdam *Paſtores ad invicem*.

In Officio brevium Horarum, in quibuſdam Eccleſiis non dicebatur neque Hymnus, neque Capitulum, ſicut in Paſchate; in quibuſdam dicebatur *A Solis ortus*, & in 4. partes dividebatur. Cuilibet horæ hujus diei, & omnibus feſtis ſolemnibus adjungi poſſent orationes propriæ, ut faciunt Carthuſiani.

Ad Veſperas Antiphonæ *Tecum principium* ubique reperiuntur, cum quinque Pſalmis quos dicimus. De quibus Amalarius loquitur, deque uſu eas dicendi ad Veſperas Feſtorum, quæ incidunt in octavam; hoc etiam olim fiebat ad horum feſtorum laudes, quarum Antiphonæ, & Pſalmi erant de Nativitate.

Quoad uſum comedendi carnes, quando Natalis incidit in feriam ſextam, antiquiſſimus omnino eſt. S. Epiphanius in Expoſ. fid. obſervat, quod non jejunabatur in die Natalis, quando vel feria quarta, vel ſexta occurreret, quæ feriæ erant in Oriente toto anni tempore deſtinatæ ad jejunium. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. vetat Monachis jejunare in Feſtis Natalis, ejuſque octavæ, in Epiphania, in Aſcenſione, in

Pa-

Paſchate, in Pentecoſte, aliiſque ab eo nominatis ſolemnitatibus. Papa Nicolaus I Bulgaros exhortans ad abſtinentiam ſexta quaque feria totius anni, excipit Natalem, Epiphaniam, Feſtum Virginis, SS. Petri, & Pauli, S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Evangeliſtæ, S. Andreæ, S. Stephani, ſi feria ſexta eveniant. Petrus Cluniacenſis in Epiſtola ad D. Bernardum c. 5. non poterat approbare jejunium in octava Natalis, aliiſque Feſtis D. N. non ſecus ac in Dominicis. Matthæus Paris in ſua Hiſtoria Anglica an. 1255. loquitur tamquam de ritu in Anglia communi comedendi carnes in die Natalis, quando incidebat in feriam ſextam: *Erat illo anno dies Natalis Domini feria ſexta, & comederunt carnes ob reverentiam Domini*. Papa Honorius III. conſultus ſuper hoc ab Epiſcopo Pragenſi reſpondit, quod poterant comedi carnes feria ſexta, quando Natalis Feſtum eo die occurreret, niſi contrarium præſcriberet votum, aut Profeſſio Religioſa: *Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo evenire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt juxta conſuetudinem Eccleſiæ generalis, nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere*. Papa hic non vituperat eos, qui devotionis cauſa abſtinentiam hac die ſervare voluerint. S. Leo epiſt. 15. ſcripſit contra Manichæos, & Priſcillianiſtas, qui jejunabant in Natali, & in Paſchate, Jeſum Chriſtum veram ſumſiſſe carnem minime credentes.

Si tanti Feſti Officium denuo ad iucudem revocari contingeret, poſſet in Vigilia omitti tam frequens repetitio *Hodie ſcietis, & ſanctificabimini*; quando pro Invitatorio dictum eſt; dici poſſet pro verſiculo *Dicite filiæ Sion. Ecce Salvator tuus venit*; ad ſecundum Reſponſorium, *Ecce Salvator tuus venit, & opus ejus coram illo, præparate viam, planum facite iter. ℣. Qui veniſcimini dominæ nec taceatis, & ne detis ſilentium ei: præparate*; pro tertio Reſponſorio, *Salva nos Deus Salvator noſter, & congrega nos ut confiteamur nomini ſancto tuo, ℣. Amen. Veni Domine Jeſu. Ut confiſ. Gloria*. Pro Antiphonis ad Laudes; *Adhuc unum modicum, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Veniens veniet, & non tardabit. Nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ, & erit ipſe pax. Tu exſurgens miſereberis Sion, quia venit tempus miſerendi ejus. Præparate vos in occurſum Dei tui Iſrael*. Ad Benedictus Ant. *Veniant mihi Domine miſerationes tuæ & vivam*.

In primis Veſperis Feſti Antiphona, *Levate capita veſtra, ecce appropinquat redemptio veſtra. Scitote . . . . Completi ſunt. Gaudete, iterum dico gaudete. Dominus prope eſt. Adhuc modicum. Qui venturus eſt veniet, & non tardabit*. Pro Capitulo, loco *Apparuit*, quod ſupponit Jeſum Chriſtum veniſſe, *Lauda, & lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus*. Zach. 2. Ad primum Reſponſorium Matutini, *Ecce nos venimus ad te, tu enim es Dominus Deus noſter. Vere in Domino Deo noſtro ſalus Iſrael. ℣. Utique Domine ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti*. Ad Benedictus, Antiphona, *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri viſitavit nos oriens ex alto, alleluja*, & ſic de pluribus aliis Antiphonis aut Reſponſoriis, quæ de Scriptura S. non ſunt deſumta. Antiphonæ ad Laudes; prima, *Angelus ad Paſtores*: ſecunda; *Facta eſt*: tertia, *Parvulus*: quarta, *Reverſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant, & viderant*: quinta, *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Ad *Magnificat*, Antiphona, *Magnum pietatis myſterium, Deus manifeſtatus in carne ipſe ſalvum facit populum ſuum a peccatis eorum*.

CA-

CAPUT XV.

De Hebdomada Natalis.

SAncta omnibo lætitia, qua Fideles de J. C. nativitate perfruebantur, coegit eos Festum hoc plurium dierum ſpatio celebrare, quod uſque ad Feſtum Epiphaniæ producebatur, ut videre eſt a medio uſque ſæculo ſexto in ſecundo Concilio Turonenſi an. 556. quod can. 18. præcepit Monachis, ne hujuſce temporis intervallo jejunarent, propterea quod dies omnes Feſti eſſent : *Inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt.* Intervallum hoc a Græcis appellatur, *Dodecameron*, quia duodecim eſt dierum, quibus apud Græcos neque jejunium, neque abſtinentia fieri ſolet. S. Aureliani, S. Donati, & Magiſtri Regula c. 45. præſcribit, ut his diebus Officium ſolemniter cantetur, cum *Alleluia*; numquam genua flectantur, & numquam jejunetur. *In Natali Domini uſque ad Epiphaniam Antiphonæ, & Reſponſoria cum Alleluia pſallantur, & genua his diebus non flectantur, neque jejunetur, neque abſtineatur.* In Regula S. Iſidori c. 11. hoc ſervabatur ſolummodo uſque ad Circumciſionem; *A die Natalis Domini uſque ad diem Circumciſionis ſolemne tempus eſſecere placuit Patribus.* En igitur Hebdomada Natalis a ſexto uſqs ſæculo cognita, ut quædam longo ab inde tempore continuatio Feſtorum. Petrus Damianus opuſc. 15. ſolam excipit Hebdomadam Natalis, *Hebdomada Natalis Domini* . . . . ſicut etiam Petrus Venerabilis, & Guigo in ſtatutis pro Carthuſianis : *Exceptis octo diebus Natalis Domini.* Theodemarus pullos memorat, quos octo hiſce diebus Monachi comedebant. Concilium Aquiſgranenſe ad quatuor tantum illos coercet, tam in Natali, quam in Paſchate.

In Feſtis hac Hebdomada occurrentibus Officium partim erat de Nativitate; primus, & ſecundus Nocturnus erant de Feſto, tertius totus de Nativitate; Laudes erant de Feſto, cum commemoratione Nativitatis; & S. Virginis; Prima & ſexta de Nativitate, Tertia & nona de feſto, Veſperæ de Nativitate, cum commemoratione feſti. In hujus octavæ diebus, quibus nullum occurrebat feſtum, Officium de octava. S. Dunſtanus in concord. nobilet. cantari *Te Deum* ad Matutinum : quotidie ad Laudes, & ad Veſperas mutabantur Antiphonæ. E veteri admiſcendi Officium feſti cum Officio octavæ mos ille reliquum modo eſt, ut in Dominica infra octavam Nativitatis, Officium fiat partim de Dominica, & partim de Nativitate; & hoc ſit etiam in Dominica infra octavam Epiphaniæ, & Aſcenſionis; primus, & ſecundus Nocturnus, & pſalmi tertii Nocturni ſunt de feſto, Evangelium cum Homilia eſt de die occurrente, & tres reliquæ Lectiones de Dominica, cujus legitur Evangelium, & Homilia; aliæ horæ partim de Dominica, & partim de octava.

Antequam Breviario Romano inſereretur Officium S. Thomæ, & S. Sylveſtri, reperebatur tribus hiſce poſtremis diebus Officium diei Natalis, treſque hi dies dicebantur, *Dies vacantes*, quod nomen Dominicæ remanſit, quæ appellatur, *Dominica vacans*, propterea quod non extabat Officium proprium de illis diebus, ſicut nondum extat de Dominica, in quo totum Officium noctis uſque ad Lectiones tertii Nocturni eſt de Nativitate; Laudes & Veſperæ uſque ad Capitulum, quod eſt Officium mixtum de Officio Dominicæ, & de officio Nativitatis, duplex officium in unum digeſtum, meritoque appellatum ſemiduplex.

CAP. XVI.

De abſtinentia a carnibus remiſſa in Sabbatis a Natali uſque ad Purificationem.

MOs erat antiquus Romæ Sabbato jejunandi; ſed morem hunc laxantibus poſtea fidelibus, Gregorius Papa

Papa VII. an. 1078. generali lege sancivit, ut abstinentia Sabbato servaretur, exceptis infirmis, & magnis Festivitatibus; *Ut quicumque se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium die Sabbathi, nisi majore festivitate intervenience, vel infirmitate impediente, abstineat.* Neque tamen Decretum hoc communiter ab omnibus observatum est. Innocentius Papa III. consultus circa licentiam, qua abutebantur quidam in esu carnium die Sabbati, respondet solummodo, Episcopum servare debere consuetudinem Ecclesiæ suæ. Petrus Cluniacensis l. 6. ep. 15. conqueritur, quod Religiosi sui abstinentiam feria sexta solummodo, & non Sabbato servarent; qua de causa statutum editum est an. 1398. & an. 1458. In statutis Ordinis Præmonstrateusis, præcipitur pariter abstinentia a carnibus in Sabbatis anni, immo & Sabbatis a Natali usque ad Purificationem: *Et in Sabbatis post Nativitatem Domini usque ad Purificationem.* Sabbata igitur habebantur tamquam privilegio distincta, & tamquam reliquiæ priscæ libertatis, qua utebantur Fideles in jejunando, vel non jejunando die Sabbati; & hæc tolerantia, seu remissio in plerisque Diœcesibus Galliæ reliqua fuit; præsertim in Senonensi Provincia. Stephanus Poncherius, Episcopus Parisiensis in suis Constitutionibus Synodalibus an. 1500. id tolerantiam appellat: *Toleramus diebus Sabbatinis carnes comedere a Festo Nativitatis D. ad Purificationem B. Mariæ.* Eustachius Bellæus de ea pariter loquitur anno 1557. & Concilium Carnotense an. 1526. *Declaramus ad tollendum quorumdam scrupulum bonarum mentium, quibus est timere culpam, ubi culpa non est, ex antiqua consuetudine observari in hac Diœcesi, & Provincia Senonensi consuetum esse uti carnibus, quotiescumque dies Purificationis incidit, & evenit die Sabbati . . . .* S. Antoninus scribens an. 1459. ait, tempore suo Gallos Sabbato carnes comedere consuevisse: *In Sabbatis comedere carnes in locis, ubi est consuetudo universaliter non comedi, mortale est: secus si consuetudo patria habet, quod comedantur, ut in Francia.*

CAPUT XVII.

Die 26. Decembris.

Festum S. Stephani Protomartyris.

ORdo postulare videbatur, ut J. C. Natali, tamquam primo, ac potissimo Christianæ Religionis festo celebrato, inter Sanctorum solemnia primum festorum omnium collocaretur, nempe festum primi Martyris, qui propter Jesum Christum passus est; hinc in Oriente ponitur festum S. Stephani statim post diem Natalem D. in sermonibus S. Gregorii Nysseni, & Asterii Amasex, Auctorum quarti sæculi, cum vero Auctores isti uno prope vixerint sæculo ante inventionem Reliquiarum S. Stephani, aperte patet, non Reliquiis quidem occasionem præbuisse festo, sed primi Martyris ordinem, ac dignitatem. S. Gregorius Nyssenus alludit ad *heri, hodie*, ut ostendat, Discipuli festum statim succedere festo Magistri: *Quam jucunda lætitiæ successio: ecce diem festum ex die festo, & gratiam pro gratia accipimus; heri nos Dominus universorum pavit, hodie Domini imitator; ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens; ille pro nobis fascijs involutus, hic pro illo lapidatus.* S. Asterius, Episcopus Amasex Urbis Ponti, de hoc loquebatur eodem pacto in Sermone in honorem D. Stephani, cujus meminit Photius: dixit latuit hic sermo sub nomine Procli Constantinopolitani: verum post Photii testimonium Asterio potius adscribendus est: observat igitur, festum S. Stephani succedere festo Nativitatis Jesu Christi: *Festus dies festum diem excipit: Solemnis celebritas solemnitatem occupat festivitatem; Domini Natalem diem servi honor continuus premit, heri Salvatorem mundi natum esse didicimus; hodie strenuum pugilem cernimus pro illo lapidibus obrutum*: quo quidem abunde significatur,

tur, hujus Sancti festum a primis usque temporibus in Ecclesia fuisse celebre. In Constitutionibus Apostolicis distinguitur a generali Festo, quod fiebat de Communi Martyrum: *In die Stephani Protomartyris vacent*: in numero Martyrum inventus est solus, cui festum proprium, ac peculiare tribuatur: & de Sancto, qui soli Jerosolymæ, in qua martyrium subiit, convenire videbatur, brevi temporis spatio factum est Festum cunctis Ecclesiis commune, propter singularem venerationem illi, quam matris loco colebant, habitam.

Sed quoniam festum Nativitatis J. C. celebrabatur in oriente sexta die Januarii, septima igitur die occurrebat festum S. Stephani, quod postea ad diem 26. Decembris translatum est, quando Nativitati J. C. dies 25. Decembris assignata est in oriente, ad Ecclesiæ occidentalis exemplum; & hæc dies 26. Decembris illi remansit, quia dies erat, qua Reliquiæ inventæ die 19. Decembris a Caphargamal, ubi inventæ fuerant, Jerosolymam translatæ fuere solemniter in Ecclesiam Sion, quæ antiquior in Urbe est. Caphargamal locus erat, ubi Doctor Gamaliel corpus S. Stephani sepeliri jusserat, ibique jacuerat ad annum usque 415. Utrum vero S. Stephani cultus in occidente ante Reliquiarum translationem invaluerit, ignoratur, neque ulla in Scriptis Patrum reperitur mentio, nisi forte apud S. Augustinum serm. 322. qui antiquissimam in Anconæ Urbe Ecclesiam memorat, S. Stephani titulo dedicatam, quæ ipso Apostolorum tempore ædificata credebatur, occasione unius cujusdam ex illis petris, quibus S. Stephanus lapidatus fuerat, quam Fidelis quidam, qui ad ejus martyrium aderat, Anconem detulerat, juxta publicam regionis traditionem. Sed D. Augustinus in sermone primo de S. Stephano diem ejus Festum designat statim post Natalem: *Celebravimus hesternadie Natalem, quo Rex Martyrum natus est in mundo; hodie celebramus Natalem, quo primicerius Martyrum migravit a mundo.* Pater hic in sermone secundo eadem ferme repetit; *Post hesternam diem, quo Salvatoris nobis nativitas illuxit, etiam hodiernus dies S. Martyris Stephani corona illustratur.*

Merito igitur credendum est, S. Stephanum fuisse primum e Sanctis, cui festum in Ecclesia consecratum fuerit, quoniam hic cultus incepit a Martyribus, quorum ipse fuit primus; sed quoniam sciri non poterat dies mortis ejus, Jerosolymæ, ubi Martyrium perpessus fuerat, statim cœptum est post diem Natalem J. C. celebrari festum S. Stephani Protomartyris, stetitque in Oriente diu post Theophaniam die 7. Januarii, usque ad Translationem Reliquiarum, quæ die 26. Decembris facta est; haberi autem in Occidente cœpit post diem Natalem, unde in Orientem transiit, quando Natalis ab Epiphania sejunctus fuit, statutumque festum Nativitatis J. C. ad diem 25. Decembris. Reliquiarum S. Stephani narratio a Presbytero Luciano scripta signat expresse diem 26. Decembris, qua Jerosolymam fuere translatæ, non vero 3. Augusti, qua die Romæ festum earum Inventionis celebratur; sed forsan translatio aliqua Reliquiarum S. Stephani ea die facta Romæ Inventionis nomine insignita est. Festum hoc magna cum solemnitate celebrabatur; in plerisque Ecclesiis post Vesperas Nativitatis dicebantur Vesperæ S. Stephani, quarum exordium erat Responsorium, tum Hymnus, deinde *Magnificat*, Antiphona, & oratio. In quibusdam cantor deponebat baculum, qui sumebatur a Diacono ad ordinandum Chorum; hoc enim die officii faciendi munus Diaconis incumbebat. Apud Joannem Abrincensem legimus, quod Diaconi cappas ferebant, cantabant Antiphonas, Responsoria, & Lectiones; quod Evangelium Matutini canebatur a Diacono, Dalmatica induto, cum candelabro, & incenso, sicut in Missa; quod duo Diaconi in Dalmatica Chorum agerent, *Te Deum* præcinerent, ac incensarent Altare; quod canerent etiam Epistolam cum Dalmatica, quia hujus S. Martyrium in Epistola descriptum est.

In Ordinibus Romanis varii leguntur modi, S. Stephani Officium celebran-

Digitized by Google

di, in plerisque Invitatoriorum est *Regem Martyrum*; Duo Nocturni cum Antiphonis, & Responsoriis partim propriis, partim de Communi unius Martyris; tertius Nocturnus est de Nativitate; Laudes de festo cum Antiphonis *Lapidaverunt*, & sequentibus, quæ hodie dicuntur. Olim dicebantur duæ Laudes, nempe de Sancto, & de Nativitate; & duæ etiam Missæ: prima post Laudes, quæ erat de Nativitate, *Puer natus est* ad Introitum; Evangelium *Exiit Edictum*, quemadmodum in prima Missa Natalis.

Reperiuntur in Capitularibus, & in Concilio Mogantino an. 813. *octuor* Festa in Natali: *In Natali D. festivitates quatuor*; nempe Natalis, S. Stephani, S. Joannis, & Sanctorum Innocentium. Lanfranchus præcipit, tria hæc festa celebrari eadem solemnitate, qua festum Natalis, & Altare iisdem ornamentis decorari. S. Dunstanus, & Lanfranchus notant ad Vesperas Antiphonas proprias, non vero illas Natalis, *Teum principium*. Carthusiani dicunt Antiphonas de Communi unius Martyris: *Qui me confessus fueris*. Romæ festum S. Stephani solemne erat; Papa intererat officio, & sicut in Natali, concionabatur.

Ad Matutinum Psalmi, Antiphonæ, & Versiculi sunt de Communi unius Martyris; Officia fieri de Communi cœpta sunt, antequam propria de Sanctis fierent.

Lectiones primi Nocturni, ab Actibus Apostolorum desumtæ, præstantiora ejus vitæ gesta referunt. Judæi Græci, murmurantes, quod eorum Viduæ negligerentur, neque iis distribuendi eleemosynas vel cura aliqua, vel minor quam ceteris deferretur, Fideles erant alienigenæ Græce loquentes, qui de Judæis Hebræis, aut Palæstinæ indigenis conquesti sunt.

Apostoli septem statuerunt Diaconos; ad quod alludere videtur s. Joannes in Apocalypsi, loquens de septem spiritibus, qui sunt ante Thronum Dei. Diaconi ministerio Episcopi, qui Jesu Christi personam gerit, addicti erant. S. Stephanus Diaconorum primus ordine, & merito habetur; & a sancto Irenæo l. 3. c. 12. appellatur *Archidiaconus*, seu Diaconorum Caput, aut Princeps.

Ut intelligatur, quid esset Libertorum synagoga, *Quæ dicitur Libertinorum*, scire oportet, plures extitisse Jerosolymæ synagogas, juxta diversitatem Regionum, a quibus componebantur; qui Liberti sunt appellati, filii erant eorum, qui a Romanis in captivitatem ducti, libertate postea donati fuerant.

Ad secundum Nocturnum, s. Fulgentii testimoniis cernimus, omni tempore allusionem fuisse factam ad hujus Festi cum Festo Natalis occursum. S. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus designatus est circa an. 504.

Ad tertium Nocturnum, Evangelium optime festo congruit; loquitur enim de morte, & martyrio Abel Justorum primi, & de Prophetis, quos Judæi lapidaverant; ob eamdem namque causam Judæi lapidibus s. stephanum obruerunt, ob quam & Prophetas lapidaverant, quia nempe eisdem paria exprobraverant.

In Homilia s. Hieronymus mentionem facit Evangelii, quo utuntur Nazaræni; hæc erat secta peculiaris Christianorum, qui judaizabant, recepta Circumcisione, & antiquis Legis cæremoniis: Evangelium habebant peculiare Hebraice conscriptum, quod S. Hieronymus sæpe citat. Ecclesia vero neque recepit, neque novit. Juxta illud Evangelium Zacharias ille nominabatur filius Jojadæ, non Barachiæ; quo factum est, ut crederetur Joas duo diversa nomina habere potuisse, & Barachiæ nomen non fuisse proprium, sed cognomen, quo Pontificis illius virtus significaretur; nam Barachia *Benedictus Domini* dicitur. Inde etiam elucet, tempore D. Hieronymi Historiam quamdam extitisse apocryphum de Zacharia patre S. Joannis Baptistæ, narrantem, quod propterea occisus sit a Judæis, quia Salvatoris prædixerit ad ventum.

Responsoria primi, & secundi Nocturni de Scriptura sunt, sicut Antiphonæ

phonæ ad Laudes. Responsoria vero tertii Nocturni sunt humanæ compositionis, & alterius Auctoris: procul dubio inserta sunt, aut composita, quum antiquus exolevit usus mentionem faciendi de s. stephano in primo tantum & secundo Nocturno, & tertium dicendi de Nativitate; quando igitur Responsoria Festi inducere voluerunt, ea quæ nunc extant, composuere, eo fortasse tempore, quo jam obsoletum erat Divino officio nihil inserere, quod non esset a scriptura desumtum: in his Responsoriis prædicabiles quædam insunt sententiæ, quæ videntur a sermonibus quibusdam sumtæ; possentque fumi etiam aliæ a Cluniacensibus, aliisve novis Breviariis.

Collecta est antiquissima, & antiquorum Festorum stylo composita, historico quodam more, non precationis modo; ut videre est in tribus Festis Natalis, in festo ss. Petri, & Pauli, Nativitatis s. Joannis, & s. Laurentii, quæ Romę Festa sunt antiquiora.

CAPUT XVIII.

Die 27. Decembris.

Festum S. Joannis Evangelistæ.

Peculiaria Apostolorum, ac Martyrum Festa in Oriente habuisse principium nemo potest inficiari. A quarto usque sæculo festum s. stephani in Jerosolymitana, Cappadociæ, aliisque Ecclesiis jam vidimus. S. Gregorius Nyssenus in funebri oratione in honorem s. Basilii asserit, quod saltem in Ecclesia sua post Festum Natalis Festa s. stephani, s. Petri, s. Jacobi, s. Joannis, s. Pauli, & s. Basilii celebrasentur. En igitur sex dies Festi Natalem subsequentes, &, quomodo hæc Hebdomada feriata erat. *Præclarum Deus hisce nostris Anniversariis feriis, quas certa quadam serie per istos dies jam celebraviмus, ac rursum celebramus, imposuit ordinem. Igitur eas quæ hanc consequuntur numeras; sunt autem hi, Stephanus, Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus, deinde Basilius.* Ita ut dies crastinus s. stephani s. Petro consecraretur, posterior s. Jacobo, & subsequens s. Joanni ejus fratri. Ad imitationem igitur orientalium Latini quoque festo Natalis tot alia sanctorum festa addidere; & cum Romæ festum ss. Petri & Pauli diei eorum mortis, quam die 29. Junii contigisse notant, affixum esset, ita post Festum s. stephani festum s. Jacobi, & s. Joannis fratris ejus collocari placuit, ut cernimus in aliquibus ordinibus Romanis, & in Sacramentario quodam Gallicano ævi Regum primæ stirpis, ubi habentur Lectiones, & Missa pro festo horum duorum Apostolorum: *Missa in Natale Apostolorum Jacobi, & Joannis*; Epistola vero est de obitu s. Jacobi, in Actibus Apostolorum relato, & Evangelium, petitio uxoris Zebedæi pro filiis suis apud S. Matthæum. In cunctis hujus Missæ precationibus duo illi Apostoli ita nominantur, ut, sicuti s. stephanus, quia primus erat Martyr, Natalis festum statim subsequebatur, ita etiam post s. stephanum coleretur s. Jacobus, quod primus post s. stephanum Martyr esset; & cum eo s. Joannes ejus frater conjungebatur. Postquam vero translatio Reliquiarum s. Jacobi ad 25. diem Julii festum hujus Apostoli immobile, ac perpetuum teddidit, remansit in Natali festum s. Joannis fratris ejus, cui etiam Officium proprium statutum est. Ephesi, ubi mortuus est, festum habebatur singulare. In Concilio Ephesino duæ extant hujus sancti Panegyricæ orationes, a s. Cyrillo Alexandrino, & Theodoro Ancyrano habitæ, ut ex titulo colligitur, die s. Joannis Evangelistæ; sed cum Concilium postremis Junii diebus celebratum sit, nonnulli credunt, hoc sancti Joannis Evangelistæ festum una cum festo sancti Joannis Baptistæ die 24. Junii fuisse celebratum. Græci hodie præcipuum sancti Joannis Evangelistæ festum celebrant die 26. septembris, quam diem esse autumant mortis ejus. In Regula Chrodogangi

an. 783. Metenſis Epiſcopi feſtum s. Joannis poſt feſtum s. stephani deſignatum eſt.

In Officio hodierno illud antiqui moris retentum eſt dicendi in feſto unius Apoſtoli, de Communi Apoſtolorum; omnium enim Feſta primitus in Communi celebrata ſunt, & poſtquam ſingula per annum diſtributa fuerunt, in Feſto unius Officium fieri volunt univerſorum. Antiphonæ, Pſalmi, & Verſiculi ſunt de Communi, pleraque ex Reſponſoriis ſententiæ ſunt prædicabiles e Patrum Sermonibus decerptæ. In primo & quinto repetitur, S. Joannem fuiſſe Virginem, eique propterea a Jeſu Chriſto Matrem Virginem commendatam; quod a S. Hieronymo deſumtum eſt. Alia quoque a Cluniacenſibus, aliiſque novis Breviariis depromi poſſent.

Ad primum Nocturnum legitur initium primæ Epiſtolæ hujus Apoſtoli, & æquum eſt, ut die eidem ſacro ejus Epiſtola legatur. Quo loco, aut tempore ſcripta ſit, ignoratur; a S. Auguſtino, aliiſque veteribus citatur titulo Epiſtolæ ad Parthos: nempe ad Judæos in Perſia diſperſos inter Tigrim & Indum; & in ea probat Joannes, Jeſum Chriſtum veram habuiſſe carnem, non apparentem, idque probat ſenſuum teſtimonio, ad exemplum Jeſu Chriſti, qui eorumdem teſtimonio uſus fuerat, ut veritatem reſurrectionis Apoſtolis perſuaderet.

In Lectionibus ſecundi Nocturni docet S. Hieronymus, S. Joannem Evangelium ſcripſiſſe, rogatum ab Aſiæ Epiſcopis, ut Cerinthum & Ebionitas confutaret, qui Jeſum Chriſtum purum hominem affirmabant, neque habuiſſe principium, antequam a Virgine naſceretur. S. Joannes divinitatem Jeſu Chriſti confirmat, declarans ab initio Evangelii ſui, quod Jeſus Chriſtus erat Verbum Dei; in illis S. Hieronymus de Ebionitis ſuquens ſignat eos tamquam Sectam hoc nomine vocatam, non vero quod illius Auctor nominaretur Ebion, Veteribus omnino incognitus: *Nunc Ebionitarum dogma conſurgens*: Apocalypſim præterea, quamvis e Veteribus aliqui dubitaverint an eſſet S. Joannis Apoſtoli, ab hoc conſcriptam fuiſſe non dubitat S. Hieronymus. Liber hic exaratus eſt in modum Epiſtolæ miſſæ ad ſeptem Eccleſias Aſiæ, quas S. Joannes regebat. Docet inſuper S. Hieronymus, ætate ſua Commentaria exitiſſe S. Juſtini, & S. Irenæi in Apocalypſim: quæ ætate noſtra deſiderantur. Apparet etiam in his Lectionibus, S. Joannem poſtremos vitæ ſuæ annos in Aſia Minori tranſegiſſe, atque Epheſi commoratum, uſque ad Trajani imperium vixiſſe, ſubquo mortuus eſt, anno Dom. ut creditur, 107. nonageſimum annum agens. Quin igitur S. Joannes Epheſi mortuus fuerit, dubitare merito nemo poteſt. Hoc etiam a Polycrate Epheſino Epiſcopo ad Victorem Papam ſcribente obſervatum fuit; atque etiam a Tertulliano, qui addit fruſtra ſperatum fuiſſe, Joannem non moriturum, cum Henocho tantum & Eliæ privilegium hoc Scriptura reſervaſſet, ut morte transferrentur immunes, quamvis translatio iſta nonniſi more videatur diutius prorogata: *Obiit & Joannes quem in Adventum Domini remanſurum fruſtra ſpes erat*. S. quoque Joannes Chryſoſtomus hom. 26. in ep. ad Hebr. loquitur de tumulo & Reliquiis S. Joannis; & in Concilio Epheſino plura extant teſtimonia de S. Joannis morte, quæ Epheſi contigit, deque Eccleſia ſuper ejus tumulum ædificata: & quamvis S. Auguſtinus Tract. 124. in Joan S. Joannem non ſecus ac reliquos Apoſtolos obiiſſe crediderit, eos tamen non improbat, qui vivum adhuc exiſtimant, propter ebullitionem terræ, qua corpus ejus tegitur, quaſi adhuc tumulo reſpiraret: quod quidem tunc fieri ſine ulla dubitatione teſtabantur: *Eſt qui aſſeras Joannem adhuc vivere, atque in illo ſepulchro ejus, quod eſt apud Epheſum, dormire eum potius, quam mortuum jacere contendas. Aſſumat in argumentum, quod illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire videatur, atque hoc ejus hallitu fieri* . . . Obſervat Gregorius Turonenſis de glor. Mart. l. 1. c. 36. miraculum, de quo loquitur S. Auguſtinus, ad ſua uſque tempora perduraſſe, affirmatque pulverem illum ſpeciem quamdam mannæ farinæ ſimilem fuiſſe.

Ad

Ad tertium Nocturnum legitur Evangelium, in quo Jesus Christus prædicit fore, ut eum S. Petrus sequatur per martyrium, & S. Petri martyrio S. Joannes superstes sit. In Homilia S. Augustini in hoc Evangelium Petrus & Joannes tamquam exemplar activæ & contemplativæ vitæ repræsentantur. In Missa dicitur Præfatio de Nativitate, non vero de Apostolis, ut ostendatur, quod Festum & Missa Natalis continuabatur, antequam Festa illa omnia Natali inserentur, & quod post eorum institutionem, in iis de Officio Natalis quam plurimum poterat miscebatur.

Mediolani dicuntur primæ Vesperæ S. Joannis post secundas S. Stephani; in quibusdam Ecclesiis duæ reperiuntur hac die Missæ, sicut in magnis solemnitatibus; prima in nocte, vocaturque *Missa Vigilia*, quæ Romæ dicitur in Vigilia Apostolorum, *Ego sicut oliva*; & secunda post Tertiam, *In medio*. Joannes Abrincensis observat, in hac secunda Missa Presbyteros omnes planetis indui solitos, quod S. Joannem Patronum decerent suum, quemadmodum Diaconi S. Stephanum, & juniores Clerici SS. Innocentes dicebant; observat etiam, primam Missam, quæ dicebatur, fuisse Missam ejus Vigiliæ, qua neque jejunari potuerat, neque Missa dici ob S. Stephani festivitatem.

Apparet etiam, hac die in pluribus Ecclesiis post Vesperas Stationes fieri solitas ad Fontes, ut fit in Paschate, quod Romæ quoque fiebat, ubi tres habentur Stationes; prima ad S. Joannem Lateranensem, quæ diurna est; secunda ad Fontes Baptismi illius Ecclesiæ, *secunda Statio ibidem ad Fontes*; & tertia ad S. Andream.

CAP. XIX.

Festum Fatuorum.

IN Turonensi Ecclesia S. Martini in Vesperis S. Joannis ad *Magnificat*, cum ad Versiculum *Deposuit* ventum erat, Cantor deponebat baculum, dabatque juniori clerico, qui tunc incipiebat Chorum regere usque ad finem Officii posterioris diei; sed quoniam tali ministerio abutentes Pueri, atque Episcopum imitantes dabant benedictionem, gestabant mitram, unde commessationes & convivia, querelæ & jargia, spectacula etiam & Populi risus consequebantur, Concilium Coprinicacense can. 12. anno 1260. choreas & tripudia in die SS. Innocentium abolevit, moremque pariter tali die personas eligendi, quibus Episcopi nomen imponeretur. Concilium Constantiense, & præcipue Basileense sess. 21. nova hujusmodi monstra proscripsit, quæ die Innocentium fiebant in Ecclesia, choreas scilicet, & profanos larvales jocos: *Turpem illum abusum in quibusdam frequentatum Ecclesiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, ac vestibus Pontificalibus, more Episcoporum benedicunt, alii ut Reges aut Duces induti, quod Festum Fatuorum vel Innocentium seu Puerorum in quibusdam regionibus nuncupant; alii larvales & theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium & mulierum facientes, homines ad spectacula & cachinnationes movent; alii commessationes & convivia ibidem præparano. Hæc S. Synodus detestans statuit & jubet . . . . .* Contra hujusmodi mimicas scurrilitates exstant Gersonis Sermones, quibus vehementer invehitur in talia scandala, damnatque morem cæremonias nostras imitandi per Pueros, qui Episcopi personam induerent, Dignitatum usurparent titulos, loca occuparent Ministris destinata. Festum hoc, *Festum Fatuorum* appellabant. Hujus meminit Durandus l. 2. c. 42. qui ait, tale Festum durare solitum a Natali usque ad Epiphaniam; alii hoc Festum celebrabant die S. Stephani, nempe Diaconi; alii die S. Joannis, nempe Presbyteri. Quidam hujusce Festi Ritum apptobare voluerunt per Sermonem S. Bernardi, qui loquens de Processione Purificationis asserit primos futuros novissimos, & novissimos evasuros primos; verum S. Pater affirmat id tantum, quod etiam hodie in usu est, nempe ut juniores in Processionibus procedant primi; quod qui-

Digitized by Google

quidem nullam habet ad illas ſcurrilitates relationem. Apud S. Bernardum repertur Feſtum Innocentium, tamquam conſtituens quartam ſolemnitatem Natalis : *De quatuor ſolemnitatibus continuis, ſcilicet Nativitatis D. & SS. Stephani, Ioannis & Innocentium*..

CAP. XX.

Die 28. Decembris.

Feſtum SS. Innocentium..

IN Innocentium Martyrium ita refertur in Evangelio ; Herodem nempe Nativitate J. C. perterritum, cum vidiſſet ſe illuſum a Magis, qui ad eum adorandum profecti nequaquam revertebantur, ſtatuiſſe occidere infantes omnes a bimatu & infra, ſc. qui ante Stellæ apparitionem nati erant, ne ille, quem timebat, a cæde eſſet immunis.

Veterum plerique Patrum de Feſto Natalis, & Epiphaniæ loquentes, horum Infantium Martyrium extulerunt. Eos S. Irenæus appellat J. C. Martyres, ab eo præmiſſos in Regnum ſuum, tamquam ſpolia, tenebrarum Principi erepta : *Bene ſortiti illo tempore naſci, ut eos præmitteret in regnum ſuum* ; *ipſe infans cum eſſet, infantes hominum Martyres propter Chriſtum*.. S. Gregorius Nyſſenus præclarum pariter eorum elogium texit in Sermone Natalis ; & S. Chryſoſtomus in expoſitione S. Matthæi non dubitat, quin Innocentes, cum pro Chriſto mortui fuerint, magnam a Chriſto remunerationem acceperint. Prudentius magnificum & elegantiſſimum Hymnum in eorum laudem compoſuit una cum Hymno Epiphaniæ. Origeni tribuuntur Homiliæ quædam in varios Evangelii textus, & in tertia loquitur de Martyrio Innocentium, eorumque Feſto, tamquam antiquiſſimo, tunc cum Homilia illa dicebatur : *Bene SS. Patres eorum memoriam celebrari mandaverunt ſempiternam*. Verum hæc Homilias legentibus non ſolum patet, eas non eſſe Origenis, ſed non poſſe eſſe niſi Auctoris Latini : ſcatent enim barbarismis, antithetis, verborum luſibus, Synonymis & alliſionibus, quæ quidem aperte indicant Latinam linguam, qua fuere compoſitæ. Tantum etiam abeſt, quod veteris alicujus Auctoris Latini ſint, ut ex eo, quod ibi dicitur de Feſto Innocentium, conſtet poſt octavam tantummodo ſæculum editas fuiſſe, cum antea Feſtum illud Eccleſiæ fuerit incognitum. Minus etiam probari poteſt, Infantes iſtos non ſolum habuiſſe Feſtum, ſed etiam Octavam tempore S. Auguſtini, propterea quod in Catalogo Sermonum illius Patris, per Poſſidium allato, non deſint qui Octavæ Infantium titulo inſcribantur : *De Octavis Infantium Tractatus duo*. Hæc procul dubio erat Octava Paſchatis, & Infantes ii erant novi Baptizati, qui veſtem candidam per octo dies deferebant, nec ullus proculdubio extat S. Auguſtini de Feſto Innocentium Sermo : quique ejus nomine inſcribuntur, Sermones ſunt ſuppoſititii ; neque de Infantibus Pater ille loquutus eſt, niſi in Inſtructione ad Cathecumenos l. 3. quodque de iis dixit, nullam habet ad eorum Feſtum relationem ; ſed occaſione expoſitionis in Evangelium S. Matthæi eorum martyrium relatum eſt.

Editum eſt ætate noſtra Kalendarium Carthaginenſe, quod inter reliqua omnia, quæ in lucem prodiere, creditur antiquiſſimum, & quinto aut ſexto ſæculo exaratum : ibi de Innocentium Feſto ſermo eſt ; quod S. Stephani Feſtum ſequebatur, *Sanctorum Infantium quos Herodes occidit* : quod ſuadere poſſet, Feſtum hoc non ſecus ac Feſtum S. Stephani, ortum in Africa duxiſſe, unde Romam, deinde in Galliam tranſierit ; habentur enim quatuor Feſta Natalis in Regula Crodogangi Metenſis Epiſcopi c. 74. *In ſolemnitatibus præcipuis ; ideſt Natali . . . . In Sanctorum Feſtivitatibus, ideſt S. Stephani, S. Ioannis Evangeliſtæ, & in Feſtivitate Infantium*.. Ad credendum autem, Feſtum hoc in Africa inceſſiſſe, ſicut Feſtum S. Stephani, & duo hæc Feſta celebrari conſueviſſe poſt Natalem, induci poſſem ex eo, quod apud S. Fulgentium, qui circa 530. annum mor-

Digitized by Google

mortuus est, reperitur post Sermonem Nativitatis J. C. Sermo S. Stephani primi Martyris, & deinde Sermo de Epiphania, sive de morte Innocentium, & adoratione Magorum; sicut etiam Prudentius paravit Hymnum de Innocentibus post Hymnum de Epiphania; perinde ac si coepta esset Commemoratio de his Infantibus fieri in Officio Epiphaniæ, a qua postea separati, & Natali conjuncti fuerint, veluti ut ad Christi cunas cogerentur ii, qui primi post Christum natum passi essent.

Antequam Officium Innocentium percurramus, observandum est, diu quæsitum esse, cur hoc Officium lugubre fiat, neque in eo dicatur *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelsis* ad Missam, neque *Alleluja*. Amalarius l. 4 Offic. affirmat, ætate sua in quibusdam tantum Ecclesiis Officium hoc lugubri ritu celebratum esse, sed in Monasteriis dictum *Gloria in excelsis*, ad Missam, & *Te Deum* ad Matutinum; neque alia de causa sublatum fuisse *Gloria in excelsis*, & *Alleluja* in Sacramentario S. Gregorii, nisi quia in Evangelio planctus Rachel memoratur, *Ploratus & ululatus*; non vero sublatum *Gloria Patri* ad Responsoria, neque *Te Deum* ad Matutinum; *a quarumdam Ecclesiarum Clericis non dicitur Gloria in aliis Responsoriis, nec Hymnus Te Deum, Monachis vero consonum videtur non praetermittere . . . . In authentico Gregoriano Alleluja, & Gloria In excelsis tantum tollitur, propter luctum matrum in Evangelio, Vox in Rama*. Ita Romæ tunc non est omissum *Te Deum*, quamvis non diceretur *Gloria in excelsis* ad Missam; sed post duodecimum Sæculum facta Rubrica de non dicendo *Gloria in excelsis*, quando non dicitur *Te Deum*, sublatum est *Te Deum* etiam ad Matutinum. Probat Amalarius, dici debere *Te Deum* in hoc Festo, quia ad Laudes dicitur Psalmus Lætitiæ: *Dominus regnavit*, *Jubilate*: quo docemur, a Septuagesima usque ad Pascha ideo non dici duos hosce Psalmos ad Laudes, quia dictum non est *Te Deum* ad Matutinum. Amalarii locus ostendit, Officium Innocentium ab origine sua nihil habuisse lugubre. Hoc invectum postea in aliquibus tantum Sæcularium ecclesiis; Monachi enim semper veterem ritum retinuere: & Romæ etiam nihil videbatur lugubre nisi in Missa propter Evangelium, quod laquitur de ploratu. Quin etiam, si hoc festum incideret in Dominicam, nullum demitur lætitiæ signum; & in Octava pariter dicitur *Te Deum*, & *Gloria*. Udalricus in consuetudinibus Cluniacensibus docet, servatum fuisse ibi antiquum usum Monachorum, de quo loquitur Amalarius, dictumque *Gloria in excelsis* & *Alleluja* ad Missam: *In Natali Innocentium quod alia Ecclesia non cantant Gloria in excelsis, nec Alleluja, hoc minime curatur a nobis*.

Præter Amalarium quæsiere Scriptores alii, cur hoc Officium lugubre fit. Micrologus c. 36. asserit, Innocentes, quamvis martyrium passi sint, gloriam tamen post eorum mortem non esse adeptos, sed expectasse post mortem Christi; ideoque eorum octavam, quæ eorum gloriam repræsentat, lætitiæ signis in Officio celebrari: *Merito passis SS. Innocentium minus festive celebratur, quia lices martyrio coronati, nondum tamen ad gloriam, sed ad infernalem panam discesserunt . . . . Octavam eorum celebramus . . . .* Ita hoc festum habebat octavam undecimo sæculo. Joannes quoque Abrincensis quærens, qua de causa hoc Officium lugubre esset, simile esse ait Officio in obitu J. C. in quo multo plura mœroris, & tristitiæ signa ostendit Ecclesia, quam lætitiæ, & cum pro Christo, quem repræsentabant, Infantium quisque mortuus sit, idem esse affirmat Officium facere mortis Christi, ac officium facere Innocentium: *Quia illis occisis fit mors Christi secundum æstimationem Herodis*. Idem Episcopus antiquum ait esse morem, *ex more antiquo*, hoc Officium quibusdam tristitiæ signis celebrandi.

In quibusdam Ecclesiis, nempe in Cabilonensi, fiebat hoc officium lugubre, sicut in Passione; omisso enim *Te Deum*, & *Gloria in excelsis*, omittebatur etiam *Gloria Patri* ad Invitatorium, ad Responsoria Matutini, & ad Responsoria minorum horarum.

In plerisque Ordinariis, nempe Lemovi-

movicenſi, Turonenſi, Ebroicenſi, Arelatenſi, Lugdunenſi, Noviomenſi; & aliis hoc officium nihil habebat lugubre.

Neque alia fortaſſe de cauſſa Romę factum eſt lugubre, niſi quia antehac tertius Nocturnus de Nativitate erat, non de Innocentibus; *Te Deum* vero non dicebatur, niſi in Dominicis; ac præterea neque canebatur hic Hymnus in feſto Innocentium, niſi caderet in Dominicam. Hoc inſuper in Concordia S. Dunſtani reperitur, quod in Hebdomada Natalis non dicebatur neque *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelſis* ad Miſſam, ut ſcilicet dies infra octavam feſti a die ipſo feſti diſtingueretur. Hoc idem fieri poterat in duobus feſtis præcedentibus, videlicet S Stephani, & S. Joannis; ſed quando tertius Nocturnus de Officio horum feſtorum proprius aſſignatus eſt, ſtatuerunt *Te Deum* non dicere in Feſto Innocentium, ratione ab Amalario allata lacrymarum Rachel, de quibus loquitur Evangelium, quod ea die legitur ad tertium Nocturnum, & ad Miſſam. En igitur, qua de cauſa decretum eſt, ne diceretur *Te Deum* ad Matutinum, neque *Gloria in excelſis* ad Miſſam.

Hoc die olim Romæ nigris quoque veſtimentis utebantur, & a carnibus abſtinebant, niſi occurreret in Dominica, ut notat Ordo Romani Canonici Benedicti: *Iſto die Romani non comedunt carnes, nec ſagimen, niſi venerit in Dominico die.* Si deprehendi poſſet, quo fundamento ea abſtinentia inniteretur, vera etiam cauſa, ob quam hoc Officium Romæ lugubre fieret, intelligeretur.

In Officio non negligenda eſt collecta, quæ omnium fere pulcherrima eſt, elegantiſſima, atque optime expreſſa. Hymni ſunt Prudentii, inter Breviarii Hymnos maxime elaborati, poetico lepore admodum illiti, ac præcipue propter vetuſtarem Auctoris ſummopere commendandi. Breviario Romano inſerti ſunt poſt annum dumtaxat 1550.

Nocturnorum Antiphonæ ſunt de Communi Martyrum; ut autem oſtenderetur, Officium hoc ab initio de communi fuiſſe, mutata eſt tantum ſecunda Antiphona tertii Nocturni, in qua de Martyribus dicitur, quod tradiderunt corpora ſua in mortem, ne ſervirent idolis; quod quidem aptari Innocentibus non poterat, qui ſine cognitione, & delectu mortui ſunt.

Lectiones primi Nocturni ſunt Jeremiæ, & relationem habent ad Evangelium, in quo ploratus, & lacrymę Rachel memorantur. Obſervandum, quod in Vulgata Prophetæ habeatur ſolummodo: *Vox in excelſo audita eſt*; apud Matthęum vero c. 2. exprimatur nomen proprium loci, nempe Rama, quæ urbs erat Tribus Benjamin. Rachel mater Benjamin inter Rama, & Bethleem ſepulta erat; & quia in Rama Nabuzardanus Judęos omnes transferendos catenis vinciri juſſerat, ideirco Propheta figurate docet, per plorantem Rachel exprimi matres omnes deſolatas earum Tribuum, quæ captivæ educebantur, dolentes eripi ſibi infantes ſuos compedibus vinctos, & in Chaldęam perducendos, abſque ulla redeundi ſpe. S. Matthęus verba reſpexit Jeremiæ, tamquam occiſionis Innocentium prædictionem; quapropter nil melius convenire poteſt, quam Prophetiam legere ad primum Nocturnum, & Prophetię eventum ad tertium.

Reſponſoria ſunt e diverſis Scripturæ locis decerpta, ac præcipue ex Apocalypſi.

Lectiones ſecundi Nocturni non ſunt D. Auguſtini, nec eſſe poſſunt niſi Auctoris VIII. vel IX. ſæculi; ego equidem eſſe credo Bedę, aut Flori Eccleſię Lugdunenſis IX. ſeculo Diaconi. Patriſiis legitur S. Auguſtinus *de Symbolo ad Catechumenos*, factumque eſt pro Innocentibus Officium proprium, quia cum mortui ſint abſque cognitione illius, pro quo paſſi ſunt, applicari iis officium non poſſe crediderunt, quod ſolis Martyribus convenit, qui voluntarie mortui ſunt pro Chriſto, quem corde, & ore profitebantur.

Ad tertium Nocturnum legitur Evangelium de fuga Chriſti in Ægyptum, & de cæde Innocentium. In Homilia obſervat S. Hieronymus, Prophetiam illam, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, in ſeptuaginta Interpretum verſione non legi,

legi, sed in Hebraicis exemplaribus repe-riri, scriptamque esse in Osee Prophe-ta, licet a S. Matthæo nulla hujus men-tio facta sit, illam insuper in persona Populi Judaici, quem Deus salvavit, & eduxit de Ægypto, juxta litteram completam, prophetico sensu ad Jesum Christum referri posse, quia in hoc po-pulus ille figurabat Christum. Obser-vat etiam Hieronymus, sepulchrum Rachel juxta Bethleem fuisse, & in E-vangelio appellari filios Rachel, qui pro Christo in finibus Bethleem occisi fuerant.

Innocentium Officium semiduplex tantum erat Durandi tempore, & in aliis Ordinariis a nobis relatis; Pius V. duplex esse voluit. Habent etiam offi-cium proprium in Cluniacensi Ecclesia, & in novis Breviariis; in quibusdam ad secundum Nocturnum legitur S. Augu-stinus *de Symbolo ad Catechumenos*, in aliis sermo S. Bernardi de Festo, aut S. Chrysostomi *Homil. 9. in Matth.* In qui-busdam Ordinariis non dicebatur *Credo*, neque dicitur, nisi quia Festum hoc oc-currit in octava Natalis. In quibusdam Ecclesiis dicebantur duæ Missæ in hisce Festis; prima erat de Nativitate; & sola octavæ Natalis commemoratio fie-bat, non aliorum trium Festorum. Has duas Missas memorant Joannes Abrin-censis, Durandus, & alia pleraque Ordinaria.

CAP. XXI.

Die 29. Decembris.

S. Thomas Cantuariensis.

FEstum hoc trium priorum cedit an-tiquitati; Sanctus enim, cujus diem festum colimus, obiit an. 1170. & an. 1173. Sanctorum numero adscriptus fuit ab Alexandro III. qui post festum Innocentium Festum hoc publice jussit celebrari.

Oportet autem, ut festum hoc sero Romæ celebratum fuerit, cum in nul-lis Ordinibus Romanis recentioribus reperiatur; & fortasse nonnisi post Schisma, & dissensionem in Anglia or-tam tempore Henrici VIII. factum est, ut Pius V. S. Thomam Breviario Romano adscribi juberet. Videretur immo, quod cum hoc festum sit Ritus semiduplicis, non deberet habere nisi commemorationem in officio de octava Natalis; hoc enim, utpote novem lec-tionibus constans, debet censeri semidu-plex, cumq; sit Domini Nostri in concur-su cum festo unius Sancti ejusdem ri-tus, festum post octavam remittere de-beret. In Cluniacensibus, aliisque Or-dinariis sit huc die de Nativitate, cum commemoratione tantum S. Thomæ. Primi Nocturni Lectiones sunt de com-muni unius Martyris.

Lectiones secundi Nocturni sunt ejus vitæ compendium. Iste Sanctus cogno-mine dicebatur *Brkes*; natus est Londi-ni an. 1117. & Thomas vocatus, quia in die festo S. Thomæ Apostoli in lucem editus est; Cancellariæ munus in An-glia obiit an. 1157. In Senonum Diœce-sim venit ad Alexandrum III. Pontifi-cem, qui eum commendavit Guichardo Abbati Pontiniacensi Cistercien sis Ordi-nis, qui postea Archiepiscopus Lugdu-nensis fuit. Pontiniacum est in Diœcesi Autisiodorensi, quatuor leucis cum dimidio ab Urbe distans, estque vicus de electione Ternodorensi. Anno 1167. Ludovico VII. annuente secessit in Gal lam; rebus deinde compositis, an-tequam rediret in Angliam, Lutetiam Parisiorum veniens ad petendam a Lu-dovico Rege discedendi facultatem, in Abbatia S. Victoris hospitio receptus est, ubi concionem habuit in octava S. Augustini, ibique ejus cilicium asserva-tur adhuc veluti reliquia. S. Dionysius, cui S. Thomas moriens se commendavit, primus fuerat Episcopus Parisiensis, cujus devotio, & solemnitas ad extre-mas usque Anglix partes pervaserat, & plurimarum Ecclesiarum illius Regni patronus erat ac tutelaris. S. Thomas mortuus est an. 1170. annum agens ultra 53. quem Alexander III. in Sanctorum numerum solemniter retulit feria quarta Cinerum an. 1173. præcepitq; idem Pon-

tifex, ejus festum ubique post Innocentium festum celebrari, quod in Anglia inter primæ classis festa in Concilio Exoniensi an. 1287. recensitum est. Scripsere nonnulli, eum mortuum esse in die Natalis, ejusque officium post Natalis festa translatum; quod quidem adnotatum est in quodam Kalendario Cistercienſis Ordinis, Divione impresso an. 1617. Ciacconius in vita Alexandri III mortem signat S. Thomæ ad diem 28. Decembris; Breviarium vero ad diem 29. quod magis receptum est.

Ad tertium Nocturnum Evangelium legitur de bono Pastore, cum Homilia S. Joannis Chrysostomi de officio, & zelo Pastorum Ecclesiæ: quæ Homilia a Pio V. hoc loco disposita Parisiis quoque retenta est.

CAPUT XXII.

De Dominica infra Octavam Nativitatis.

HÆc Dominica appellatur, *Dominica vacat I. post Natale Domini*: in plerisque Ordinibus Romanis dicitur prima Dominica post Nativitatem, cujus Collecta est *Omnipotens . . . . dirige actus*.

Antiphona *Dum medium silentium*, adeo repetita a c. 18. Sapientiæ desumta est, per quam nos docet Ecclesia, quod sicut Deus mediæ noctis tempore populum suum ab Ægypti captivitate liberaverat, ita etiam media nocte per Incarnationem Verbi populum suum a servitute peccati liberavit.

Lectiones primi Nocturni sunt initium Epistolæ ad Romanos: legitur Novum Testamentum post adventum J. C. Epistola hæc ab urbe Corintho scripta anno Domini 57. aut 58. prima inter Epistolas S. Pauli recensetur, non juxta temporis ordinem, sed dignitate urbis & Ecclesiæ Romanæ & pro veritate dogmatum, quæ in ea tractantur. Mos est antiquus Romæ legendi Epistolas S. Pauli a Natali usque ad Septuagesimam.

Ad secundum Nocturnum Sermo S. Leonis elegantissimus est, & inter reliquos præstantissimus; legitur etiam Parisiis.

Ad tertium Nocturnum incipit Officium hujus Dominicæ per Evangelium proprium; in Homilia S. Ambrosius indicat, Virginem non mortuam esse martyrem, nec mortem obiisse violentam; & per gladium, qui ejus animam pertransivit, intelligi debere dolorem extremum, quo ejus cor transverberatum fuit in morte Filii. In eadem Lectione S. Ambrosius Lectorem remittit ad Librum suum de Viduis, ibi quæ de Anna Prophetissa scripserat, consulturum.

Dominica hæc a Micrologo cap. 27. vocatur, *Officium dum medium silentium*: aitque, ejus officium quotidie repeti usque ad Epiphaniam, si nulla occurrant festa. Ex Collecta quispiam fortasse credat, Ecclesiam ad Festum Nominis Jesu respexisse: *Ut in nomine dilecti Filii tui*.

CAP. XXIII.

Die 31. Decembris.

S. Sylvester Papa.

IN quibusdam Ordinibus Romanis festum hoc Circumcisionis Festo succedit; apud Græcos celebratur die 2. Januarii. Apparet, tempore S. Gregorii fuisse Romæ Ecclesiam S. Sylvestri, & in ejus Festo in eadem Ecclesia S. Gregorium pronuntiasse Homiliam, quæ hodierno Officio inseri potuisset. Gregorius Papa IX. decimo tertio sæculo S. Sylvestrum retulit in festorum numerum, quæ sanctificanda essent; & propterea Hebdomadæ Natalis insertus est, ut scilicet ejus Festum eo ipso die celebretur, quo ipse Sanctus mortuus esse creditur; unde patet, ætate illa nonnisi tria Festa in hebdomada Natalis celebrata. Hodie S. Sylvestri festum in Urbe Roma feriatum est post Bullam Urbani VIII. an. 1642. editam.

Quoad

Quoad Lectiones ſecundi Nocturni ea continent facta, & Decreta S. Sylveſtro tributa, in quo tamen non omnes conveniunt. Obſervandum eſt, quod a tempore uſque Gelaſii Papæ extabant Acta S. Sylveſtri, quæ in quibuſdam Eccleſiis legebantur, licet incertus eſſet Auctor, ut inquit Gelaſius in celebri Decreto contra apocryphas Scripturas.

Ab Hadriano Papa in Epiſtola ad Irenem Imperatricem pro tuendis Imaginibus, & a pluribus ſeptimi, & octavi ſæculi Auctoribus citantur, & afferuntur a Surio; ſed deinde adulterata eſſe, vel jam tum fuiſſe videntur. Non ait Gelaſius ſe ea legiſſe, ſed ſibi nuntiatum eſſe a quibuſdam legi. Quæ ex his depompta in iis lectionibus referuntur de Baptiſmo Conſtantini, a nonnullis recentioribus Criticis vocantur in dubium.

Legati a S. Sylveſtro ad Concilium Nicænum miſſi proprio nomine in Lectione non ſunt vocati; erant autem Vincentius, & Vitus aut Vito, ambo Presbyteri. Vincentius fuit deinde Epiſcopus Capuæ. Oſius quoque Epiſcopus Cordubenſis perſonam Pontificis gerere juſſus, cum primus appareat in ſubſcriptionibus, præſidiſſe creditur, tamquam Legatus S. Sylveſtri.

Quod vero attinet ad Concilium, quod in quinta Lectione dicitur a S. Sylveſtro congregatum Romæ, in quo pro confirmatione Concilii Nicæni interfuerint ducenti octoginta quatuor Epiſcopi, illud aliquibus ſuſpectum eſt, utpote toti antiquitati incognitum, & cujus nemo veterum uſpiam meminerit.

Sexta Lectio Decreta refert S. Sylveſtro tributa. Habetur in primo Concilio Toletano an. 400. can. 1. ab omnibus receptum eſſe, ut a ſolo Epiſcopo Chriſma conficiatur, nec ab alio umquam conficiendum ſit. Legitur apud Innocentium I. Ep. 1. c. 3. poſſe quidem Presbyteros baptizare, & baptizatos ungere oleo ab Epiſcopo conſecrato, ſed Baptizatorum linire frontem ſolis Epiſcopis permiſſum eſſe. Quoad Dalmaticam, quæ ab hoc Pontifice Diaconis conceſſa dicitur in Sacrificio Miſſæ, S. quoque Iſidorus de Dalmatica loquens ait, ejus uſum a Dalmatia, unde nomen ſumſit, invectum eſſe, & hujuſmodi ornamentum jamdiu deſtinatum Diaconis Eccleſiæ Romanæ.

Decretum præcipiens, ut in lineo velo Sacrificium Corporis Chriſti conficeretur, ad repræſentanda ſudaria, in quibus poſt mortem involutus eſt, obſervatum legimus apud S. Optatum, qui ait lib. 5. in uſu fuiſſe linteo operire Altare tempore Sacrificii; & apud S. Iſidorum Peluſiotam, qui ait l. 1. ep. 123. Altare, vel Sanctam Tabulam linteo cooperiri conſueviſſe, ad repræſentandum illud, in quo J. C. ſepultus eſt: verum apud Gregorium Turonenſem l. 7. c. 32. & alios altaria reperiuntur holoſerico cooperta; & Anaſtaſius Bibliothecarius, qui primus omnium Decretum illud S. Sylveſtro adſcribit, teſtatur, ſuis quoque temporibus fuiſſe Eccleſias, quarum Altaria holoſerico operirentur.

Regula præſcribens obſervari interſtitia in Sanctis Ordinibus ſuſcipiendis habetur etiam in Pontificibus Siricio, Innocentio I. Zozimo, Cæleſtino I. & Gelaſio.

Quoad feriarum nomen, quo hebdomadæ dies diſtincti ſunt, de eo ſæpius loquitur etiam Tertullianus. Omiſſum eſt Romæ Concilium Arelatenſe, quod hoc Pontifice habitum eſt, non autem omiſſum in Breviario Pariſienſi, in quo ſumma habetur Epiſtolæ hujus Concilii ad S. Sylveſtrum miſſæ; optant Concilii Patres præſentiam Pontificis, ut cum illis judicet, *Te pariter nobiſcum judicante*: ſit digna, & honorifica S. Sedis mentio: *Ubi Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur*.

Officium S. Sylveſtri erat tantum ſemiduplex ante Pium V. qui duplex fecit; & ex antiquo ritu hoc illi reliquum fuit, ut nulla de eo fiat commemoratio in primis Veſperis Circumciſionis; nam juxta noſtras Rubricas nulla fit commemoratio Feſti ſemiduplicis in primis veſperis Feſti ſecundæ claſſis, ſed tantum feſti duplicis. Ex quo patet, quod non fiebat Feſtum S. Sylveſtri in hebdomada Natalis. A Carthuſianis officium fit de octava cum commemoratione tantum S.

Sylveſtri. In Eccleſia S. Dionyſii in Gallia transfertur ad diem ſecundam Januarii. In Breviario Cluniacenſi translatum eſt ad tertiam diem. Pariſiis fit commomemoratio S. Columbæ Virginis, martyrium paſſæ in Senonum Urbe ſub Aureliano, anno, ut creditur, 273. vel, ut alii arbitrantur, an. 259. ſub Valeriano, ſiquidem Aurelianus, Provinciæ Senonenſis juxta illos Præfectus, poſtea fuit Imperator. S. Audoenus in vita S. Eligii c. 30. Eccleſiam memorat S. Columbæ, quæ Pariſiis erat, nec amplius exſtat; in qua Sancta illa colebatur Pariſiis circa ſeptimum ſæculum. Ejus tumulum ornavit S. Eligius in propria Senonenſi Eccleſia, quæ celebris Abbatia facta eſt.

Ad tertium Nocturnum legitur Evangelium *Sins lumbi* de Communi Confeſſoris non Pontificis, quod fit etiam Pariſiis in die S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi. In Feſto vero S. Sylveſtri Pariſiis legitur Evangelium de Feſto S. Petri, *Venit Jeſus in partes Cæſareæ*, cum Homilia S. Hilarii, quæ Petrum ſummopere commendat, eumque appellat fundamentum Eccleſiæ, & quod ille decernit in terris, ait decretum eſſe & in cœlis: *Terrena ejus judicia cœleſtia ſunt*.

CAP. XXIV.

Kalendis Januarii.

Feſtum Circumciſionis, ſive Octavæ Nativitatis.

Dies iſte, ſi juxta veterem, primumque ritum conſideretur, in Eccleſia Occidentali jejunio, & pœnitentiæ ſacer erat, ad profanas, quæ apud Ethnicos ea die invaluerant, conſuetudines, quæ Kalendæ Januarii vocabantur, expiandas. Vigebat enim efrœni libidinum, commeſſationum, aliorumque exceſſuum licentia perquam corruptus ſtrenas dandi, & accipiendi mos; ad quem evertendum S. Auguſtinus Serm. 7. in append. eleemoſynam, & jejunium commendabat: *Alluxus es celebrationem ſtrenarum ſicut paganus, luſurus alea, inebriaturus te. Dans illi ſtrenas, date vos eleemoſynam; advocantur hi cautionibus luxuriarum, advocate vos ſermonibus Scripturarum; currunt illi ad Theatrum, vos ad Eccleſiam, inebrientur illi, vos jejunate. Si bodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate grandete.*

Diu autem viguiſſe apparet hanc corruptelam, contra quam invehunt S. Petrus Chryſologus, S. Maximus Taurinenſis, S. Fulgentius, & S. Eligius; ſecundum Concilium Turonenſe an. 567. præcipit ea die jejunari, & Miſſam tantum Circumciſionis præſcribit; quæ ante horam tertiam celebranda erat, ſicut in diebus minoris jejunii: *Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Dei propitio celebretur*. Quartum Concilium Toletanum an. 633. abſtinentiam ea die præſcribens cantari vetat *Alleluia* in Officiis Eccleſiæ: *Kalendis Januarii, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino alleluia non decantabitur*: quod Concilium nequaquam loquitur de Officio Circumciſionis, quemadmodum nec S. Iſidorus, qui l. 2. offic. c. 40. ait, Eccleſiam Kalendis Januarii inſtituiſſe jejunium propter errorem Ethnicorum, qui Deum ſibi fecerant antiquum Principem Ethnicum, nomine Janum, unde Januarius menſis nomen ſumſit, eique hunc diem conſecrarant, ſpectaculis deſtinatum, corruptelæ ac perſonarum libidini; Eccleſiam vero idcirco præcepiſſe jejunium, ut homines ex eo cognoſcerent ſceleris gravitatem, quod pro eorum culpa cunctis Eccleſiis jejunii pœna ſtatuta fuiſſet. S. Bonifacius Moguntinus conqueritur etiam ipſe, quod hæc corruptela tolli non potuit, niſi Kalendis Januariis Bacchanalium tempus, quod Quadrageſimam præcedit, fuerit ſubſtitutum.

Kalendis Januariis quando jejunium deſierit, & feſtum cœperit, ignoratur; Joannes Belethus, qui ſub finem duodecimi ſæculi vivebat, nullam ea de re mentionem facit. Odo ſuliacenſis, Epiſcopus Pariſienſis an. 1199. Le-

Legati Pontificis auctoritate uſus eſt ad compeſcenda facinora, quæ diebus Circumciſionis, & S. Stephani admittebantur; majoribus diſtributionibus iſtorum dierum Officia cumulavit, ut ſolemniori cultu celebrarentur, *& aliorum Feſtorum ſimpliciter duplicium more*; unde patet, non fuiſſe antea duplicia. Extat etiam Epiſtola Facultatis Theologorum Pariſienſium anno 1444. Epiſcopis Galliæ ſcripta ad extirpandos hujuſmodi abuſus; eaque legitur in fine Operum Petri Bleſenſis.

In Miſſali Gothico habentur hac die duæ Miſſæ, altera Circumciſionis, altera contra idololatrias, quæ ea die patrabantur: *Ad prohibendum ab idolis*; habentur etiam in Gelaſiano. Poſtea vero ex duabus Miſſis una tantum facta eſt ſub titulo Circumciſionis: *Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini*; in qua duplex habetur benedictio, altera ante communionem, altera poſt. Hæc ſpectabat ad Miſſam, quæ ad extirpandas Ethnicorum ſuperſtitiones dicebatur, eratque Miſſa jejunii, in qua dicebantur benedictiones poſt Communionem. Prima hujus Miſſæ Epiſtola eſt Iſajæ 44. *Hæc dicit Dominus Redemtor tuus*. Secunda eſt S. Pauli 1. Cor. 10. 14 *Fugite ab idolorum cultura*. Evangelium eſt circumciſionis: ita in hac Miſſa duo Eccleſiæ vota continebantur. Secunda Epiſtola errorem Ethnicorum reſpicit, ſicut etiam collecta: *Omnipotens . . . . tu nos convertens vivifica, & quos error Gentilitatis involvit, agnitionis tuæ munus abſolvas*.

Difficile dictu eſt, quale officium Romæ olim fieret hac die, utrum de Octava Nativitatis, an de circumciſione, an de Virgine. In Sacramentario Gregorii habetur *In Octavis Domini*, ſicut etiam in antiquis ordinibus Romanis; Veteres dicebant plurali numero, Octavas: apud Amalarium habetur *De Octavis in Nativitate Domini*; mos erat Romæ hunc diem appellandi Octavam Nativitatis: quapropter Durandus ait, hac die fieri de octava Nativitatis, non autem de circumciſione; verum in Gallia feſtum hoc antiquo circumciſionis nomine vocatur; ſecundum, quod ſuperius retuli, Concilium Turonenſe de circumciſione tantum mentionem facit. In capitularibus Caroli Magni l. 6. c. 186. appellatur circumciſio: *In Circumciſione Domini Kalendis Januarii*. In antiquis Martyrologiis Gallicæ appellatur circumciſio J. C. ſecundum carnem; Odo ſuliacenſis de circumciſione tantum loquitur; & revera Octava Natalis celebrari non poteſt abſque celebritate Feſti circumciſionis, quoniam octava die J. chriſtus circumciſus fuit; ita nullum aliud Evangelium huic diei debebatur. Sacramentarium S. Gregorii Octavæ Nativitatis, & feſto circumciſionis addit ſolemnitatem Divini s. Virginis partus, qui dicitur *Puerperium*; ejus Collecta, *Deus qui ſalutis æternæ*. Veſperæ ſunt pſalmi de s. Virgine; & antiqua extant Kalendaria, ubi Kalendis Januarii inſcribebatur, *Natale S. Mariæ*. Aſſerit Micrologus, officium totum fuiſſe olim de Virgine tantum; & hoc appellabatur feſtum de Partu Virginis, ſeu *Puerperium*. Eccleſia 25. Decembris officio filii penitus occupata, in octavam diem transferebat officium matris. S. Bernardus in ſuis ſermonibus in hanc diem mentionem facit de circumciſione, quam octavæ Natalis myſterium vocat; *Ante paucos dies celebravimus diem natalis; hodie celebramus Sacramentum octavæ diei*.

In antiquis Ordinibus Romanis officium erat de octava Natalis tantum, & Collecta, *Deus qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum*. In aliis reperitur hodiernus uſus, nempe officium Natalis cum officio Virginis permixtum; primæ, & ſecundæ Veſperæ ſunt de Virgine, cum Antiphonis, *O admirabile commercium . . . .* Verſiculus *Poſt partum*, Antiphona ad *Magnificat*, *Beatus venter*. Iſtæ Antiphonæ ſunt etiam ad Laudes uſque ad Vigiliam Epiphaniæ. Matutinum, ſive officium nocturnum eſt de Nativitate. Quinque Antipho-

næ

næ *O admirabile commercium ; Quando natus, Rubum, Germinavit, Ecce Maria*, & *Mirabile Mysterium* citantur ab Amalario l. 4. c. 32. Dicuntur Antiphonæ istæ ad confutandum ac debellandum Eutychianismum ab Auctore compositæ ; legitur propterea in Antiphona ad *Magnificat*, *Non commixtionem passus, neque divisionem*. Patres Oratorii in Gallia finem mutant Antiphonæ *O admirabile*, & loco dicendi *procedens homo sine semine*, dicunt, *nostræ. factus mortalitatis particeps*.

Romæ, ut superius diximus, nocte Natalis dicebatur alias Matutinum bis cum duobus divertis officiis ; quando autem duo illa officia dicendi mos obsolevit, alterum pro nocte Natalis retentum est, alterum pro die octavæ ; est que officium quod hodie dicitur, quoad Psalmos, & Antiphonas.

Lectiones primi Nocturni sunt Epistolæ ad Romanos, quæ die 29. aut 30. Decembris legi cœpta est.

In Lectionibus secundi Nocturni Sermo S. Leonis Eutychianos oppugnat, qui utramque naturam in J. Christo commixtam & confusam esse audebant asserere.

In Homilia tertii Nocturni S. Ambrosius docet, solum J. C. ex natis de fœmina terrenæ corruptelæ non sensisse contagia ; quod quidem validum est argumentum originalis peccati omnibus hominibus communis, quo solus Christus expers fuit & immunis, quia de Spiritu S. conceptus, & de Virgine natus ; & hoc multo ante Pelagianorum hæresim.

Oratio diei, *Deus qui salutis*, exstat in omnibus Sacris Ritualibus, & ad partum refertur Virginis : *Per quam mevuimus auctorem vitæ suscipere*.

Ad quintum Responsorium Matutini habetur *Confirmatum est cor virginis, in quo divina mysteria concepit*, quod non est intelligendum juxta sententiam cujusdam visionarii, qui J. Christum affirmabat a Virgine non in visceribus, sed in corde conceptum, licet Angelus dixerit, *Concipies in utero*. Hoc igitur Responsorium significat, Virginem concepisse Mysterium in corde suo per fidem verbis Angeli præstitam.

Ad nonum Responsorium, *lactabat Virgo ubere de Cœlo pleno* ; non sibi vult, ut quidam Auctor perperam interpretatus est : e cœlo scilicet pluisse lac in ubera Virginis ; sed per hoc voluisse Ecclesiam mirum illum modum significare, quo Virgo lactabat Filium, quem mirabili quoque modo conceperat.

In una Antiphona Laudum, ubi habetur, *Innovantur naturæ*, transmutatio intelligenda est in natura tantum humana, non vero in divina, quæ transmutari non potest ; & fortasse nil aliud significatur quam communicatio idiomatum utriusque naturæ, cujus proprietates attribuuntur divinæ personæ ; idque ab Auctore, qui adversus Eutychianos scripserat, desumtum est.

In minorum Horarum capitulis facile est animadvertere, ad Sextam & Nonam ea esse de die Nativitatis, propterea quod ea die duo Officia, nempe de Virgine & de Nativitate confunderentur.

Joannes Belethus ait, ideo ætate sua duas Missas hac die celebrari solitas, alteram de Virgine, alteram de Octava Natalis, ne scilicet duo ista objecta confunderentur. Hodie in Missa Collecta tantum de Virgine est, reliqua de Octava Natalis. Micrologi ævo, ut ipse testatur c. 39. Missa erat de Virgine tantum, ad Introitum *Puerum tuum*, non vero *Puer natus est*. In primis Vesperis dicebantur Antiphonæ *Tecum principium* cum reliquis, Responsorium *Congratulamini*, Hymnus *A Solis ortus* ; ad *Magnificat* Antiphona *Magnum Mysterium* ; ad Laudes Antiphonæ *O admirabile* ; & eædem Antiphonæ dicebantur in secundis Vesperis cum Psalmis de Nativitate.

Apud Carthusianos, & alios, ad Vesperas non dicuntur Antiphonæ & Psalmi de die Natalis, *Tecum principium* ; & si Circumcisio occurrat in Dominica, fit commemoratio de Dominica in Laudibus & Vesperis, cum Oratione *Omnipotens . . . . dirige actus*. Apud Udalricum videre est, quod hodiernum Evangelium erat illud Natalis : *Pastores loquebantur*, cui adjungebatur : *Et postquam consummati sunt dies octo*.

In Ecclesia S. Dionysii in Gallia Mis-

sa

ſa erat tota de Nativitate, ſicut in die Natalis, cum Introitu *Puer*; Epiſtola *Multifariam*; Proſa *Letabundus*; Collecta *Deus qui nobis nati Salvatoris diem octavam* . . . . Evangelium de Circumciſione: ad Veſperas Antiphonæ *Tecum principium*.

In Cluniacenſibus & novis Breviariis Officium totum eſt de Nativitate, cum Collecta *Qui nati Salvatoris diem concedis celebrare octavam*. In toto Officio nulla fit mentio de Virgine. Pariſiis Officium Romanum retentum eſt, immutata tantummodo ad tertium Nocturnum Homilia, quæ eſt S. Cyrilli Alexandrini de nomine Jeſu, cum nono Reſponſorio *O Beata Infantia . . . O felices panni, quibus peccatorum ſordes exterſæ ſunt*.

Neque prætermittendum eſt, inopinato accidiſſe, ut primæ tres lectiones de Circumciſione abſque ullo delectu diſpoſitæ illius diei Myſterio convenirent.

CAP. XXV.

De diebus infra Circumciſionem & Epiphaniam occurrentibus.

ANtequam Feſtis Natalem ſubſequentibus interfererentur Octavæ, quatuor illis diebus infra Circumciſionem & Epiphaniam nullum aliud Officium habebatur, quam quod Dominica infra Octavam Nativitatis. In quibuſdam Eccleſiis dicebantur Pſalmi de Feria, & Antiphonæ, & Hymni de Nativitate ſumebantur.

Micrologus c. 37. ait quod, ſi dies illi, etiam poſtquam Feſtis Natalis adjectæ ſunt Octavæ, occurrerent in Dominica, fieret Officium de Dominica, *Dum medium ſilentium*, & quod nullum exſtabat apud S. Gregorium Officium pro Dominica, quæ occurrere poſſet infra Circumciſionem & Epiphaniam; & ſi occurriſſet, repetebatur Officium de Dominica infra Octavam Nativitatis, quemadmodum repetebatur Officium de ultimis Dominicis poſt Pentecoſten, quando proprium non exſtabat; & quando Vigilia ipſa Epiphaniæ incidit in Dominicam, hoc idem Officium repetitur.

Sed quamvis in Ordinibus Romanis nulla ſignetur Dominica infra Circumciſionem & Epiphaniam, reperitur tamen in pluribus Ordinariis: *Dominica prima poſt octavas Natalis*. In Miſſali Gothico nulla extat Dominica poſt Natalem, ſed poſt Circumciſionem, *Dominica poſt Circumciſionem*. Prima Epiſtola Miſſæ eſt Ezechielis 43. *Fili hominis, hi ſunt ritus altaris*; ſecunda Epiſtola ad Epheſios 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri*; Evangelium *Matth. 9. Obtulerunt turbæ hominem dæmonium habentem*.

Dominicæ infra Nativitatem & Epiphaniam vocantur Dominicæ vacantes, ſed improprie, quia numquam fuerunt Officio vacuæ, ut fit in Dominicis poſt Ordinationem quatuor Temporum: dicendum eſt igitur, duas haſce Dominicas infra Nativitatem & Epiphaniam eſſe vacantes, quia non habent Officium proprium ſeu de Dominica, vel quia occupantur ab Officio Feſti alicujus Sancti, vel ab Officio Octavæ Natalis.

Pariſiis reſtituta eſt Dominica infra Circumciſionem & Epiphaniam s Evangelium eſt de fuga J. C. in Ægyptum, cum Homilia S. Petri Chryſologi eloquentiſſima.

CAP. XXVI.

Die 2. Januarii.

De Octava S. Stephani.

DE Octava S. Stephani, & duobus ſubſequentibus diebus primus omnium egit Amalarius l. 4. c. 37. *Poſt Octavas Nativitatis Domini, Octavas celebrare S. Stephani, & S. Joannis Evangeliſtæ, atque Innocentium ſolemus; ut earum octavarum cantu perveniamus ad Vigilias Theophaniæ*: ne dies hi abſque celebritate elaberentur, tribus hiſce Fe-

Feſtis Octava aſſignata eſt. En quomodo hiſce diebus Officium Natalis, quod antea duodecim iſtorum dierum ſpatio continuatum unam eamdemque quaſi confecerat ſolemnitatem, extinctum eſt, ut Sanctorum Officia ſubſtituerentur, & Sanctorum Octavæ; idque ad Eccleſias omnes, & ad Pariſienſem quoque tranſiit, ubi licet Officium S. Joannis ſit tantum duplex majus, non vero ſolemne, & Officium Innocentium ſit inferioris Ritus, nempe duplex minus, tamen celebrantur cum Octava; ita ut officium de octava Innocentium uno tantum gradu differat ab officio Feſti. Tres iſtæ Octavæ non exſtant in novo Breviario Cluniacenſi; ubi fit commemoratio de Feria, hoc eſt de continuatione Natalis tribus illis diebus, ſi Feſtum occurrat.

Hi Octavæ dies Romæ erant ſemiduplices tantum ante Pium V. qui duplices eſſe voluit. Nullus Ordo Romanus de iſtis Octavis mentionem facit; Amalarius qui de iis primus egit, voluit fortaſſe uſum ſignificare Eccleſiæ ſuæ Metenſis, cujus Patronus eſt S. Stephanus, & in qua forſitan hujus Sancti Octava cœpta eſt, & duorum poſtea Feſtorum ſubſequentium, atque deinde de quibuſdam Eccleſiis Galliæ Romam invecta eſt. Primum, quod hujus octavæ mentionem faciat, Martyrologium eſt Notkeri, qui decimi ſæculi Auctor eſt; & fortaſſe quia S. Stephanus ejus Abbatiæ Sangallenſis Patronus eſſet. De ea loquitur undecimi Sæculi Scriptor Micrologus c. 37.

In primo Nocturno legitur Martyrium S. Stephani; quod elevatis oculis in cœlum vidit gloriam Dei, hoc eſt lucem ſplendidam, & in medio Jeſum ſtantem, quem Filium hominis vocat potius quam Filium Dei, ne Judæi dubitarent, de Jeſu Chriſto eum loqui, quem faceret æqualem Patri; quapropter credidere Judæi Stephanum blaſphemantem, & lapidarunt; quo ſupplicii genere puniebantur a Lege blaſphemantes: lapidaverunt autem extra Urbem, quia in Urbe Jeruſalem nemini permiſſum erat occidere. Et quia teſtes Lege cogebantur primi injicere manus in reum, ut facilius lapides jacerent, veſtimentorum partem depoſitam tradidere cuſtodiendam Saulo, qui Judaiſmi tenebatur zelo, vocaturque adoleſcens, licet pluſquam triginta annos natus eſſet. S. Auguſtinus Serm. 14. de Sanctis ait, Sanctum Stephanum a Saulo quodammodo lapidarum fuiſſe per manus lapidantium Judæorum, quorum ſervabat veſtimenta. Creditur autem S. Stephanus obiiſſe ſub finem anni 33 ætatis Chriſti, novem circiter menſibus poſt ejus mortem.

Ad ſecundum Nocturnum Sermo S. Auguſtini animadverſione digniſſimus eſt; in eo apparet inter Feſtum Natalis & Feſtum Sanctorum diſtinctio; Feſtum Natalis appellatur *Feſtiviſſima dies*, nempe maximum & ſolemniſſimum Feſtum; quod in Africa S. Auguſtini ævo S. Stephani Feſtum ſubſequebatur feſtum Natalis; quod S. Stephanus erat adoleſcens, quando lapidatus fuit, *In ipſo juventutis flore*; quod ejus martyrium e libro Actuum Apoſtolorum lectum fuerat ante Sermonem; & quod illius Martyrii picturæ quædam in Eccleſia Hipponenſi extabant; *Hanc de Libro Actuum Apoſtolorum, quum legeretur, non ſolum audivimus, ſed etiam oculis ſpectavimus.*

Homilia tertii Nocturni eſt Commentarii S. Hieronymi, ipſius feſti die perlecti continuatio. Pſalmus 117. ab eo citatus eſt: *Confitemini Domino quoniam bonus*, qui ad Primam dicitur diebus Dominicis.

Collecta *Omnipotens . . . . qui primitias*, eſt in antiquo Eccleſiæ Romanæ Collectario.

Pariſiis quoque fit de Octava S. Stephani officium ſemiduplex; Lectiones ſecundi & tertii Nocturni differunt ab Officio Romano.

In quibuſdam Eccleſiis in Octava S. Stephani hiſtoria Reliquiarum ejus legebatur.

CA-

Digitized by Google

CAP. XXVII.

Die 3. Januarii.

Octava S. Joannis Evangeliſtæ.

LEctiones primi Nocturni ſunt de Apocalypſi S. Joannis, quæ legitur in Octava Feſti; Caput 4. hujus Libri, ubi Sanctorum gloria deſcribitur, Deus in Throno, & viginticquatuor Seniores, qui ſunt velut Aſſeſſores Judicis, deſignat univerſitatem Sanctorum Veteris & Novi Teſtamenti, per duodecim Patriarchas, & duodecim Apoſtolos repræſentatam. Mare illud pellucidum ſimile chryſtallo aſſimilatur mari æneo aquæ pleno, quod Salomon in Templo collocari juſſerat ad purificationem Preſbyterorum; quatuor inibi deſcribuntur animalia ad inſtar quatuor Cherubim, qui erant circa Arcam Sanctuarii, duo a Moyſe, & duo a Salomone poſiti, quibus quatuor Archangeli Dei juſſis exequendis addicti ſignificabantur; hi leones ſunt præ fortitudine, boves præ obedientia, homines præ prudentia, aquilæ præ celeritate. Patres quatuor his animalibus quatuor Evangeliſtas innui opinantur.

Ad ſecundum Nocturnum S. Auguſtinus quatuor animalia Ezechielis & Apocalypſis quatuor comparat Evangeliſtis, aitque, per aquilam S. Joannem ſignificari, qui multo altius ac ſublimius, quam ceteri tres, ſe erexit, explicans J. C. Divinitatem, & præcipue in primo capite Evangelii ſui: ibi enim, ut Auguſtinus inquit, S. Joannes videtur ſe exeriſſe ſuper cœlos, & omnes Angelos, & ad ipſum Deum perveniſſe, ut divini Verbi perciperet originem; affirmatque, S. Joannem tam ſublimem doctrinam a Jeſu Chriſto hauſiſſe, cum ſupra pectus ejus in Cœna recubuit; ibi Deus gloriam ſuam quodammodo temperavit, ut a S. Joanne videretur, & contemplaretur, ſicuti aquila ſolem contemplatur, ejuſque jubar oculis inconventibus ſuſtinet.

Homilia S. chryſoſtomi ad tertium Nocturnum non multa continet obſervatione digna.

In primis editionibus Breviarii Cardinalis Quignonii, a Paulo III. Pontifice approbati, non fiebat hac die Officium de Octava S. Joannis Evangeliſtæ, ſed de S. Antero Papa; quod tamen a Pio V. mutatum eſt, & nullum de hoc Papa relictum Officium, neque memoria niſi in Martyrologio.

Pariſiis hac die fit Officium & Feſtum S. Genovefæ Virginis, quæ illius Urbis habetur Patrona; ſepulta eſt in Eccleſia, quæ a Clodoveo anno 507. ædificari cœperat in honorem SS. Petri & Pauli, quorum relicto titulo, S. Genovefæ nomen ſumſit, propter nimiam Populorum frequentiam ad ejus tumulum concurrentium.

Officium eſt de communi Virginum, exceptis Antiphonis ad Laudes & ad *Magnificat*, quæ deſumtæ ſunt e Vita S. Germani Autiſſiodorenſis, a Presbytero conſtantio deſcripta, ubi de illa Sancta mentio fit. Hymni ſunt P. Petavii Societatis Jeſu.

Sanctæ iſtius feſtum feriari cœpit poſt Guillelmum Cartherium, habetque Octavam cum ſola Commemoratione in Officio de Octava Epiphaniæ, ne excepto quidem die ipſo Octavæ, qui cum ſit ſemiduplex tantum, cedere debet diei infra Octavam Epiphaniæ, qui pariter ſemiduplex eſt.

CAP. XXVIII.

4. Januarii.

Octava Innocentium.

AD primum Nocturnum reſumuntur lectiones Epiſtolæ ad Romanos, quarum loco duobus præcedentibus diebus ſucceſſerant Lectiones propriæ de Feſtis.

Sermo ſecundi Nocturni non eſt S. Auguſtini, ſed ſtylus videtur alicujus

Digitized by Google

Auctoris noni ſæculi ; exclamationibus & verborum luſibus refertus eſt.

Cardinalis Quignonius in ſuo Breviario a Paulo III. Pontifice approbato Octavam Innocentium ſuppreſſerat, illique ſubſtituerat Octavam S. Aldegundis Virginis in Hannonia, de qua fit mentio in Martyrologio 30 Januarii.

Pariſiis fit memoria S. Rigoberti Epiſcopi Remenſis, qui obiit anno circiter 743. cujus oſſa quædam Pariſios allata anno 1362. aſſervantur in Eccleſia S. Mariæ, & exponuntur hodierna die ſuper Aram maximam tempore Miſſæ, quæ prope Sanctorum Cineres celebratur, ſervaturque antiquus uſus celebrandi Miſſam ſuper Oſſa Sanctorum.

CAP. XXIX.

5. Januarii.

Vigilia Epiphaniæ.

NIhil in toto hodierno Officio referri poteſt ad titulum, *In Vigilia Epiphaniæ*, ideſt ad Epiphaniam ; totum eſt, ſicut in Dominica infra Octavam Nativitatis, eſſque ; ut ajebat Micrologus, illud Officium quod repetebatur quotidie a Natali uſque ad Epiphaniam. Evangelium tantum proprium eſt, nempe de fuga J. C. in Ægyptum.

Ad ſecundum Nocturnum Auctor Sermonis non videtur eſſe s. Auguſtinus ; ſolum Jeſum Chriſtum aſſerit ſine peccato natum, utpote abſque virili complexu genitum : *ſolus ſine peccato natus eſt* ; quod excludit etiam Nativitatem s. Joannis Baptiſtæ tamquam a peccato immunem ; quæ quidem erat s. Auguſtini ſententia, quod, ſicut juxta Evangelium nemo renaſcitur ſpiritualiter, niſi prius naſcatur, s. Joannes non fuerit ſanctificatus antequam naſceretur, & quod ſanctificatio, illi per Evangelium tributa, quædam fuerit deputatio ſeu deſignatio miniſterii ſui.

Ad tertium Nocturnum s. Hieronymus vocat S. Joſeph Patrem nutritium Jeſu Chriſti, *Nutritium, non maritum* ; aitque, Herodem, qui occidi juſſit Innocentes, patrem fuiſſe illius, a quo in Paſſione ſua J. C. irriſus eſt ; itemque nullum reperiri in Scripturis locum, ubi expreſſe dicatur per Prophetas de J. Chriſto, quoniam Nazaræus vocabitur, ideoque Evangeliſtam de Prophetis in genere loquutum eſſe, non in ſpecie, & Prophetas pluraliter vocantem voluiſſe oſtendere, ſe non verba de Scripturis ſumſiſſe, ſed ſenſum. Appellatur autem J. C. Nazaræus, quia conceptus & nutritus eſt in civitate Nazareth ; & nonniſi per deriſionem in Crucis titulo inſcriptus fuit Nazarenus. Cum tamen Nazarenus, ſanctus interpretetur, & ſegregatus a mundo, & cum Prophetæ Chriſtum appellaverint ſanctum ſanctorum, vel ſimpliciter ſanctum, non immerito ab Evangeliſta dictum eſt, & Prophetarum teſtimonio comprobatum, quoniam Nazaræus vocabitur.

Hodie fit commemoratio s. Teleſphori Papæ & Martyris ſine Lectione. S. Irenæus l. 3. c. 3. in catalogo primorum Pontificum s. Teleſphorum decorat Martyrii palma, qua poſt s. Petrum neminem præter Teleſphorum ornat. Quoad hunc Pontificem antiquus Romanæ Eccleſiæ ſervatus eſt mos, a Gelaſio Pontifice memoratus, Acta Martyrum non legendi, ne quid fortaſſe falſum irreperet & apocryphum. Iſte ſanctus in nullo Ordine Romano reperitur, & ejus commemoratio, quæ hodie fit, apparet tantum ab anno 1602. a Clemente VIII. Pontifice inſerta poſt Breviarii Romani emendationem.

Huic autem diei Vigiliæ Epiphaniæ nomen tribui nequit niſi ratione Miſſæ, quæ antehac dicebatur nocte poſt Nocturnos, & quæ præcedenti diei aſſignata eſt, poſtquam nocturnarum vigiliarum uſus Populo fuit interdictus.

Si hæc Vigilia occurrat in Dominica, Officium, ut ait Micrologus c. 40. fit *Dum medium* ; hoc eſt repetitio Dominicæ infra Octavam Nativitatis ; ſi incidat in aliam diem, dicitur idem Officium cum Evangelio de fuga in Ægyptum, propterea quod antequam hæc Vigilia decerneretur, fiebat Officium de fuga

de fuga illa, tamquam de Feſto Domini : *Quia hoc Officium ante uſum hujus Vigiliæ canebatur* . Oratio Miſſæ de Vigilia, quæ in antiquis Romanis Collectariis eſt, *Cordz noſtra . . . . venturæ Feſtivitatis ſplendor illuſtret . . . .* Pariſiis reſtituta eſt .

Vigilia Epiphaniæ nihil tum habebat ab aliis Vigiliis diſtinctum, noxque precibus & lectionibus inſumebatur . De ea agunt in Epiſtola Trecenſis & Auguſtodunenſis Epiſcopi Lupus & Euphronius, aſſerentes durare totam noctem, ac propemodum uſque mane, non ſecus ac Vigiliam Natalis; Vigiliam vero Paſchatis citius terminari, quia in Natali & in Epiphania tardius, & poſt cœnam & quietem congregabantur , in Vigilia vero Paſchatis ſtatim poſt veſperam , & jejuni . Affirmant Epiſcopi in eadem Epiſtola, Vigiliam Epiphaniæ aliquid habere præcipuum : *Epiphaniæ ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum* : & nihil aliud fuiſſe credo , quam quod in ea non jejunaretur ; legimus enim , Concilium II. Turonenſe anni 567. can. 12. a Natali uſque ad Epiphaniam vetuiſſe jejunium . S. Cæſarius Arelatenſis, qui annis 50. vixerat ante hoc Concilium, jejunium indixerat ſeptem dierum ante Epiphaniam, Vigiliam vero Feſti precibus celebrari a nona hora veſperarum uſque ad locis ortum .

Petrus Damianus l. 1. ep. 35. affirmat , in Vigilia Epiphaniæ jejunandum eſſe , vini & olei uſu conceſſo ; cujus novitatem jejunii quibuſdam impugnantibus reſpondet , S. Gregorium in ſuo Sacramentario Miſſam de iſta Vigilia propriam conſtituiſſe , idque argumentum eſſe ſervati in ea Vigilia jejunii , eum nulla habeatur Miſſa ſine jejunio ; conqueritur autem , quod Miſſa hujus Vigiliæ ad horam Tertiam celebretur , non vero ad horam Nonam , ut fit in aliis Vigiliis : *Cum nonnulli reperirentur vigilias dici, in quibus Miſſæ debeant abſque jejunio celebrari* . Apud canonicos Regulares s. Rufi jejunabatur in hac Vigilia , & ideo Miſſa poſt ſextam præcipitur celebrari : *Quia jejunium eſt , poſt Sextam cantabitur Miſſa* . Hujus jejunii meminit Concilium Moguntinum an. 1020. & Concilium ſelgenſtadenſe an. 1022. Durandus Petro Damiano aſſentitur , probatque hodie jejunandum ex Miſſa Vigiliæ , quæ exſtat apud s. Gregorium, eſtque Miſſis jejunii ac pœnitentiæ ſimilis. Sed per hujus Vigiliæ Miſſam videtur potius probari Feſtus dies, quam dies jejunii, cum Miſſa ad Tertiam diceretur . Hinc Lanfranchus in ſuis ſtatutis hunc diem a jejunio eximit: *In Vigilia Epiphaniæ non jejunatur* . Hoc idem ait Udalricus in conſuetudinibus Cluniacenſibus , *Hodie non jejunamus* . In Regula S. Donati , & S. Aureliani non jejunatur a Natali uſque ad Epiphaniam . S. Dunſtanus in ſua Concordia c. 1. aperte aſſerit , *In Vigilia Epiphaniæ non jejunatur* , & Petrus Damianus opuſc. 55. c. 1. Monachis ſuis præcipiens jejunium, declarat , hoc eſſe recenter inductum contra communem uſum , *Epiphaniorum vigiliæ dignum eſt jejunare . Hic ſtomachabitur me peregrina noviter introducere jejunia , quæ nulla valeam Patrum auctoritate firmare* . Joannes Abrincenſis optime ait , hanc Vigiliam diverſimode obſervari in Eccleſia; alii enim jejunabant , & Officium faciebant lugubre ; alii diem feſtum celebrabant ; præſertim autem idem Auctor jejunantes minime jejunantibus : *Vigiliam Epiphaniæ quam plebes diverſe colunt : alii enim jejunant, alii prandent ; nobis jejunandum magis congruum videtur* . In Miſſali Mozarabico habetur Miſſa de jejunio , *In jejunio Epiphaniæ* : in antiquo Kalendario , in Vigilia Epiphaniæ habetur *Jejunium* , & *Miſſas hora nona* . In quibuſdam Ordinariis non dicitur *Te Deum* ad Matutinum , neque *Gloria in excelſis* , aut *Alleluia* ad Miſſam . Narbonæ dicitur *Te Deum* , ſicut in feſto . Mediolani habentur quatuor Prophetiæ , & una Epiſtola in Miſſa hujus Vigiliæ , quod ſignum erat magni jejunii ; & poſt quamlibet Lectionem Reſponſorium , & Collecta , ſicut in Sabbatis quatuor Temporum ; Evangelium eſt de Baptiſmo J. Chriſti , cujus loco in antiquo Lectionario Galliæ Evangelium erat de adoratione Magorum . Mediolani præter Prophetias, quæ leguntur in Miſſa , dicuntur etiam Veſperæ in medio Miſſæ, quod magnum de-

ſignat jejunium, nonniſi ad veſperam ſolvendum, idque ſervatur in Vigiliis Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalis; jejunium etiam hodie ibi in uſu eſt, ſed in Bulla legitur *de hortatu*, ut quiſque intelligat non eſſe amplius de præcepto.

Pariſiis fit hodie commemoratio S. Simeonis Stylitæ, qui ſolitariam in Oriente vitam egit. Cur autem Pariſiis Sancto iſti habeatur cultus, haud equidem ſcio; niſi forte quia legitur in Vita S. Genovefæ, quod, cum in Syria Pariſienſes quoſdam Mercatores invenifſet, hos rogaſſe dicitur, ut eum Sanctæ iſtius precibus commendarent. Quod tamen neſcio, an ulla auctoritate firmari queat.

Hodie Græci in Vigilia Epiphaniæ jejunant, ut ſcilicet ſe ipſos præparent ad cæremoniam aquæ, die ipſo feſti benedicendæ, quæque alias nocte benedicebatur. Hac vero aqua olim lavabantur, de ea hodie tantummodo bibunt; lavabantur autem in honorem Baptiſmi J. Chriſti, & aqua inſerviebat Baptiſmo Cathecumenorum, qui nocte iſta baptizabantur. Quilibet vicus fluvium, a quo irrigatur, multis cum precibus, & cæremoniis benedicit. De hoc agit S. Jo: Chryſoſtomus hom. de Bapt. Chr. Theodorus Lector, & Cedrenus ajunt, a Petro Fullonio Patriarcha Antiocheno introductum uſum hujuſmodi cæremoniæ faciendæ ſub veſperam, ante noctis initium, quæ S. Jo: Chryſoſtomi ævo fiebat nocte; *ſub mediam noctem*. Nocte iſta baptizabatur etiam in Occidente, ſaltem in Africa. Victor Vitenſis l. 2. c. 4. refert, a S. Eugenio Carthaginenſi ſanatum cœcum nocte Epiphaniæ ad benedictionem aquæ baptiſmalis coram populo ſuo, qui ſolemni noctis officio aderat. S. vero Leo baptizare prohibet in tali feſto, baptiſmum reſervans in diem Paſchatis, & Pentecoſtes.

Huic Vigiliæ populus ſcurriles licentias ſubſtituit, quæ procul dubio videntur eſſe Gentilitatis reliquiæ. Cæremonia Regis Fabæ, ut vocant, neque Chriſtianorum gravitati, neque hodiernæ feſtivitati videtur convenire. Eſt illa quædam Ethnicorum imitatio, qui, ut aurcum ætatem ſignificarent, ſubditos, æquabant Regibus, & Regium ſtatum commentitium ſortiebantur; ſed hæc inſolens ſuperſtitio eſt, velle Deum, & S. Virginem hujuſmodi ludis immiſcere, & pauperes etiam in eorum locum ſuffficere. Dicitur autem *Phebe Domine*, loco dicendi *Fabæ Domine*.

CAPUT XXX.

De Feſto Epiphaniæ.

FEſtum hoc erat primitus in Oriente Feſtum Nativitatis J. Chriſti. S. Chryſoſtomus Antiochiæ prædicans fatetur, lapſos decem tantam annos, ex quo in Oriente feſtum Natalis fuerit cognitum, & ex Eccleſia occidentali devectum. S. Hieronymus Epiphaniam vocat diem illum, quo J. C. baptizatus fuerat, ob acceptum teſtimonium manifeſtatæ gloriæ ſuæ. Hinc Epiphaniæ pletumque manifeſtatio interpretatur: alii vocant Theophaniam, quæ vox Dei præſentiam ſignificat, propterea quod Pater præſentiam ſuam in Baptiſmo Filii manifeſtaverat, juxta antiquum Ethnicorum uſum, qui multo ante Chriſtianam Religionem exortam hujuſmodi vocabulo utebantur ad Deorum ſuorum præſentiam ſignificandam, cum præſertim ab iiſdem Diis miraculum aliquod patratum crederent; ut videre eſt apud Plutarchum in lib. de Muſic. In Gallia feſtum hoc vulgo vocant *Reges*: quod illi nomen populi uſus impoſuit, credentis Magos fuiſſe Reges, propter verſiculum *Reges Tharſis*. In Oriente, ubi Feſtum hoc celebrabatur in honorem Baptiſmi J. C. appellabatur *Sancta lumina*, ex quo factum ut Patres ſermones ſuos inſcriberent *In Sancta Lumina*, eo quod Baptiſmus vocaretur illuminatio; *Qui fuerint illuminati*, ut inquit S. Paulus; non vero quod illud eſſet Feſtum Purificationis B. M. V. ut Pamelius, Galeſinus, Greſerus, & alii credidere.

Inficiari nemo poteſt, inter Feſtivitates Eccleſiæ maximam fuiſſe Epiphaniam, præſertim vero poſtquam ei feſtivitas Natalis adjuncta eſt; hinc Am-

mia-

mianus Marcellinus l. 21. refert, Julianum, qui deinde fuit Apostata, cum Christianis die Epiphaniæ in Ecclesiam ingressum, quo die Viennam Allobrogum Parisiis reversus esset: *Festivarum die quam celebrantes mense Januario Epiphaniam diffitans, progressus in Ecclesiam, solemniter numine adorato, discessit.* S. Gregorius Nazianzenus pariter orat. 20. testatur, Valentem Imperatorem hodierno officio interfuisse, ibique mirum in modum commendatile cœtum populi innumerabilem, rectumque ordinem, quo S. Basilius Pontificali munere fungebatur: *Erat autem Epiphaniæ dies, cœtusque amplissimus . . . .* Ille Pater non refert hoc Festum ad adorationem Magorum, verum ad solum Baptismum J. Christi, & ad ejus Nativitatem. Addit S. Epiphanius hæres 5. miraculum in Nuptiis factum, quo aqua in vinum conversa est. S. Augustinus serm. 29. de Tempore, in Ecclesia Latina alios aliter sensisse, quoad ipsius solemnitates objectum; alii enim Magorum adorationem celebrabant, alii Baptismum J. C. aliis in locis primum Christi miraculum colebatur. Idipsum testatur etiam S. Paulinus in suis Carminibus. Tria deinde hæc objecta in unum tantummodo Festum coaluere, unde etiam cel. bris orta est Antiphona *Tribus miraculis ornatum diem colimus.* S. Maximus Taurinensis hom. 6. de Epiph. de tribus hisce Festis agit in unum consutis, neque tamen dici potest, quodnam eorum in sextam Januarii diem inciderit. Sedulius in Hymno *Hostis Herodes*, & S. Isidorus Hispalensis offic. l. 10. c. 6. idipsum advertunt: *Tribus caussis hæc dies Epiphania dicitur, quia Christus in Baptismo . . . . & quod eo die sideris ortus magis est proditus, sive quod primo signo per aquam vinum factum . . . . .* Quidam putavere, ab Ecclesia triplicem hanc gloriam manifestationis J. C. fuisse conjunctam, ut oblivione deleret triplicem Imperatoris Augusti triumphum, quem Romæ sexta die Januarii Ethnici celebrabant, posteaquam per hunc Imperatorem pax toto orbe terrarum conciliata est, clausumque Jani Templum; quapropter nonnulli arbitrati sunt, Romanam Ecclesiam, ut populum a profana illa celebritate revocaret, triplicem triumphum aut manifestationem J. C. in unum consuisse, ut refert Orosius l. 6. c. 18.

Inquit Ordo Romanus, quod tribus miraculis hodierna die celebratis addita erat memoria multiplicationis panum, tamquam altera potentiæ illius manifestatio; & hoc habetur etiam in sermone 27. *de Tempore*, qui S. Augustino antehac adscribebatur; id tamen cum Evangelio non convenit, a quo miraculum hoc Festorum Paschalium tempore describitur, *Ioan. 5. Erat proximum Pascha dies Festus Iudæorum.* Magorum tamen adoratio præcipuus remansit hujus Festi scopus, & finis. In Occidente vocatio Gentilium Sermonibus Latinorum Patrum potissimum præbuit argumentum. Festum hoc est unum ex quinque illis, quæ ab Ecclesia Latina vocantur Sacratissima, *Sacro Sancta*, in Canone Missæ, aut Festa cardinalia, propterea quod circa ea totus Divini Officii ordo versatur: hinc S. Hieronymus in Ezech. c. 1. ait, Festum hoc maxima semper veneratione habitum, non quidem ad honorandam J. Christi Nativitatem, ut nonnulli arbitrabantur, sed ad memoriam celebrandam Baptismi sui: *Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, non, ut quidam putant, natalis in carne; tunc enim absconditus est, & non apparuit; sed Baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli.* Non poterat Epiphaniæ nomine appellari Festum Natalis, quoniam J. Christus in Nativitate celaverat gloriam suam, quæ manifeste apparuit in Baptismo. Affirmat S. Augustinus serm. 32. de Tempore, Donatistas Festum hoc celebrare noluisse, quod scilicet unitati infensi, Orientali Ecclesiæ, ubi Stella apparuit, non communicarent. Hinc colligitur, quod Epiphania in Africana Ecclesia pro adoratione Magorum celebranda instituta fit. Sed ad hujus officium accedamus. Pluribus in locis ad primas Vesperas dicebantur psalmi feriales sub unica Antiphona, *Stella ista*: quod observare licet in Lanfranco. In aliis dicebantur Antiphonæ Nativitatis, *Tecum principium*, quas ad pri-

primas, & ſecundas Veſperas adhuc dicunt Carthuſiani.

Noctis officium omni ævo celeberrimum fuit. S. Cæſarius Arelatenſis c. 15. præcipit vigilare a nona hora veſpertina uſque ad matutinam, ut ſit in Natali. Mediolani ad audiendum Matutinum tantos accurrit populorum cœtus, quantus in Natali; ideoque juxta ritum Ambroſianum hac tantum nocte, & Natalis tres habentur Nocturni, cum ſola ſint magna Feſta in noctes longiores incidentia; & ſinguli Nocturni ſeptem continent pſalmos.

Hoc habet peculiare Noctis officium, quod ſcilicet inchoatur ab Antiphona primi pſalmi, omiſſis Invitatorio, & Hymno; ex quo apparet antiquitas hujus officii, cujus ordo remanet adhuc, ſicut erat diſpoſitus, antequam invehereretur Pſalmus *Venite*, illique præcedentia *Domine labia . . . . Deus in adjutorium . . . .* cum vero hæc introducerentur, Pſalmus *venite*, qui ad tertium Nocturnum locatus occurrebat, ne in eodem officio bis diceretur, ſuo loco relictus eſt, uſuſque retentus Matutinum inchoandi a primo Pſalmo. De Invitatorio, quod omitti ſolebat, loquitur Amalarius l. 4. c. 33.

In pluribus tamen Ordinariis Monaſticis præcipitur Invitatorium, & *Venite*, ut videre eſt in novo Breviario Cluniacenſi apud Carthuſianos; dicitur etiam in Eccleſia Nannetenſi, Rotomagenſi, atque etiam Lugdunenſi, ubi ad ſingulos *Venite* verſiculos repetitur, *Chriſtus apparuit, venite adoremus*; & quatuor Canonici quatuor altaris angulos oſculantur: verum hic ritus recentior eſt, & Romana conſuetudo antiquum morem ſapit.

Romæ antehac ſicut in pluribus Eccleſiis Galliæ ante *Te Deum* legebatur Liber Generationis J. C. ſecundum Lucam, quemadmodum legitur ſecundum Matthæum in Natali. In quibuſdam Eccleſiis, & hoc ſervatur adhuc in Parochia s. Pauli Pariſiis, ſervatus eſt mos ad tertium Nocturnum legendi cum luminibus, incenſo, & ornamentis tria Evangelia, & tres Homilias eadem ſolemnitate, qua in Natali leguntur; Evangelia autem ſunt de adoratione Magorum, de Baptiſmo J. C. & tertium de primo ejus miraculo.

Quoad ea, quæ hodiernum componunt officium, in antiquioribus Ordinibus Romanis reperiuntur Antiphonæ *Ante Luciferum* in primis Veſperis cum Pſalmis de Dominica, quorum quintus eſt *In exitu Iſrael*, etiam in primis Veſperis. Iſtæ Antiphonæ ſunt etiam apud Amalarium de Ord. Antiph. c. 23.

Hymnus *Hoſtis Herodes* Sedulio adſcribitur; in quo tria hujus Feſti objecta comprehenduntur, Adoratio nempe Magorum, *Ibant Magi*; J. C. Baptiſmus, *Lavacra puri gurgitis*; & primum Miraculum, *Novum genus potentiæ*. In Collecta Adoratio Magorum tantum commemoratur. Humnus *Hoſtis Herodes* eſt continuatio Hymni *A Solis ortus*, qui dicitur in Natali. In nonnullis Ordinariis tres ſumuntur ſtrophæ, quæ præcedunt *Enixa eſt puerpera*, iiſque additur *Hoſtis Herodes*.

Ad Matutinum Pſalmi ſunt proprii, ut fieri ſolebat in magnis ſolemnitatibus, cum Antiphonis a pſalmis deſumtis. Primus pſalmus eſt verum Invitatorium, eque ac ejus antiphona *Afferte*; hinc alio Invitatorio non erat opus, neque Pſalmo *Venite*. Secunda Antiphona *Flaminis* relationem habet ad Baptiſmum J. C. & huic tantum Antiphonæ in primo, & ſecundo Nocturno additur *Alleluja*. Amalarius l. 4. c. 33. in capite ad id conſtituto palam exponit, cur Pſalmus *Deus noſter refugium* in ordine non eſſet, & cum ſit numero quadrageſimus quintus, cur poſitus eſſet ad tertium Nocturnum poſt Pſalmum *Venite*, qui eſt 94. verum hodie eſt in primo Nocturno, & juxta ordinem ab Amalario expetitum, retentis ſolummodo duobus *Alleluia* ad Antiphonam, qui ritus proprie ad tertium Nocturnum ſervabatur.

Lectiones primi Nocturni ab Iſaja deſumtæ deſignant Gentilium vocationem ad fidem, progreſſum, gloriam, & exaltationem Eccleſiæ, Evangeliumque per univerſum Mundum fore diffundendum.

Primum Reſponſorium tria hujus Feſti

ſti objecta comprehendit . In ſecundo *In columba ſpecie* advertit Durandus poſt Brunonem Signienſem , quod verbis illis *Hic eſt Filius* . . . . additum fuerat *ipſum audite* , quæ quidem verba cum non in Baptiſmo , ſed in Transfiguratione dicta fuerint , a noſtris Breviariis expuncta ſunt .

Alterum Reſponſorium *Tria ſunt munera* , prædicabilem magis ſententiam continet , quam Reſponſorio congruentem ; eſt enim ſignificatio myſtica munerum , quæ Magi Domino obtulerunt , cui exponendæ antiqui Patres operam impenderunt . Docet S. Irenæus l b. 3. cap. 11. Magos per qualitatem munerum , quæ J. Chriſto obtulerunt , ſignificaſſe , quis eſſet is , quem adorabant ; myrrha ſignificabat eum mori debere , & ſepeliri propter homines ; aurum , Regem eſſe , & regni ejus non fore finem ; & thus eſſe Deum : idipſum aſſerit & S. Ambroſius ; nec al ter ſentire Juvencum Poetam affirmat s. Hieronymus : Reſponſorium tamen s. Gregorii ſententiam ſequitur , qui in auro J. Chriſtum Regem conſiderat ; in thure Sacerdotium , aut Divinitatem ejus , quia nonniſi Deo thus offertur ; & in myrrha , quæ ungendis infervit corporibus , Myſterium Dominicæ ſepulturæ .

In Lectionibus ſecundi Nocturni S. Leo Feſtum Nativitatis a Feſto diſtinguit Epiphaniæ , aitque , brevi intervallo unum ab altero diſtare ; aperteque declarat , præcipuum Epiphaniæ objectum vocationem eſſe Magorum , & in iis , & per eos omnes Populos , & Imperium Romanum , & omnia Regna ad cognitionem Jeſu Chriſti vocata fuiſſe ſignificat .

Ad tertium Nocturnum Antiphona Pſalmi *Venite* poſt quemlibet verſiculum Pſalmi repetitur , quod ad Invitatorium quotidie ſervatum eſt , eratque antiquus uſus cantandi Antiphonas , & eas ad ſingulos Pſalmi verſiculos repetendi , quod dicebatur *Antiphonare* ; quare in Ordinibus Romanis in ſolemnioribus Feſtis reperitur , *Hodie Antiphonamus* : & hoc fiebat potiſſimum ad primum , & ultimum Pſalmum in majoribus officiis , nempe ad Pſalmum *Venite* pro Matutino , ad *Benedictus* pro Laudibus , & ad *Magnificat* pro Veſperis .

In Lectionibus tertii Nocturni innuit S. Gregorius , quod legebatur Evangelium , antequam homilia vel ſermone explicaretur , aitque , ſe tunc , quod mox lectum erat , interpretaturum . In iis ſingularis quidam occurrit exprimendi modus , quod ſcilicet Angelus ſit rationale animal , *Angelus animal rationale* .

Ad Laudes Hymnus *O ſola magnarum urbium* , Prudentii eſt .

In veteri Miſſali Gallicano hujus diei Evangelia ſunt in hunc modum diſpoſita ; in Miſſa nocturna legebatur Evangelium , quo Magorum Adoratio deſcribitur , & in Miſſa diurna tria alia ſimul argumenta jungebantur ; nempe Evangelium de Baptiſmo , *Venit in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur* , Matth. 3. & Generatio ſecundum Lucam cap. 3. *Et ipſe Jeſus erat incipiens* , cum Evangelio Nuptiarum *Ioan. 2. Et die tertia Nuptiæ factæ ſunt* . Epiſtola Veteris Teſtamenti eſt Iſaiæ , *Surge illuminare* , Epiſtola Novi eſt *Apparuit gratia* Tit. 1.

Antiquus mos eſt annuntiandi hodie Feſtum Paſchatis . Caſſianus Collat. 10. c. 2. ait quod elapſa Epiphania , Epiſcopus Alexandrinus ſcribebat Epiſtolam cunctis Eccleſiis , & Monaſteriis Ægypti , qua iis ſignificabat diem , quo Quadrageſima eſſet incipienda , & quo Feſtum Paſchatis celebrandum . Quartum Concilium Aurelianenſe an. 541. præcipit : *Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuntietur Paſcha* ; idipſum mandat Concilium Autiſiodorenſe an. 578. Concilium tertium Bracarenſe an. 578. advertit , quod id fiebat in Natali poſt Evangelium Miſſæ , *Adveniente Natali Domini poſt Evangelium* . Mediolani ab Archidiacono denuntiatur Paſcha poſt Evangelium ; & hoc habetur etiam in Pontificali Clementis VIII. & Urbani VIII. Hiſce autem verbis hujuſmodi denuntiatio incipit : *Noveris charitas veſtra* . . . . Dies vero Natalis aut Epiphaniæ conſulto eligebatur ad denuntiandum , quia major his diebus frequentia Populi officiis intererat .

In

In Sacramentario Gelaſiano habetur, quod hodie & feria ſecunda Paſchatis conſecrabantur Virgines.

Continuator Nangii ad an. 1378. refert, quod olim Magorum exemplo Reges Galliæ ad oblationem venientes Altari aurum, thus, & myrrham offerebant.

Quoniam vero hodierna dies ad honorandum J. Chriſti Baptiſmum conſecrata erat, in pleriſque Eccleſiis baptizabatur, & fiebat Aqua benedicta, ejuſdemque aſperſio, ſicut in Dominica.

CAPVT XXXI.

De diebus infra Octavam Epiphaniæ.

CUm Roma Ethnicorum Metropolis eſſet, quam maxima fieri poterat ſolemnitate celebrandum cenſuit hoc Myſterium, unde Lumen, & cognitionem habuerat Evangelii. Quidquid maximas ſolemnitates comitatur, occurrit in iſta; & præter diei ipſius Feſti celebritatem, poſtquam magnis Feſtis aſſignatæ ſunt octavæ, tali privilegio Epiphaniæ octava cumulata eſt, ut etiam hodie de nullo Sancto infra octavam occurrente Officium fiat, niſi forte fuerit Patronus.

Aliquando etiam tres dies primi poſt Epiphaniam feriati erant. Æque ac ii poſt Paſcha, & hoc adnotatur in antiquis Ritualibus Thomaſii, ubi ſtatio prioris diei fiebat ad S. Petrum ad Vincula, ſtatio ſecundæ ad S. Anaſtaſiam, & tertiæ ad SS. Joannem, & Paulum. Primitus tamen officium diei ſatis eſſe putatum eſt continuare uſque ad Dominicam ſubſequentem, quæ peculiare habebat Officium, ut hodie: ita ut iſta continuatio modo ſeptima, modo octava, & nona die menſis terminaretur.

Antehac, ut refert Canonicus Benedictus, ſingulis octavæ diebus tres tantum dicebantur Pſalmi, & tres Lectiones cum ſuis Antiphonis, & Reſponſoriis, nec dicebantur novem Lectiones, niſi in Dominica infra octavam.

Hodie vero quotidie dicitur idem Officium ſicut in die cum novem lectionibus, quæ diem Feſtum deſignant. Ad primum Nocturnum continuatur Lectio Epiſtolæ ad Romanos, nempe de ſcriptura occurrente.

Ad ſecundum Nocturnum leguntur ſermones diverſorum Patrum, & ad tertium continuatur Homilia s. Gregorii, quæ die ipſo Feſti legi cœpta eſt.

Habentur ſingulis diebus Antiphonæ propriæ ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, ſicut in hebdomada Paſchatis.

Secunda die in Lectionibus ſecundi Nocturni oſtendit s. Auguſtinus Principibus ſæculi, quam terribile futurum ſit J. Chriſti tribunal judicantis, quando vel obſcura infantis cunabula ſuperbos Reges in perſona Herodis terruere; Magos appellat primitias Gentium, aitque, ſtellam tamquam cœlorum linguam nativitatem J. Chriſti nuntiaſſe; Epiphaniam Græcum eſſe vocabulum, quod latine manifeſtatio dici poteſt; J. Chriſtum in cunabulo trahere bonos, terrere malos.

In Homilia s. Gregorius confutat Priſcillianiſtas affirmantes, hominum corpora, & animas ſtellarum fato ſubditas eſſe, & hunc errorem probantes, argumento ſtellæ, quæ in J. Chriſti nativitate apparuit veluti aſtrum, quod ipſius vitam regere deberet; S. autem Pontifex ait, non puerum a ſtella, ſed ſtellam a puero pependiſſe, qui eam venientem ſtare juſſit, ubi erat puer; ideoque tantum abeſt, ut ſtella fuerit fatum pueri, ut potius, ſi dici liceat, puer fuerit fatum ſtellæ, quæ non apparuit, niſi Dei conſilio obtemperatura. Exemplum etiam affert s. Gregorius Jacobi & Eſau, qui gemini fratres uno eodemque momento ab una eademque matre progeniti, adeo tamen fuere inter ſe ingenio & vitæ ratione diſſimiles.

Tertia die ad ſecundum Nocturnum s. Auguſtinus aſſerit, Magos noviſſe Chriſtum Deum, *In membris parvis Deum adoraverunt . . . . erat cum Matre Virgine Deus infans*. S. Gregorius itidem per Magorum munera Divinitatem Chriſti confirmat; aurum quippe Regnum, & thus

Digitized by Google

& thus Divinitatem designat.

Quarta die s. Leo numerum Magorum statuit, tresque fuisse commemorat, *Tribus igitur Magis*, quod tamen scriptura non docuit, nisi forte hic numerus a tribus munerum speciebus deducatur. Observat s. Leo, quod gratia comitabatur sydus, & Magorum cordi loquebatur, dum stella eorum iter moderabatur, *Sequuntur tres viri superni luminis ductum*.

Quinta die in sermone s. Maximi apparet triplex hodiernæ festivitatis objectum, quod Ecclesia Latina intendit celebrare. Vocatio nempe Magorum, J. Christi Baptismus, & primum ejus Miraculum; quæ tria hodie contigisse antiqua traditio declarat: *Sicut relatu paterna traditionis instruimur . . . Feruntur hodie . . . . Et quam velle tria hæc uno actu in die mysteria prædicantur*.

In Homilia s. Hieronymi demonstratur, stellam, quæ apparuit Magis, Balaam vaticinio fuisse prædictam; in Evangelio legendum esse; *Bethleem Judæ*, non *Judææ*, ut legebatur in quibusdam exemplaribus, amanuensium lapsu; Bethleem hanc appellari de Tribu Juda ad distinctionem alterius Bethleem de Tribu Zabulon; Prophetam de Bethleem loquentem Michæam esse, licet ab Evangelista non nominetur. Refert etiam s. Hieronymus Juvenci Poetæ versum, mysticam significationem munerum complectentem, J. Christo a Magis oblatorum, quibus illum Deum, hominem, & regem agnoscunt. Juvencus Hispanus Presbyter & Vates, illustris familiæ, quarto sæculo Historiam Evangelicam heroico carmine scripsit quatuor distinctam Libris, qui exstant in Bibliotheca Patrum.

Sermo s. Fulgentii, qui sexta die legitur, mira sententiarum varietate Festum ipsum exornat. In Homilia s. Ambrosius munerum sacramenta declarans ait, Magos donasse aurum Regi, thus Deo, & myrrham homini moriturο, & post mortem sepeliendo. Nec aliter explicaverat s. Irenæus.

Octava Epiphaniæ non semper eadem, qua hodie, solemnitate celebrata est, si in Ordinibus supra relatis tres tantum Lectiones habebantur singulis diebus infra Octavam. Docet Micrologus c. 4. quod ætate sua dicebantur Psalmi de Feria cum Invitatorio, & una Antiphona de Festo, & Laudes cum reliquo Officio de Festo erant, cum Romæ mos esset numquam prætermittendi Psalmos de Feria, quando fiebat Officium trium Lectionum, excepta hebdomada Paschatis & Pentecostes; qui mos in Festis simplicibus retentus est.

Idem reperitur etiam in plerisque Ordinariis Galliæ; & ante annum 1680. Parisiis fiebant Festa quædam semiduplicia infra hanc Octavam, videlicet s. Guillelmus Bituricensis, & dies Octava s. Genovefæ; quæ duo erant Officia tantum semiduplicia; exinde dies Octava s. Genovefæ habet tantummodo commemorationem, & s. Guillelmus post Octavam Epiphaniæ transfertur.

Tolosæ, Narbonæ, & in aliis quibusdam Ecclesiis habentur Epistolæ & Evangelia propria qualibet die infra Octavam Epiphaniæ, sicut in hebdomada Paschatis & Pentecostes.

Hodiernus Hymnus ad Laudes erat alias Hymnus Natalis, *A Solis ortus*, incipiendo ab *Enixa est puerpera*. A Pio V. in Hymnum Prudentii mutatus est.

Quoad Dominicam infra Octavam Epiphaniæ, Micrologus c. 41. designat ea die Officium ordinarium de Dominicis, cum cantu Epiphaniæ, *Eo die Dominicale Officium, Dominicales quoque Psalmi, cum cantu de Epiphania*; quo significatur, Officium hujus Dominicæ diversimode celebratum fuisse; cum ab initio fuerit officium tantum de Dominica consuetum; deinceps vero quando Epiphaniæ assignata est octava, canebatur officium totum de Dominica, cum cantu de officio Festi, ut fit in Dominicis infra octavam festorum omnium, quæ Domini Nostri Festa non sunt. Facta denique est quædam officii de Festo, & officii de Dominica commixtio.

Evangelium est continuatio eorum, quæ J. Christus gessit post infantiam, quod nempe factus annorum duodecim ascendit Jerosolymam; perinde ac si in Evangeliis distribuendis quidnam aliquem servare voluerint, & ea, quæ ad

Digitized by Google

Christi adolescentiam spectant, referre prius quam de ejus Baptismo mentionem injicere.

De Introitu hodiernæ Missæ, *In excelso throno*, verba facit Amalarius l. 4. c. 33

In Romanis Sacramentariis habetur collecta, quæ hodierno Evangelio congruit: *Deus qui temporalem filii tui pueritiam fecisti mirabilem, quique illum parentibus temporaliter subdi voluisti; Spiritum prudentiæ corda nostra quæsumus illustra, atque humilitatis & pietatis muneribus misceatur nos informa. Per eumdem . . . .*

Quod attinet ad diem octavam Epiphaniæ, huic adnexa est specialis memoria Baptismatis J. Christi, quod præcipuum Officii objectum est. In antiquis capitularibus caroli Magni l. 1. c. 164. nulla exstat octava nisi in Paschate, cujus solemnitas octo dies durabat, *Pascha dies octo*. In Natali trium priorum dierum spatia occupabat Festum s. stephani, s. Joannis, & Innocentium, nec fiebat de Nativitate Christi, nisi octava die: *Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Innocentium, Octava Domini*; verum Epiphania nullum habebat diem feriatum nisi octavum: *Epiphania, octava Epiphaniæ*: qui diu viguit. Concilium Oxoniense an. 1222. præcipit, ut hac die audiatur Missa, & s. Hilarii Festum transferatur in diem crastinum, ne illi præferatur. De octava die post Epiphaniam agit Amalarius l. 4. c. 34. *De Octavis Epiphaniæ*. Baptismi officium institutum fuit in Ecclesia Parisiensi a Guillelmo cartherio, illius Urbis Episcopo, cum Processione ad Fontes ad s. Joannem Rotundum. Romæ quondam hodiernum officium totum erat de Baptismo Christi, nunc autem de eo habetur Evangelium tantum. Iste dies anno 1521. erat tantum semiduplex, postea vero factus est duplex.

Ad secundum Nocturnum sermo s. Gregorii Nazianzeni est in festum Luminum, ideſt in Epiphaniam, in qua Baptismi J. Christi solemnitas celebrabatur; Baptismum appellant Græci Sacramentum luminis, quod in eo Fidei lumen recipiatur. Ex hoc sermone intelligimus, J. Christum baptizari voluisse, ut aquas sanctificaret, quibus facienda erat christianorum regeneratio.

In Homilia in Evangelium s. Augustinus contra Donatistas probat, sacramenta virtutem & efficaciam non recipere a dignitate vel merito Ministri conferentis, sed a J. Christo, qui primus est illorum Minister; & baptismum conferente sive justo, sive peccatore, semper tamen Christum esse, qui baptizat.

Docet Amalarius l. 4. c. 34. ætate sua hujus diei Missam fuisse totam de Christi Baptismo. In cluniacensi & novis Breviariis non solum Missa, sed totum officium de Baptismo est.

CAP. XXXII.

De Dominicis post Epiphaniam.

Numerus Dominicarum post Epiphaniam, quoad initium, pendet a sexta die Januarii, & quoad finem, a die septuagesimæ.

Leguntur Epistolæ s. Pauli post Natalem, quemadmodum leguntur Actus Apostolorum, & Epistolæ catholicæ post Pascha. Ab Actibus incheatur lectio Novi Testamenti, & terminatur per Epistolas s. Pauli, quæ antehac dispositæ erant in Bibliis ultimo loco, & post Apocalypsim; ita ut, cum Scriptura incipiatur in septuagesima, terminari censeatur eo tempore, quod Septuagesimam præcedit; hinc s. Pauli Epistolæ veluti postremum Bibliorum opus censebantur, & tamquam unus & idem Liber, licet quatuordecim Epistolæ distinguantur.

Responsoria hoc tempore occurrentia sunt piæ quædam preces ac sententiæ a Psalmis desumtæ; de quibus Amalarius de ord. Antiph. In Lectionibus secundæ Dominicæ videre est ad secundum Nocturnum, quod sæpe s. Pauli Epistolæ legerentur in Ecclesia; quod per singulas hebdomadas ter aut quater fideles convenirent, præter occurrentia Martyrum festa; & quod fere semper s. Pau-

s. Paulus legeretur : matutino nempe tempore ad Miſſam ; quod reliquum nobis fuit in noſtris Epiſtolis , quæ ſunt fere omnes a s. Paulo deſumtæ . Conqueritur s. Joannes chryſoſtomus de iis , qui hujus Apoſtoli lectionem negligerent , ac ne Epiſtolarum quidem ejus numerum plane ſcirent ; eos tamen excuſat , qui vel familiæ vel aliarum rerum curæ intenti totos ſe dare huic lectioni non poterant .

In Homilia in Evangelium s. Auguſtinus oſtendit, Nuptias auctoritate Chriſti firmatas fuiſſe , tunc cum eas decorare voluit præſentia ſua , illos prævertens , qui deinde matrimonium erant damnaturi , Manichæos ſcilicet , alioſque Hæreticos : probat , Matrimonium divinæ inſtitutionis eſſe , & a Deo formatum conjugale vinculum , *Deus conjunxit* ; ideoque indiſſolubile eſſe , & quod Deus conjunxit , ſeparari non poſſe ab homine . Exponit etiam excellentiam Virginum in Eccleſia , quæ Chriſto Sponſo ſe ſe voverunt , quæque ſingularem honoris & ſanctitatis in Eccleſia obtinent gradum ; & juxta ſententiam hujuſce Patris , Chriſtus aſſiſtens Nuptiis , de Matrimonio conſtituit Sacramentum . Quapropter dixere Theologi , Matrimonium a Chriſto ad Sacramenti dignitatem fuiſſe evectum : *Dominus invitatus venit ad nuptias , ut oſtenderetur Sacramentum nuptiarum* ; & Miraculum a Chriſto peractum in Nuptiis deſignat gratiam nubentibus in Domino promiſſam . Inquit etiam s. Auguſtinus, quod bonum vinum ſervatum ad finem convivii repræſentat Evangelium , quod Chriſtus nobis noviſſimis temporibus nunciatum venit .

Durandus l. 6. cap. 19. ait , Orationem diei , *Pacem tuam noſtris concede temporibus* , a s. Gregorio fuiſſe compoſitam , ut diceretur hodie , propterea quod ætate ſua tali die pax Imperatori reddita fuerat . Alia exſtat Oratio in collectario Romano : *Præſta quæſumus , omnipotens Deus , ut qui ſua mirabili poteſtate aquam vertit in vinum , nos a vetuſtate ſubtractos , in beatæ vitæ tranſferat novitatem . Qui tecum* . . . .

In quibuſdam ordinariis hæc Dominica appellatur *Feſtum Architriclini* , illius nempe , qui Sponſo parabat Nuptias , & inſtrui convivium jubebat .

In tertia Dominica ad ſecundum Nocturnum s. Auguſtinus exponit mentem s. Pauli in ejus Epiſtola ad Galatas , Judæos ſcilicet humiliandi , qui Evangelii gratiam ſe meruiſſe dictitabant ; falſos etiam Doctores arguit, qui nihil eis prodeſſe Evangelium prædicabant , niſi circumciderentur , & ritum Judaicum obſervarent ; oſtenditque eis s. Pater , Chriſtianos non eſſe amplius Judaicæ legi ſubjectos . Hæc Epiſtola ſcripta eſt ad Galatas , hoc eſt ad Eccleſias Galatiæ , quæ Minoris Aſiæ Provincia eſt .

In Homilia in Evangelium docet s. Hieronymus , Leproſum , de quo in eo ſermo fit , primum a Chriſto ſpecialiter fuiſſe curatum ; aitque , Latinas quaſdam editiones jungere & legere , *volo mundare* , ſed perperam ; inquit enim ſeparatim legendum , ita ut Chriſtus dicat non quidem *volo mundare* , ſed prius dicat , *Volo* , deinde imperet , *Mundare* .

In Lectionibus quartæ Dominicæ nihil videtur notatu dignum .

In Lectionibus quintæ Dominicæ ad ſecundum Nocturnum S. Auguſtinus exponit , Chriſtum humanam ſumſiſſe carnem , ut homines ſalvaret ; quod nos abſque illo periiſſemus : quod homo , cum libero arbitrio ſuo improbe utens ad interitum ſe redegiſſet, per Jeſu Chriſti gratiam ſervatus eſt : ait, Jeſu Chriſti animam ejuſdem fuiſſe naturæ , cujus eſt noſtra, *non alterius naturæ animæ noſtræ , & anima Chriſti* . Ad tertium Nocturnum S. Auguſtinus ait , Hæreticos eſſe extra Eccleſiam , & nomine tantum vocari chriſtianos .

Ad ſextam Dominicam quod attinet , nullum de ea antehac habebatur officium , quia raro accidit , ut ſex occurrant Dominicæ , ab Epiphania uſque ad Septuageſimam ; & ſi quando accidiſſet , in ſexta Dominica officium quintæ repetebatur . Pius autem V. interſeri juſſit Officium pro ſexta Dominica, cum Evangelio proprio .

Ad ſecundum Nocturnum legitur ſermo s. Athanaſii contra Arianos , in quo

probat J. Chriſti Divinitatem per Epiſtolam ad Hebræos, quæ in primo Nocturno lecta eſt. Liquet autem fuiſſe proſpectum, ut ad ſecundum Nocturnum legerentur Sermones Patrum, qui ad Lectiones primi Nocturni relationem haberent; ſicuti in tertio Nocturno Homilia, quæ lectum Evangelium explicaret.

Antehac officia Dominicarum poſt Epiphaniam terminabantur in Dominica tertia, deinde in quinta, & repetebatur officium de Dominica præcedenti, ut videre eſt in Introitu Miſſarum.

CAP. XXXIII.

De Dominica Septuageſimæ.

SEptuageſima nomen eſt, quo vocatur Dominica tertia, quæ præcedit Quadrageſimam, hoc eſt primam Dominicam Quadrageſimæ; quoniam vero ab Eccleſia iſta Dominica ſemper appellata fuit *Quadrageſima*, ideſt quadraginta dierum ſpatium, ita juxta eamdem dicendi formulam, retrogrado curſu appellata eſt *Quinquageſima* prima iſtarum trium Dominicarum, ſecunda *Sexageſima*, & tertia *Septuageſima*. Hæ tres hebdomadæ ad pœnitentiam ſunt deſtinatæ, & juxta diverſum Eccleſiarum ritum ordinantur ad Quadrageſimale jejunium. Qui Sabbato non jejunabant, ut fit in oriente, anticipabant Quadrageſimam una hebdomada, quæ *Sexageſima* nominabatur; qui neque feria quinta, neque Sabbato jejunabant, anticipabant eam duabus hebdomadis, quas appellabant *Septuageſimam*; qui denique neque feria quinta majoris hebdomadæ, neque Sabbato Sancto jejunabant, duos hoſce dies aliis quatuor adjungebant diebus, ut quadragenarium complerent numerum, tamemque hebdomadam appellabant *Quinquageſimam*. Cum vero peculiari privatarum perſonarum zelo fieret, ut diutius quam reliqui Fideles jejunare cupientes, hoc modo tempus præcurrerent Quadrageſimæ, primum Concilium Aurelianenſe an. 511. can. 24. Quinquageſimam vetuit, hoc eſt jejunare una hebdomada ante Quadrageſimam: *Ut ante Paſcha ſolemnitatem, non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur*: ut ſcilicet uniformis ritus ſervaretur. Quartum Concilium Aurelianenſe can. 2. tamquam novum quiddam, & inſuetum conſideratus, Quadrageſimam anticipare duabus hebdomadis, ut ſupplerentur ſex Dominicæ, in quibus jejunare non licet, & ſex Sabbata, quibus jejunare nolebant, ad exemplum Orientalium, jejunari juſſit Sabbatis Quadrageſimæ, & Quinquageſimam, & Sexageſimam vetuit: *Ut Quadrageſima ab omnibus æqualiter teneatur, neque Quinquageſimam, aut Sexageſimam ante Paſcha quiſquis Sacerdos audeat indicere, ſed neque per Sabbata quiſque ſolvat Quadrageſimæ jejunium*. Hujuſmodi Conſtitutiones Populis tantum inſerviebant; nam Monachi ſæpe Quadrageſimam anticipabant, cum maximam anni partem jejunare tenerentur. Magiſtri Regula jejunare præcipit qualibet feria quarta, & ſexta, & Sabbato poſt Sexageſimam, ut iſti ſex dies ſupplerent ſex Dominicas Quadrageſimæ: *A Sexageſima ad Quadrageſimam quarta, & ſexta, & Sabbato, poſt Incœnatum ſemper reficiant, & quod Dominicæ Quadrageſimæ de quadraginta diebus ſubtrahunt, reſtituant*. Non comedebatur niſi in ſero poſt Veſperas, ſicut in Quadrageſima; ex quo dignoſcitur, Quinquageſimæ, aut Sexageſimæ nomen non ſignificare quinquaginta, aut ſexaginta dies ante Paſcha; ſed ſolummodo unam, vel duas, vel tres hebdomadas ante Quadrageſimam.

Iſte uſus incepit in oriente. Caſſianus Collat. 21. c. 24. Regulares memorat, qui ſex hebdomadis jejunabant, quia jejunabant Sabbatis; & alios, qui ſeptem jejunabant hebdomadis, ut ſupplerent Sabbata, in quibus non jejunabant: *Diverſo more ſex, vel ſeptem hebdomadibus Quadrageſimam celebratis . . . hi ſex . . . qui putant die quoque Sabbati jejunandum*. Septima iſta hebdomada erat, quam nos Quinquageſimam appellamus. Græci igitur primi a Septuageſima quadrageſimæ exordium duxere, quia

Digitized by Google

quia non jejunabant feria quinta, neque Sabbato, neque Dominica, ideoque ut tres hoſce dies reſtituerent, anticipabant Quadrageſimam tribus hebdomadis, ut refert Ratramnus in Libro 4. contra Græcos c. 4. *Tribus enim ablatis de ſeptem, Dominica videlicet, Sabbato, & quinta Sabbati, ſuperſunt quatuor dies per ſingulas hebdomadas ieiunati.*

Ad imitationem facile Græcorum invecta eſt Romæ Septuageſima, ſaltem in officio, & tribus hebdomadis anticipata eſt Quadrageſima, ſublatis quibuſque lætitiæ ſignis in officio publico, eo tempore, quod in oriente jejunio Quadrageſimali conſecratum erat, ne ſcilicet Romani Græcis laxiores viderentur; qui ritus cum Roma in Galliam tranſiſſet Caroli Magni ævo, non attentum eſt, quod Concilia Aurelianenſia decrevere, ſed tantum quæſitum eſt, qua poſſet auctoritate uſus iſte firmari. Extat Epiſtola Alcuini ad Carolum Magnum ſcripta, qua Princeps ille conſulitur de Quinquageſimæ, & Sexageſimæ origine; & quia falſæ Decretales pervagari cœperant, Teleſphoro Papæ attribuebatur decretum de Quinquageſima, ut Sabbati jejunia ſupplerentur, & Papæ Melchiadi decretum de Sabbatis non jejunandis, dicebaturque alter inſtituiſſe Quinquageſimam, alter Sexageſimam; ita porro Carolus Magnus Alcuino reſpondit. Teleſphorus Papa numquam tale edidit decretum; ſed cum hujuſmodi uſus ſeptimo, vel octavo ſæculo invaluiſſet, qui falſarum Decretalium compilationem fecerat, voluit eam antiquitatis auctoritate roborare; quæ ſuppoſititia decreta cum in Gallium ſub Carolo Magno invecta fuiſſent, nil mirum, ſi Princeps ille deceptus fuerit. Ratramnus vero horum decretorum falſitatem, cum ea ſilentio præterierit, videtur non ignoraſſe. Ex anticipatione igitur jejuniorum Quadrageſimalium tres iſtæ hebdomadæ ſunt introductæ.

Duo Septuageſimæ termini ſunt; dies 18. Januarii feſtus Cathedræ S. Petri Romæ, quando Paſcha incidit in diem 22. aut 23. Martii, & dies 22. Februarii, quo colitur Cathedra S. Petri Antiochiæ, quando Paſcha retrocedit, & tardius occurrit videlicet 25. Aprilis.

Cum vero poſt ſtatuta jejunia quorumdam dierum infra duas, vel tres hebdomadas, quæ præcedunt Quadrageſimam, jejunia iſta ad quadragenarium numerum referrentur, ſub ritu Quadrageſimæ celebrata ſunt, atque in Septuageſima *Alleluia, Gloria in excelſis*, & alia lætitiæ Cantica fuere dimiſſa, quod Romæ fieri cœptum eſt: & Breviarium Romanum in Lectionibus S. Gregorii Papæ ex ejus inſtituto id factum fuiſſe tradit; cujus tamen conſuetudinis ante 12. ſæculum nullum extat argumentum, niſi in Concilio Aquiſgranenſi an. 816. can. 30. *Ut Alleluia in Septuageſima dimittatur*. Vide Amalarium, & Micrologum; nulla harum trium Dominicarum eſt in Miſſali Gothico. In Miſſali Mozarabico Dominica ante Quadrageſimam appellatur *Dominica ad carnes pellendas*; in Regula S. Benedicti nulla fit mentio; ibi dicitur *Alleluia* uſque ad Quadrageſimam.

Aliquando Romæ dimittebatur *Alleluia* in ultima Antiphona Veſperarum Sabbati, quia Officium Dominicæ non incipit niſi a Capitulo. In Ordine Romano Canonici Benedicti non dicitur amplius *Alleluja* in Veſperis Sabbati poſt *Deus in adiutorium*, cujus loco dicitur *Laus tibi Domine*; quinque Pſalmi Veſperarum ſunt ſub una tantum Antiphona, *Vocem operarios*. Nunc non dimittitur *Alleluja* niſi ad *Benedicamus* Veſperarum, ubi bis repetitur. In aliis Eccleſiis non dimittebatur, niſi ad Completorium; In Eccleſia Autiſiodorenſi dicitur *Alleluia* in Dominica Septuageſimæ, nec omittitur niſi in Feriis. Alexander II. ſtatuit, ut ubique omitteretur *Alleluia* in Septuageſima, & ejus loco diceretur *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*; hoc eſt ut diceretur latine, quod olim dicebatur Hebraice: vixit iſte Pontifex ſub finem undecimi ſæculi ad an. 1073. neque ejus rei rationem præterit; quia nempe Eccleſia tunc incipit pœnitentiæ, & luctus myſteria celebrare. S. Carolus in tertio Concilio

lio Mediolanenſi præcipit Epiſcopis, ut admoneant Fideles in Septuageſima, quod Eccleſia hoc tempore officia, & ornamenta ſacra immutans eos ad pœnitentiam, & ad meditandos Chriſti dolores, & ſpectacula publicoſque ludos fugiendos invitat.

Dominica Septuageſimæ, non ſecus ac Dominicæ primæ, & ſecundæ claſſis, habet Antiphonas, & Reſponſoria propria; quod ſervatur uſque ad Paſcha, & in Adventu. Capitulum Veſperarum Sabbati ſumitur ab Epiſtola Miſſæ Dominicæ; Antiphona ad *Magnificat* a Libro Geneſis, cujus lectio nocte ſequenti inchoatur.

Pariſiis, & in pluribus aliis Eccleſiis, prima Lectio eſt Præfatio S. Hieronymi in Pentatheucum.

Eccleſia incipit in Septuageſima legere Geneſim, ut nobis ob oculos ponat hominis lapſum in perſona Adæ, ejus exilium e Paradiſo, ubi illum Deus collocarat, pœnitentiam illi impoſitam ad expiandam culpam, & promiſſionem Mediatoris, & Reparatoris ejus peccati. In ſtatutis Lanfranchi c. 1. art. 5. jubetur, ut quinque Libri Moyſis, Joſue, Liber Judicum, & Ruth legantur a Septuageſima uſque ad Paſcha, qui octo Libri Octoteuchus appellantur, *Quinque Libri Moyſis, Joſue, Judicum, & Ruth, a Septuageſima, ſeu Octoteuchus.*

Micrologus Reſponſoria a Geneſi ſumta Alexandro Papæ II. attribuit. Canon *Hii duo de Conſecrat. Diſt.* 1. adſcribit Leoni IX. ſuppreſſum *Alleluia*, quando legitur lapſus hominis.

Ad ſecundum Nocturnum S. Auguſtinus ſupplicium explicat peccati Adæ, & peccati præſertim originalis, quod omnes homines contraxere, & quomodo maluerit Deus peccatum Adæ permittere, ut homini gratiam, & gloriam per Incarnationem Filii ſui procuraret, quam lapſum hominis impedire, rectius judicans de malo bonum efficere, quam mali cauſam removere: *Melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere.*

In Homilia tertii Nocturni oſtendit S Gregorius, quod Jeſu Chriſti Eccleſia omnes Juſtos Veteris Teſtamenti comprehendit, qui a Mundi initio fuere, quorum primus fuit Abel, quoniam juſti eſſe non potuere, niſi per gratiam, quam erat illis Chriſtus promeriturus; ideoque ad Chriſti ſpectant Eccleſiam, quæ Patriarchas, & Prophetas complectitur, poſt quos a Chriſto Gentiles ad ultimam diei horam vocati ſunt.

In Ordine Romano Canonici Benedicti ſex primæ Lectiones hujus diei ſunt de Libro Geneſis, ſeptima, & octava ſunt expoſitio Epiſtolæ, & nona eſt Homilia in Evangelium.

Non dicitur amplius *Te Deum*, quia tempus triſtitiæ eſt, quo ſolemnitatis, & lætitiæ Cantica ſupprimuntur. Juxta Ordinem Romanum Canonici Benedicti neque Reſponſorium *Duo Seraphim* dicitur, neque *Gloria in excelſis* ad Miſſam. In Eccleſia Turonenſi S. Martini ſervatus eſt uſus dicendi *Te Deum* uſque ad Dominicam Paſſionis, ad exemplum Monachorum S. Benedicti, a quibus dicitur per totum annum, ſicuti a Cluniacenſibus.

Ad Laudes non dicuntur amplius Pſalmi Reſurrectionis, & gloriæ *Dominus regnavit . . . .* & *Jubilate*: ſed eorum loco dicuntur *Miſerere*, & *Confitemini*: quod ab ævo Amalarii repetitur.

Antiphonæ Laudum a Pſalmis deſumtæ ſunt; Antiphonæ minorum horarum ab Evangelio, & omnia Capitula ab Epiſtola; namque ut diutius occuparemur in lectionibus, quæ in Miſſa fiunt ad Epiſtolam, & Evangelium, ex in officio diurno ſpargebantur, ſumtis ab Epiſtola Capitulis, & Antiphonis Horarum brevium ab Evangelio, quemadmodum fit per totum annum ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*.

In quibuſdam vetuſtis Ordinibus Romanis Antiphonæ Laudum ſumuntur ab Evangelio, & Antiphonæ Veſperarum ab ipſis Pſalmis. In nonnullis Ordinariis quinque Antiphonæ ab Evangelio deſumtę, quæ cantantur ad quinque horas diurnas, cantabantur etiam ad quinque Pſalmos Veſperarum.

Per Hebdomadam ſingulis diebus habebantur Antiphonæ propriæ ad *Benedictus*,

Digitized by Google

Hus, & ad *Magnificat* desumtæ ab Evangelio Dominicæ; hodie habentur tantum ad *Magnificat*, tribus primis Hebdomadæ diebus. Hinc Ecclesia sub cantu ponit in Responsoriis, & Antiphonis lectionem Evangelii, ut memoriæ nostræ melius imprimatur per repetitionem, quæ legendo, & cantando fit.

Apud Amalarium l. 1. c. 1. reperitur Missa, ut apud nos est, cum Introitu *Circumdederunt*; quod non dicitur amplius *Gloria in excelsis*, neque *Alleluia*; quod ejus loco dicitur Tractus, *Tractus pro Alleluia a trahendo dicitur*; iste Tractus est inter Epistolam, & Evangelium, loco *Alleluia*; estque Psalmus, qui canitur totus sine ulla interruptione, & repetitione. Tractus, *Tractum dicere*, in hoc differt a cantu cum *Alleluia*; ideoque Cantores canunt soli Tractum, neque Chorus interrumpit, aut concinit. Inquit etiam Amalarius, quod omittebatur hodie *Gloria in excelsis*; itaque fallitur Micrologus c. 2. cum ait, Gregorium VII. prohibuisse, ne a Septuagesima usque ad Pascha diceretur; id enim erat in usu ante illum Pontificem. sicuti etiam *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, pro *Alleluia*, cum de hoc verba faciat Amalarius, qui refert etiam hujus diei Collectam: *Præsta... ut qui iuste pro peccatis affligimur*, & Epistolam *Omnis qui in agone contendit*. S. Benedictus jubet omitti *Alleluia* in Quadragesima tantum; de Septuagesima ejus ætate nulla mentio.

CAP. XXXIV.

Dominica Sexagesimæ.

SEquitur idem ordo pro Antiphonis, Capitulis, & Responsoriis, qui in Dominica Septuagesimæ, idque usque ad Pascha producitur.

Ad primum Nocturnum legitur Historia secundæ Ætatis Mundi, quæ spectat ad Noe, & tempus Diluvii; estque Historia Reparationis humani generis post Diluvium; reparationis naturæ nostræ per peccatum lapsæ figura. Radulphus Tungrensis Propos. 16. ait, quod Gregorius VII. jussit, ut Responsoria dicerentur, quæ eamdem exprimerent Historiam, cum antea Responsoria Septuagesimæ repeterentur; & quod pariter jussit, ut in Quadragesima Responsoria de Abrahami Historia dicerentur.

Collecta est S. Pauli commemoratio, quia scilicet Missa hujus diei statio erat in Ecclesia S. Pauli, ubi Missa dicebatur, & Collecta, quæ ibi dicebatur, repetita est, sicuti aliæ collectæ, ad omnes Horas Officii, postquam collectæ insertæ sunt. Propter autem hunc Apostolum, cui honor in Ecclesia propria præstabatur, pro Epistola leguntur ejus labores, curæ, sollicitudines, & quæcumque perpessus est, tamquam summa vitæ suæ; & hoc Officium etiam ab Urbe Roma ad omnes alias translatum est Ecclesias, quæ Romanum Officium exceperunt, excepta Cluniacensi, in cujus novo Breviario, cum iste dies nullam cum S. Paulo relationem extra Romam habere videretur, reformata est collecta, & loco *Defensor Gentium* dictum est *Gratiæ tuæ protectione*; correcta est etiam Communio hujus diei, ubi habetur adhuc *Introibo ad Altare Dei*, quæ verba principio potius Missæ videntur esse dicta, quam termino.

Ad secundum Nocturnum docet S. Ambrosius, Deum nulla passione moveri; pœnitere enim, irasci, & motus alii, quos Deo Scriptura tribuit, non possunt intelligi nisi per effectus, quos prodit, licet nulla passione moveatur. Hominem autem definit, *Animal vivum, mortale, rationale*.

Quoad Evangelium hujus diei, advertit S. Hieronymus, hanc primam esse parabolam, quam Christus ipse sumserit interpretandam, neque illi interpretationum aliam tribuendam esse. Homilia vero S. Gregorii pervenusta est inter ceteras.

Postremum Responsorium ab Evangelio petitum Dominica tantum dicitur: historicum pro feria quarta substituitur. En vero quo pacto in Dominica Evangelium per Responsoria, & Antiphonas disseminatur, ut ad singulas Officii ho-

ras

ras in Fidelium mentes revocetur.

Amalarius lib. 1. c. 2. Miſſam refert eo modo, quo nos illam dicimus; nempe Introitum *Exſurge*, Epiſtolam *Libenter ſuffertis*, Tractum *Commoviſti*, Evangelium Seminatoris. Diſputatur a Rubricariis, utrum ad Miſſam in ſecunda oratione *A cunctis S.* Paulus nominandus ſit, cum nominetur in collecta ſub nomine Doctoris Gentium, propterea quod bis de eodem fieri non debeat in eodem Officio. Verum diſputatio hæc locum non habet in Eccleſiis, veluti in Pariſienſi, ubi antiquus uſus retentus eſt unam tantùm dicendi orationem in Miſſa Dominicæ. At nulla extat Rubrica, qua S. Paulus excludendus ſit ab illa oratione, cum per hebdomadam dicitur.

CAP. XXXV.

De Dominica Quinquageſimæ, vel Septima hebdomada ante Paſcha.

PEtrus Bleſenſis ſerm. 13. Quinquageſimam adſcribit Teleſphoro Papæ, ſicut etiam Quadrageſimam: quæ quidem falſa opinio a falſis Decretalibus perita eſt. Quinquageſimæ nomen plus quam quadringentis annis poſt Teleſphorum invectum eſt, & plus quam centum poſt S. Ambroſium; quod ſufficit, ut convincatur falſitas Sermonis 19. ſub ejus nomine, qui de Quinquageſima inſcribitur. Legitur hoc nomen in primo Concilio Aurelianenſi an. 511. a quo Quinquageſima interdicitur, & jejunium Quadrageſimale ſex tantum hebdomadarum ſpatio ante Paſcha concluditur.

Legitur hac die Abrahami Hiſtoria, quæ eſt Populi Judaici vocatio ad cognitionem, & cultum veri Dei, qui gentem univerſam voluit ab Abrahamo, tamquam a Capite deſcendere. Hic eſt primus Meſſiæ Parens; huic Deus promiſit, a ſuis deſcendentibus Meſſiam naſciturum. Lectiones ſecundi Nocturni, & Reſponſoria omnia circa hujus Patriarchæ verſantur Hiſtoriam. Nonum Reſponſorium eſt de Evangelio, ſicut in Dominica præcedenti.

Hodiernæ Miſſæ apud Amalarium l. 1. c. 3. Introitus eſt: *Eſto mihi*, Epiſtola: *Silinguis*, reliqua ut in die.

Vetuſtiſſima eſt apud Clerum abſtinentiæ inchoatio in Quinquageſima. Apparet in vita S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi circa decimum ſæculum, quod Clerici carnes manducare deſinerent a Dominica ante Quadrageſimam: *Mos eſt Clericorum Dominica ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad Paſcha devitare.* Petrus Bleſenſis ſerm. 13. de Quadrageſ. ait, quod ætate ſua Monachi inchoabant jejunium a Septuageſima, Græci a Sexageſima, & Clerici a Quinquageſima. Concilium Claromontanum an. 1095. ſub Urbano II. ita ſtatuit: *Nemo Clericorum a Quinquageſimo carnes comedat.* Synodus Andegavenſis an. 1270. minatur Suſpenſionem Presbyteris, qui jejunium Quadrageſimale non inciperent feria ſecunda Quinquageſimæ. Concilium Salisburgenſe an. 1281. ad id Religioſos omnes adſtringit.

In pleriſque Eccleſiis fiunt hiſce diebus extraordinariæ preces ad revocandos eorum animos, quos malus uſus & malorum exempla poſſent impellere ad abominationes illas, quæ fiebant Kalendis Januarii, alioſque Gentilitatis errores, qui ab intervallo Natalis ad Epiphaniam tranfiere ad tempora Bacchanalium. Primus omnium S. Carolus inſtituit Mediolani quadraginta horarum preces per hoſce tres dies: qui precandi modus ab Italia in Galliam a Jeſuitis invectus per totum ferme Regnum receptus eſt. Revera de his profanationibus, & diſſolutionibus dici poteſt, quod S. Iſidorus Hiſpalenſis l. 2. de offic. c. 40. de ſuis temporibus prædicabat, quando Kalendis Januarii committebantur. SS. Patres, cum pleroſque hominum impuris, ſacrilegiſque ſolatiis occupatos viderent, publicas decrevere ſupplicationes, & univerſale jejunium, ut ſcilicet illi intelligerent, quam gravia eſſent hæc ſcelera, pro quibus

Digitized by Google

bus expiandis Ecclesias omnes orare ac jejunare necesse fuerit.

Secundum Responsorium Matutini, *Tres vidit, & unum adoravit*, est S. Augustini; Scriptura ait solummodo, quod cum Abraham sublevasset oculos, apparuerunt ei tres homines, statimque cucurrit ante eos, & prostravit se in terram. Ait S. Paulus Hebr. 13. illos fuisse Angelos; S. Augustinus asserit, quod Abraham primo aspectu homines eos esse credidit, mox vero Deum ipsum in iis respiciens, Trinitatem adoravit in unitate divinæ essentiæ, *Tres vidit, & unum adoravit*. Est igitur explicatio a S. Augustino textui tradita, non textus ipse.

Reliqua Responsoria sunt de Historia Genesis, excepto ultimo, quod est de Evangelio, in quo postremum narratur miraculum a J. Christo vivente factum, ante prædictionem Passionis suæ, quæ paucis post diebus eventura erat. A tribus Evangelistis hoc miraculum refertur, a S. Matthæo *cap.* 20. 17. a S. Marco *cap.* 10. 32. & a S. Luca *cap.* 18. 23. Elegit fortasse Ecclesia Evangelium hoc, quo Christi Passio prædicitur, ut scilicet filiorum suorum animos ad tristitiam commoveret, terrorem incuteret regnantium eo tempore delictorum, a spectaculis, stultitiis, excessibus & impietatibus his diebus satis vigentibus averteret & ad pœnitentiam disponeret Quadragesimæ.

Hæ quadraginta horarum preces inductæ sunt ad celebrandum quadraginta dierum jejunium J. Christi, vel quadraginta horas inter ejus mortem seu condemnationem mortis, & ejus Resurrectionem.

Parisiis institutæ sunt hac die Processiones generales ad impetrandam veniam vescendi lacticiniis in Quadragesima: easque Stephanus Poncherius sæculo decimo sexto præscripsit.

In quibusdam Ecclesiis Parisiensibus feria tertia Quadragesimæ sit Officium de S. Veronica, hoc est de sancta facie J. Christi; *Veronica* enim per transpositionem *Vera Icon*, seu *Vera Iconica*, est vera Imago seu Repræsentatio J. Christi. Hujusmodi Imagines erant expressæ in tela lineaque illæ potissimum sic appellatæ sunt, quæ Salvatoris *Faciem* repræsentabant sanguine conspersam, sudore ac pulvere coopertam, qualis erat, cum ad Montem Calvariæ ascendit, ut crucifigeretur, super strophiolum depictam, vel sudarium; quod *Sanctum Sudarium* nuncupabatur. Cernebatur Romæ una ex his Imaginibus in Ecclesia S. Petri a duodecimo usque sæculo, ut testatur Mabillonius in suis Ordinibus Romanis. A Pictoribus istæ Imagines exprimebantur detentæ aliquando ab Angelo, plerumque a femina, & deinceps Veronicæ nomen impositum est feminæ Imaginem gestanti: unde Historiam commenti sunt, qua memoriæ proditum est, religiosam quamdam Jerosolymæ feminam, cum J. Christum prætereuntem videret, capitis velum detractum ei porrexisse, ut faciem sudore & sanguine manantem detergeret; quod quidem cum a nullo Evangelistarum referatur, ad rejiciendam Historiam sufficit, & commentum de ista femina improbandum. Sola igitur Christi facies in ista Imagine proponitur adoranda; quem quidem cultum qui huic diei affixere, eo procul dubio respexerunt, ut venerationem erga sanctam Jesu Christi faciem obiicerent eorum excessibus, qui personas induunt hac die, ut liberius & inverecundius ad turpes voluptatum illecebras accedant. Habetur in Missali Parisiensi, non Officium, sed Missa Votiva, cui titulus *de S. Veronica D. N. seu de S. Facie J. Christi patientis*, pro feria tertia Quinquagesimæ. Satius fortasse consultum fuisset novum hunc & arbitrarium cultum silentio præterire, & hujusmodi devotos ad Officium de Dominica Passionis remittere, neque eorum animos ab Evangelio de Dominica dolorum Christi revocare. Jussit propterea S. Carolus, e Missali Ecclesiæ suæ Missam de S. Veronica, quæ dicebatur, deleri, tamquam a Presbyteris privatis insertam, qui nihil haberent auctoritatis; neque permitti deberet Parisiis, ut Lintearii habeant adhuc pro Patrona istam commentitiam feminam, eique Officium celebrent, cujus statum non bene norunt; modo enim Virginem

faciunt, modo non Virginem, modo Martyrem: & quamvis illi poſtea Feſtum de Chriſti facie ſubſtituerint, hoc tamen nonniſi ad confirmandam valet populorum ignorantiam, qui hujuſmodi hiſtoriæ commento ſunt inſtructi; idcirco factus eſſet feſtum hoc ſupprimere.

Officium ſolemne, & expoſitio SS. Sacramenti, quæ ſit tribus hiſce diebus, ſucceſſere trium dierum jejuniis, quæ fiebant olim tribus primis diebus Januarii, adverſus illam Bacchanalium corruptelam, quæ ad dies Quadrageſimam præcedentes translata eſt; & loco Officii de jejunio, & lugubris, ſit Officium ſolemne, ratione SS. Sacramenti quod exponitur.

CAPVT XXXVI.

De Feria quarta Cinerum, & de quatuor diebus ante Quadrageſimam; Quando incœperint jejunari.

JAmdiu viguit uſus non inchoandi Quadrageſimam, niſi feria ſecunda poſt primam Dominicam, ſed cum pleriſque ineſſet ſcrupulus non jejunandi niſi triginta ſex dies, non vero quadraginta, præbuere anſam quatuor alios dies adjungendi. Qui tamen non erant præſcripti in Hiſpania tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, neq; tempore quarti concilii Toletani, neque Romæ tempore S. Gregorii, a quo hom. 16. in Evang. expreſſe dicitur, quod non jejunabatur niſi triginta ſex dierum ſpatio, propterea quod e quadraginta duorum numero ſex Dominicæ ſubtrahendæ erant: *A præſenti die usque ad Paſcha ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo ſunt, ex quibus dum ſex dies Domini abſtinentia ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quam triginta ſex remanent . . . . Et ſic quaſi anni decimas Deo damus.* Unde credibile eſt, Sacramentarium, quod hujus Papæ nomine inſcribitur, non habuiſſe ejus ævo Miſſam de Feria quarta Cinerum, *cui titulus, Feria quarta in capite jejunii.* Ita tres aliæ feriæ titulo carent Quadrageſimæ, *Feria 5. Feria 6. Sabbato infra Quinquageſimam.* Hinc Micrologus hallucinatus eſt cum c. 46. dixit, ante S. Gregorium additos fuiſſe quatuor dies, qui Quadrageſimam præcedunt. Æneas, Epiſcopus Pariſienſis, in ſuo Libro contra Græcos quæſt. 3. affirmat, S. Gregorium triginta ſex tantum dies, ſive ſex hebdomadas computaſſe; & ex Regula Magiſtri c. 28. liquet, quatuor hoſce dies ſeptimo ſæculo nondum fuiſſe adjectos. Nicolaus I. in Epiſtola ad Bulgaros his non præſcribit, niſi anni decimas pro jejunio Quadrageſimæ: *Deo carnis noſtræ decimas damus.* Idiplum teſtatur Theodulphus Aurelianenſis c. 37. qui circa an. 800. ſcribebat: *Quaſi ipſi dies decimæ ſunt anni noſtri.* Mediolani uſque ad tempora S. Caroli non incipiebatur abſtinentia & jejunium niſi feria ſecunda poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, quæ dies erat lætitiæ; & liquido apparet in ejus vita, ejuſque conciliis, quantopere ſudaverit in ſupprimendis Bacchanalium ſolatiis, quæ ætate ſua nondum deſierant in Dominica, iiſque abſtinentiam curavit ſubſtituere, non immutatis tamen quatuor diebus Dominicam præcedentibus.

In Gallia forſitan cœptum eſt his quatuor diebus jejunari; occurrunt in Regula Chrodogandi, Epiſcopi Metenſis circa octavi ſæculi dimidium; in concilio Meldenſi anni 845. ubi legitur: *Poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur*: in Sueſſionenſi anni 853. *A quarta feria ante initium Quadrageſimæ.* Reperiuntur in cunctis Ordinibus Romanis & Sacramentorum Libris ad nonum ſæculum vergentibus: in Egberti Pœnitentiali ejuſdem temporis: non exſtant tamen in capitularibus Caroli Magni; ideoque nonniſi circa nonum ſæculum adjecti ſunt a Latinis: qui diſputantes cum Græcis, a quibus non completum quadraginta dierum jejunium Latinis exprobrabatur, quatuor dierum numero Quadrageſimam anticiparunt. Ratramnus in diſputatione contra Græcos l. 4. c. 4. omnem ſuſtulit dubita-

bitationem, declarans, quod Græci nihil amplius haberent, quod exprobrarent Latinis circa Quadrageſimam, propterea quod adjungendo quatuor dies ad ſex hebdomadas, nos jejunamus, inquit, in ſex hebdomadis quantum Græci in octo : *Hæc de cauſſa Græci non habent quod Romanis objiciant ſuper ſeptimanarum diſparitate ; nam quod illi in octo .... hoc tam Romana quam Occidentales Eccleſiæ ſex hebdomadibus perficere noſcuntur, ſuperadditis quatuor diebus hebdomadæ ſeptimæ.* In Scotia vero nonniſi undecimo ſæculo recepti ſunt, ut videre eſt in vita S. Margaritæ Scotorum Reginæ apud Surium 10. Junii, ubi dicitur, quod freta Regis mariti ſui auctoritate inchoari Quadrageſimam juſſit feria quarta cinerum, cum feria ſecunda poſt primam Dominicam inchoaretur. Ita Eccleſiarum Occidentalium uſus, qui Mediolani ſervatus fuerat, ante nonum ſæculum poſtulabat, ut non inchoaretur Quadrageſima niſi Feria ſecunda pro jejunio.

CAPUT XXXVII.

De Origine Quadrageſimæ, deque variis jejunandi rationibus.

QUadrageſimale jejunium conſiſtit in ſtato quadraginta dierum ante Paſcha. jejunandorum numero ; quod tamen non eſt inſtitutionis divinæ, quamvis J. Chriſtus & jejunarit, & jejunium commendarit. Objiciebant Phariſæi, & S. Joannis Diſcipuli, quod Apoſtoli non jejunarent, quibus Jeſus reſpondit eos jejunaturos, quando Sponſus illis eſſet ablatus, quod intelligitur de intervallo inter Chriſti mortem & reſurrectionem. Hinc ſemper magis ſolemne, & magis generale jejunium fuit Feria ſexta, & Sabbato : & S. Auguſtinus in Ep. ad cæſul. ait, ſe non legiſſe, quod Chriſtus aut Apoſtoli quidquam præceperint de diebus in Eccleſia jejunandis, licet jejunium ab Evangelio, & a ſcriptis Apoſtolorum præſcriptum fuerit. In Epiſt. ad Januar. aſſerit S. Auguſtinus, quod jejunium quadraginta dierum inſtitutum in Eccleſia, Veteris Teſtamenti auctoritate firmatum eſt. in perſona Moyſis & Eliæ, & juxta Evangelium in perſona Chriſti, qui omnes quadraginta dies jejunarunt ; ſed neque Chriſtus, neque Apoſtoli illud præceperunt. S. Hieronymo teſte ep. 54. ad Marcel. S. Leone Serm. 43. Tertulliano & aliis, quadrageſimale jejunium apoſtolica credebatur traditio ; ſed quamvis Patres illi affirmarint, quadraginta dierum jejunium exemplo Moyſis & Eliæ fuiſſe firmatum, ac præcipue J. Chriſti exemplo, qui Chriſtianorum ſanctificavit jejunium : *Dominus quadraginta diebus jejunium Chriſtianorum ſanctificavit*, ut ait S. Hieronymus l. 1. contra Jovin. non tamen facile eſt, Tertulliani teſtimonio, Quadrageſimæ uſum inter catholicos demonſtrare. Revera Montanus tres quadrageſimas obſervari volebat ; ſed Tertullianus de catholicis loquens in lib. de jejun. ait, optime illis perſuaſum eſſe, non præcepiſſe Chriſtum Diſcipulis ſuis jejunare, niſi diebus, quibus Sponſus illis ablatus foret, (ſunt autem duo dies ante Paſcha) ſimulque Apoſtolos libertatem cuique reliquiſſe jejunandi juxta pietatem ſingulorum : *Certe in Evangelio illos dies jejunii determinatos putant, in quibus ablatus eſt Sponſus, & hos eſſe jam ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus, & Prophetici veteſtatibus. Itaque de cetero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſſis uniuſcujuſque ; ſic & Apoſtolos obſervaſſe, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum ..*

At quarto uſque ſeculo habebatur tamquam traditio Apoſtolica unam jejunare Quadrageſimam, & non tres, ut jubebat Montanus, teſte S. Hieronymo ep. 54. *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Concilium Nicænum de Quadrageſima verba facit can. 5. S. Cyrillus Jeroſolymitanus, con-

cilium Laodicenum can. 49. eos condemnat qui jejunium Quadrageſimæ frangebant Feria 5. majoris hebdomadæ. S. Epiphanius Eccleſiæ morem aſſerit eſſe, jejunandi quadraginta dies ante Paſcha: *Ante ſeptem Paſchatis dies Quadrageſimam obſervare, atque in ieiuniis perſeverare, eadem conſuevit Eccleſia*. Inquit S. Baſilius Orat. 2. de jejun. quod ſingulis annis per univerſam terram denuntiabatur Conſtitutio jejunii: *Per univerſum terrarum orbem denuntiatur ieiunii præconium*. S. Gregorius Nyſſenus & S. Jo: Chryſoſtomus perſuadere ubique conantur Quadrageſimale jejunium.

Hoc igitur jejunium fuit ab initio liberum & voluntarium, & privatorum devotioni & arbitrio relictum, neque præſcriptum, niſi ab amplexantibus auſteriorem vitam; quapropter Montaniſtæ a ſecundo uſque ſæculo pietatem quorumdam Fidelium æmulantes duas ac tres Quadrageſimas per annum jejunabant; & Tertullianus ipſe adv. Pſych. c. 131. plane novit, hanc libertatem ætate ſua in Eccleſia ſubſtitiſſe. In legem deinde tranſiit, uſumque communem in conſtitutionibus Apoſtolicis l. 5. c. 12. in concilio Nicæno, in Laodiceno. Hinc in Oriente uſus hic tranſiit in legem, totique Eccleſiæ ſenſim communicatus eſt, tempuſque præfixum quadraginta diebus ante Paſcha, ut ad tam ſolemnem feſtivitatem præparationi inſervirent. Hujus jejunii rationes ſuggerit S. Auguſtinus in ſua Epiſtola ad Januarium. Socrates proculdubio hallucinatus eſt l. 5. hiſt. c. 22. cum dixit, Romæ jejunari tres tantum hebdomadas continuas ante Paſcha; liquet enim ex Caſſiano collat. 21. & 27. S. Leone Serm. 3. &c. aliiſque quinti ſæculi auctoribus, & Socrati coævis, quod hujus Eccleſiæ lex, regula, & uſus erat jejunandi quadraginta dies, & quod abuſus jejunandi minus quadraginta diebus non poterat eſſe niſi peculiarium quarumdam perſonarum. Hinc licet non ubique eodem modo jejunaretur, effetque alibi differentia circa numerum dierum, tempuſque jejunii, Romanus tamen uſus numquam variavit, qui vigebat etiam Bedæ ætate affirmantis de Paſch. ſive æquinoct. loca ſuiſſe in Italia, in quibus Quadrageſima viginti tantum diebus, vel tribus circiter hebdomadis concluderetur. Quadraginta dierum numerus continuo Romæ jejunabatur, cum apud Græcos & Mediolani, S. Ambroſio teſte, Sabbato non jejunaretur: & quamvis Romæ dies aliquot carerent Officio, ut Feriæ quintæ, jejunio tamen non carebant. S. Auguſtinus revera in ep. 36. ad caſul. ait, quod ætate ſua non credebatur Romæ Feriis quintas jejunandas eſſe; ſed hoc non reſpicit Quadrageſimam triginta ſex diebus continuis conſtantem. Hoc igitur contigiſſe ſeptimo circiter ſæculo dicendum eſt ex falſo pervulgato Decreto Melchiadis Papæ, quo Feriæ quintæ a jejunio excipiebantur: verum octavo ſæculo Gregorius II. hoc jejunium reſtituit, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius.

Haud ſcio, verius ne Socrates l. 5. c. 21. loquatur de aliarum regionum jejunantium more, ac locutus eſt de Romæ jejunio, quod trium tantum hebdomadarum ſpatio in Quadrageſima concludebat: ait autem, quod in Illyrio, in Græcia, & Alexandriæ, jejunabantur ſeptem hebdomadæ, & hoc jejunii ſpatium *Quadrageſima* vocabatur; quod alii jejunabant quidem ſeptem hebdomadas ante Paſcha, ſed non continuo, vocabantque nihilominus tempus illud *Quadrageſimam*. Sozomenus etiam l. 7. c. 19. diverſum refert Eccleſiarum ritum in jejunando, & quod non conveniebant in ratione jejunandi quadrageſimam, nec in hebdomadarum numero, quem complecti deberet. Obſervat etiam S. Chryſoſtomus hom. 16. ad Antioch. quod ætate ſua diſceptabatur, quot hebdomadæ jejunandæ eſſent, ut Quadrageſima compleretur; alii enim duas hebdomadas, alii tres, alii ſeptem uſque ſe jejunaſſe dicebant: *Conſuetudinem omnes habent per Quadrageſimam interrogare quot quiſque ſeptimanas Quadrageſimæ jejunavit & dicentes audire licet, hos quidem quod duas, hos vero quod tres, illos vero quod omnes jejunaverunt ſeptimanas*.

Ceritur apud Caſſianum collat. 21. c.

24.

24. quam diversa foret ea de re consuetudo ; quibusdam in locis Quadragesima sex hebdomadis concludeatur, quibusdam septem ; sed sublatis Dominicis & Sabbatis, nullo modo quadraginta dies jejunii numerari poterant ; & respondetur, quod triginta sex Quadragesimæ dies sex hebdomadis comprehensi decimam anni partem constituunt, quæ Deo consecratur ; quod illi qui Quadragesimam septem hebdomadarum spatio concludunt, triginta sex dies jejunant, subtractis Sabbatis & Dominicis ; quod illi qui sex tantum jejunant hebdomadas, Sabbato jejunant ; cetera quod tempus illud *Quadragesima* appellatur, licet triginta sex tantum dies jejunentur, propterea quod Moyses, Elias, & J. Christus quadraginta dies jejunarunt ; quod *jejunium pro perfectis non est, sed pro iis qui in voluptatibus & deliciis vitam traducunt, ut hoc saltem tempus Deo tribuant* ; & subdit, *quod in primitiva Ecclesia nulla esset Quadragesima, quæ ad Fidelium corruptelam reparandam instituta est*.

Licet etiam animadvertere, quod post institutionem Quadragesimæ, ætatis limites ad jejunandum præscripti, nempe 21. annorum ad inchoandum, & 60. ad terminandum jejunium, neque antiquitatis præsidio, neque legum Ecclesiæ auctoritate firmantur. Jejunandum videtur, quando quis in ætate & statu potest esse peccandi, & multo magis quando in peccatum lapsus est. Ninivitæ infantes ipsos ab uberibus avulsos jejunare jubebant. Quidam jejunii tempus præscribunt ætati nuptui idoneæ, nempe 14. annorum ; alii annorum 16. quæ est ætas votorum Monasticorum, qua concupiscentiæ igniculi, antequam cum periculo excitentur, extinguendi sunt.

CAPUT XXXVIII.

Quod jejunium esset abstinentia a carnibus & vino, atque unica tantum comestio ad vesperam.

ABstinentia a carnibus & vino ab omnibus fere communiter ubique servabatur in diebus jejunii. S. Hieronymus ep. ad Nepotian. rigidissimum ait esse jejunium, panem & aquam. *Fortissimum jejunium est aqua & panis* ; legumina, raro etiam piscículos, & parum vini concedit infirmis in ep. ad Lætam. S. Augustinus l. 30. contra Faustum jejunium constituit in abstinendo a carnibus & vino : *Si Quadragesimæ sine vino & carnibus, non superstitiose sed divina lege servatur*. S. Basilius Orat. de jejun. carnes & vinum vetat diebus jejunii, hortaturque homines ad legumina & aquam, juxta primum usum ante Diluvium. S. Gregorius Serm. de jejun. legumina tantum permittit & aquam, atque etiam condimenta prohibet.

Usus igitur communis erat a carnibus abstinendi : quibusdam in Ecclesiis abstinebatur etiam a piscibus : cui addita est abstinentia ab ovis, caseo & lacte. Romæ in quocumque jeiunio ab ovis & lacte abstinent. Rotomagenses Turris, in qua exstat Campana, cui nomen Georgius Amburiensis, appellatur Butyri Turris, eo quia constructa fuerit a Fidelibus, quibus venia data fuit comedendi butyrum in Quadragesima, quod erat prohibitum. Parisiis singulæ Urbis & Suburbiorum Parochiæ adhuc Processionem agunt ad Cathedralem, in Dominica Quinquagesimæ, ad impetrandam veniam vescendi laticiniis in Quadragesima : *Pro indulgentia vescendi lacte & butyro Quadragesimali*. In qua indulgentia non comprehenditur caseus ; fit tantum mentio de lacte & butyro. Liquido constat in nonnullis Ecclesiis, veluti in Turonensi, quod Canonici veniam a Papa impetraverant ve-

veſcendi lacticiniis in Quadrageſima, non credentes id fieri poſſe ſine venia : Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis in ſuis Statutis anni 1503. iuxta ſacrorum Canonum Decreta commendat abſtinentiam a carnibus, lacte, caſeo, butyro, & ovis in Quadrageſima : *Horſor & moneo vos Quadrageſimam congrue icinnare, & velusi conſuetunt ſacri Canones, a carnibus, lacte, caſeo, butyro, & ovis abſtinere.*

Nonnulla Eccleſiæ ſiccis tantum cibis veſcebantur.

Abſtinentiæ uſus etiam nunc diverſus eſt in Eccleſiis, circa quam nihil peculiariter decrevit Concilium Tridentinum, præcipiens ſolummodo jejunium juxta conſuetudinem Eccleſiarum. Liquet ex S. Epiphanio, & Socrate, extitiſſe Eccleſias, in quibus volatilia comederentur in diebus jejunii ; nulla umquam lata eſt lex cunctis Eccleſiis communis, quæ uniformem præciperet abſtinentiam.

Eccleſia Græca multo ſeverior eſt in jejuniis, quam Latina.

Antiquitus Dominicis Quadrageſimæ non abſtinebant a carnibus, neque hodie lex ulla præcipit abſtinere ; noviſſimis tantummodo ſæculis abſtinendi hac die a carnibus uſus confirmatus eſt. In vita S. Godefridi Ambianenſis duodecimo ſæculo Epiſcopi habetur, quod plerique ætate illâ abſtinentiam ſine jejunio non agnoſcentes, carnes comedebant Dominicis Quadrageſimæ, quod S. Præſul acriter conatus eſt uſum illum ſupprimere, juſſitque, abſtinentiam a carnibus ſervari in Dominicis, ut ſervatur in Rogationibus, in Feriis ſextis, & Sabbatis totius anni, & quod hujuſmodi uſus non veſcendi carnibus ſine jejunio in Dominicis Quadrageſimæ, in plurimis jam Italiæ, Germaniæ, & Galliæ locis ſervabatur. Plane conſtat, quantopere laboraverit S. Carolus, ut Mediolani abſtinentia in prima Dominica Quadrageſimæ ſervaretur ; in id nervos omnes contendit : ſed melius fortaſſe conſultum fuiſſet Eccleſiæ ſuæ, ſi antiquus uſus circa Quadrageſimam inchoandam tam pro abſtinentia, quam pro jejunio, immutatus non fuiſſet.

Diſtinguendum eſt autem jejunium per ſe ab abſtinentia talis, & talis carnis ; & ſi contingat, ut ex neceſſitate aliqua publica eſus carnis ſit concedendus, non ideo ſequitur, jejunii legem violatam eſſe.

In quibuſdam locis abſtinebant a lacte, butyro, caſeo, & ovis, perfectæ tantum virtutis viri ; Beda l. 3. c. 23. de Cedda in Anglia. Epiſcopo refert, quod in Quadrageſima unum tantum ovum cum modico lacte ad veſperam comedebat : *Ad veſperam juxta morem protelatus ieiunium, niſi panis permodicum, & unum ovum gallinaceum, cum parvo lacte aqua mixto percipiebat.* Æneas Pariſiensis in Tractatu contra Græcos 12. ſæculo exarato c. 184. refert, quod in Germania abſtinentia ab ovis, & lacte in Quadrageſima erat voluntaria, & a religioſioribus viris tantummodo ſervata : *Germania a laſſis, & butyri, & caſei, & ovorum eſu per totam Quadrageſimam non abſtinet, excepto quem ſpontanea attrahit voluntas.* Theodulphus Aurelianenſis idipſum innuit Diœceſanis ſuis : *Qui ovis, & caſeo, piſcibus, & vino abſtinere poteſt, quicumque magnæ virtutis eſt.*

Jejunium ſtabat potiſſimum in non comedendo, niſi ſemel in die, & ad veſperam tantum juxta veteres omnes, nempe S. Ambroſium, S. Hieronymum, S. Auguſtinum, Caſſianum, & alios. *Ad veſperam juxta morem protelatus ieiunium*, ut ait Beda loco citato : *Prandere, & ieiunare*, ſunt duo termini omnino contrarii ; nam jejunare nihil eſt aliud, quam non prandere, ſed prandium vel potius refectionem ad veſperam differre : *Stationes in veſperam producimus*, ut ait Tertullianus de jejun. Theodulphus Aurelianenſis 12. ſæculo c. 37. affirmat etiam, jejunare non putandos eſſe, qui manducant, antequam Veſpertinum Officium terminetur : *Nullatenus ieiunare cenſendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam Veſpertinum celebretur Officium.*

De hoc S. Benedictus ſtatutum edidit in Regula. Conſuetudo iſta durabat adhuc S. Bernardi ævo, qui ſuis ajebat Mo-

Monachis, quod ante Quadragesimam usque ad Nonam tantum jejunaverant, sed in Quadragesima Fideles omnes usque ad Vesperam jejunabant : *Hactenus usque ad Nonam jejunavimus, nunc usque ad Vesperam jejunabunt nobiscum universi* serm. 3. in Quadr. S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. præscribit etiam necessitatem semel tantum comedendi diebus jejunii ex communi consuetudine Ecclesiæ : *Communis consuetudo populi Christiani*, & propterea quod unica refectio cum tuenda valetudini sufficit, tum castigando corpori inservit : *Ecclesia moderatione servatum est, ut semel a jejuniantibus comedatur*.

A Græcis servatur adhuc religiose iste usus jejunandi usque ad vesperam, ab iis semel tantum comeditur diebus jejunii post Solis occasum. Judæi quoque jejunabant eodem modo, ut patet exemplis in Scriptura allatis.

CAPVT XXXIX.

De Collatione in diebus jejunii, deque usu dicendi Vesperas mane in Quadragesima.

AD duodecimum usque sæculum inaudita erat in occidente comestio ante finem diei ; non dicebatur Missa nisi post Nonam, hoc est circa tertiam horam vespertinam, ne scilicet comederetur nisi post horam Vesperarum, hoc est sero, & Vesperæ dicebantur in Missa post Communionem, ut fit Feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbato Sancto ; sed ad tertiumdecimum sæculum non parum laxatus est usus : & ad Nonam cœpta est anticipari comestio. Alexander de Ales ex iis fuit, qui huic consuetudini locum dedere. Quartodecimo sæculo, ut tempus lucrifieret, hora nona anticipata est, Paludano potissimum auctore : quintodecimo sæculo magis etiam laxatum est comedendi tempus, dummodo recitatæ essent Vesperæ circa meridiem ante comestionem ; & sextodecimo sæculo non defuere Theologi affirmantes comedi posse non solum ad meridiem, sed etiam ad undecimam horam.

Quod quidem occasionem præbuit secundam addendi comestionem, quæ fit sero sub nomine collationis ; cœptum est a bibendo in sero, propter alterationem quæ jejunium plerumque subsequitur ; & ab exemplo præsertim Religiosorum, qui manualibus laboribus fessi sero bibebant, antequam jejunii horæ perverterentur ; inde ventum est ad modicum *cibi, ne potus necaret*, ut videre est in Constitutionibus quorumdam ordinum : sed ne quid temporis inutiliter insumeretur, fiebat his diebus lectio ad vesperam in Refectorio, cum aliis diebus fieret in Claustro, vel in Capitulo ; & hoc appellatum est *ire ad collationem* : ita collationis nomen de lectione ad modicam istam comestionem transiit ; cœpitque hoc sensu per orbem propagari.

Secunda hæc comestio, quam nos collationem vocamus, & reperitur in Concilio Aquisgranensi an. 817. can. 12. quod permittit Monachis semel bibere ante completorium diebus jejunii, atq; etiam in Quadragesima, vel propter operis laborem extraordinarium, vel cum novum Officium recitari deberet veluti Officium Defunctorum : *Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem post vesperam etiam in Quadragesima pari modo, & quando Officium Mortuorum celebratur ; prinsquam lectio Completorii legatur bibant*. Magistri Regula c. 17. Udalricus in Consuetudinibus Cluniacensium, Ivo Carnutensis, Buchardus, S. Dunstanus l. 2. & alii de bibendo mentionem faciunt, de comedendo nullam. Quod nos collationem dicimus, erat vini calix vel aquæ, quod ante, vel post illam, quam vocant conferentiam, quæ Completorium præcedebat, hauriebatur ; collatio enim Latine idem sonat ac conferentia apud nos. Hinc usus sero bibendi post Vesperas ante Completorium collationis nomine appellatus est in statutis Cluniacensibus an. 1308. *Statuimus quod hora potationis serotinæ, quæ apud vos collatio nuncupatur, ad quam hoc-*

horam omnes convenire præcipimus: tunc studiorum collatio facienda erat. In statutis Ordinis Præmonstratensis pulsato collationis signo, ad Refectorium procedebant, tamquam ad refectionem; ibi dicto *Benedicite*, Hebdomadarius benedicebat, & respondebatur *Amen*; Religiosi sedebant ad mensam, & bibebant: *Ad collationem signum pulset sacrista, intrent in Refectorium, sicut ad refectionem . . . . Responso Amen, Fratres ingrediantur mensas & bibant, quod & diebus jejunii tantummodo faciendum*. S. Bonav. in Discipl. ad Novit. concedit Novitiis bis vel ter bibere ad collationem jejunii diebus: *Ad collationem tempore jejunii faciendam duabus, vel tribus, si indiges, bibere vicibus.*

Usus apponendi bellaria in collationibus profectus est a Scholasticis, qui ea concesserunt assumi post comestionem, per modum medicinæ, & ad digestionem ciborum expediendam, talem solummodo quantitatem vetantes, quæ nutrimento magis quam medicamini foret, auctoritate fulti S. Thomæ, qui hujusmodi usui non restiterat, quamvis probaverit, de essentia esse jejunii, unam tantum in die refectionem assumere: *Electuaria etiamsi aliquando nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum; unde non solvunt jejunium, sicut nec aliqua medicinarum assumtio, nisi forte aliquis in frandem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi* 2. 2. quæst. 147.

Collatio occasionem prabuit refectionis horam anticipandi, quod gradatim factum est: cœperunt ab initio statim comedere, quando sonabat hora, & Officium Nonæ; signum pro convocandis Populis ad Officium a nonnullis acceptum est pro signo comedendi. Qua de re Theodulphus Aurelianensis c. 39. conquerebatur ix. sæculo: *Solent plerique qui itinnare putant, mox ut signum audiunt ad Nonam, manducare; qui nullatenus itinnare censendi sunt, si ante manducaverint, quam Vespertinum celebretur Officium*.

Ratherius, Episcopus Veronensis, permittit ad Nonam manducare; & Concilium Rotomagense an. 1072. comedere vetat antequam, hora Nona completa, incipiat hora Vesperarum, *Statutum est nullus ut in Quadragesimæ prandeat, antequam hora Nona terciæ, vespertina incipiat; non enim ieiunas qui ante manducat*; Ita Vesperarum signum sumtum est pro signo prandendi.

Alexander Alensis asserit, quod ætate sua Missa Quadragesimæ anticipata erat ad horam Nonam: *Missa in quadragesimæ, & diebus ieiunorum, hora nona*, & quod erat magis congrua hora comedendi diebus jejunii, quam hora Vesperarum, *Hora refectionis magis congrua tempore ieiunii est hora nona, quam usque ad Vesperam*. Ita anticipatum est Officium, quemadmodum anticipabatur refectio, ac demum ventum est ad concedendam refectionem circa meridiem. Hoc Stephanus Poncherius, Episcopus Parisiensis circa an. 1510. ex doctrina desumit S. Thomæ, & Scholasticorum: *Sic semel in die refectionem corporis capiatis, & si tempus congruum habuerit, ut S. Thomas, & alii Doctores instruunt nos, circa meridiem capiatis*. Statut. Paris. p. 243.

S. Carolus permittit etiam suis domesticis manducare post meridiem diebus jejunii: *Post meridiem cibum capiant*. Eo quomodo anticipata est comestio de sero ad tertiam horam vespertinam, & postea usque ad meridiem. Post invectam consuetudinem solvendi jejunium circa meridiem, servatus est usus dicendi Vesperas ante prandium, ut semper dici posset, quod jejunium non solveretur nisi post Vesperas.

In plerisque Ecclesiis incipiunt dicere Vesperas mane a Feria quarta Cinerum, qua die tamquam principium Quadragesimæ respiciunt, ut moris, est Parisiis: Romæ vero non incipiunt nisi Sabbato sublequenti in primis Vesperis Dominicæ, propterea quod antiquitus quatuor illi dies ad Quadragesimam non spectabant. Apud Carthusianos, aliisque in locis non incipiunt nisi Feria secunda hebdomadæ primæ Quadragesimæ, quia olim prima dies erat Quadragesimalis jejunii.

CA-

CAPUT XL.

De Operibus pietatis, quæ jejunium Quadrageſimale proſequebantur, de Confeſſione, de Continentia. An ſingulis diebus diceretur Miſſa, deque Miſſa Præſanctificatorum.

QUam maxime commendabatur Fidelibus, ut jejunium per plura pietatis opera ſanctificarent; quorum præcipuum habebatur conſcientiæ puritas, ut jejunium Deo magis gratum fieret, magiſque meritorium; quapropter præcipiebatur, ut hebdomada ante initium Quadrageſimæ peccata ſua Sacerdoti aperirent, quo inter pœnitentes conſtituti ante Paſcha reconciliarentur: *Hebdomada una ante initium Quadrageſimæ Confeſſiones Sacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda; diſcordantes reconciliandi, & omnia iurgia ſedanda*, ut inquit Theodulphus Aurelianenſis in ſuis Capitularibus c. 36. ante IX. ſæculum. Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis in Syn. Pariſ. 27. & 175. conſuetudinem iſtam renovavit circa an. 1500. præcipiens Confeſſiones ab initio Quadrageſimæ, & prohibens audire per quindecim Paſchatis dies eorum Confeſſiones, qui uſque ad Dominicam Palmarum exomologeſin diſtul.ſſent: *Ut horsemini ſingulos Parochianos veſtros, ut circa initium Quadrageſimæ ad Confeſſionem accedant*. Hebdomada major, & hebdomada Paſchatis deſtinatæ etant ad eorum tantum Confeſſiones audiendas, qui ab initio Quadrageſimæ confeſſi eiant. Hoc ſi fieret hodie, quam multis conſuleretur malis! Iis, qui Paſchate non communicarunt, ne carnem manducent, caſeum, & ova, prohibet hic Epiſcopus.

Commendabatur etiam continentia per Quadrageſimam, ideoque non celebrabantur eo tempore Nuptiæ, quod an. 370. vetitum eſt a Concilio Laodiceno can. 72. *Non oportet in Quadrageſima nuptias celebrare*. Fere omnes canones inhibent pœnitentibus uti copula coniugali tempore pœnitentiæ.

Singulis diebus Quadrageſimæ habebatur in Oriente Synaxis, vel Congregatio in Eccleſia, Officium, & Prædicatio, ut notat S. Epiphanius in Expoſ. Fid. *Synaxes tota Quadrageſima poſt horam Nonam ad Veſperam uſque celebrantur*. S. Baſilius in Orat. 2. de jejun. hortatur bis in die venire ad Eccleſiam: *Per hoſce ſequentes dies communio: excipies vos Spiritus Sanctus matutinis ſimul & veſpertinis epulis*: quæ erant matutinæ & veſpertinæ prædicationes. Id ipſum frequenter aſſerit S. Joannes Chryſoſtomus hom. 22. *Ob hoc jejunium & Quadrageſimam, & tot dierum Synaxes, auditiones, preces, & doctrinæ*.

Singulis quoque diebus Quadrageſimæ celebrabatur in Occidente Sacrificium, ut liquet ex Tertulliano, & S. Ambroſio, qui in Pſal. 118. ait, quod diebus ſtationis ſtatim poſt meridiem fiebat congregatio in Eccleſiis, ubi Sacrificium in commune celebrabatur, quo peracto dabatur comedendi libertas; diebus vero Quadrageſimæ Sacrificium celebrabatur ad veſperam: *Advenies Sacrificium veſpertinum*. Theodulphus de Miſſis agit, quæ ſingulis Quadrageſimæ diebus dicebantur. Pro ſingulis quibuſque diebus Quadrageſimæ habentur Miſſæ propriæ in Sacramentario S. Gregorii; in Miſſali Gothico ſeptem tantum habentur, quarum prima eſt pro initio: *Miſſa in initium Quadrageſimæ*, ſecunda eſt *Miſſa ieiunii*; illæ Miſſæ fuiſſe videntur pro ſex Dominicis Quadrageſimæ, idcirco repetebatur Miſſa Dominicæ, vel potius Miſſa ſub initium Quadrageſimæ.

In Oriente congregabantur ſingulis diebus; itemque communicabant, ſed Sacrificium non celebrabatur niſi Dominica & Sabbato, ut adnotatum cernimus a tempore uſque Concilii Laodiceni: *Quod non oportet in Quadrageſima panem offerre, niſi Sabbato & ſolis Dominicis*. Concilium Trullanum can. 51. ſacrificium permittit die Annuntiationis,

Miſſamque memorat Præſanctificatorum, videlicet panem conſecratum Dominica præcedenti, cum quo communicabant ſingulis hebdomadæ diebus: *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ ieiunii diebus, præterquam Sabbato & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium*: eſtque Miſſa ſimilis illi, quam Latini celebrant Feria ſexta in Paraſceve. Iſte Græcorum uſus Mediolanum invectus ſervatur etiam hodie nullam celebrandi Miſſam ſingulis Feriis ſextis Quadrageſimæ.

Miſſa iſta a Græcis appellatur Præſanctificatorum, hoc eſt Miſſa, in qua non conſecratur corpus Chriſti, ſed tantum abſumitur hoſtia prius conſecrata. E Græcis quidam Auctorem iſtius Miſſæ dicunt S. Gregorium Papam, quem Dialogiſtam vocant, eo quia Dialogos ſcripſerit; quod autem veri ſpeciem non præ ſe ferat; ſiquidem Miſſa iſta non dicitur niſi ſemel in anno in Eccleſia Latina, ſecus vero apud Græcos ſingulis jejunii diebus dicitur in Quadrageſima. Eam indictam cenſemus in concilio Trullano can. 52. & ad illam forte alludit concilium Laodicenum cum can. 49. vetat quadrageſima offerre panem ſingulis diebus, exceptis Dominicis & Sabbatis. Teſtatur Socrates l. 5. c. 22. quod Alexandriæ quarta & ſexta Feria fiebat quidquid ad Synaxim pertinet, excepta myſteriorum conſecratione.

En quomodo Græci Miſſam celebrant Præſanctificatorum. Presbyter panem accipit, & dividit in tot particulas, quot ſunt ſubſequentes dies, quibus hęc Miſſa debet celebrare, eaſque conſecrat una cum illis, quas ea die debet abſumere; deinde infundit de vino conſecrato ſuper particulas, eaſque in ciborio aſſervat. Ad ſtatutam horam dicendi Miſſam Præſanctificatorum, nempe ad horam Nonam, Diaconus cum ſolemnitate defert ſuper caput ſuum a parvo Altari ad majus pyxidem, in qua eſt particula hoſtiæ conſecratæ, & Presbyter tenet in manibus Calicem plenum vino, cui mixta eſt aqua non conſecrata, ſed tantum benedicta; Presbyter ad Altare accedens poſt ſimplicem orationem, per quam petit, ut dignus fiat ſanctorum Myſteriorum participatione, conſecratum panem immittit in vinum ad illud ſanctificandum, vel ut alii dicunt, ad conſecrandum, ſtatimque ſemetipſum communicat & aſſtantes.

Prædicabatur etiam ſingulis diebus Quadrageſimæ, ut videre eſt apud S. Joannem Chryſoſtomum, quod præſtitiſſe S. Cæſarium Arelatenſem in ejus vita narratur: *Sedibus poſt paratis in ieiunio eb hora diei ſeptima uſque ad decimam epulis plebem ſpiritualibus ſaginabat*. Ser. 5. Maii. Inter Sermones S. Leonis habentur quamplurimi pro Feriis Quadrageſimæ, de jejunio, & de Tempore Paſſionis. In nonnullis Sermonibus videtur affirmate, quod Dominica tantum, & Feria quarta prædicaretur.

Multiplicabantur etiam Officia in Quadrageſima. In vita S. Udalrici, Auguſtani decimo ſæculo Epiſcopi legitur, quod præter Officium Divinum, quod ipſe quotidie cum Canonicis ſuis in ſuæ Eccleſiæ choro canebat, recitaret etiam privatim Officia B. Virginis, S. Crucis, & omnium ſanctorum, & Pſalterium, & quod unam vel duas alias Miſſas pro temporis opportunitate celebrare conſueverat; ſed Quadrageſima poſt recitatum Matutinum nocturnum, ſuas preces continuabat uſque ad horam, qua pulſabatur ſignum Vigiliarum Mortuorum, quas cum choro decantabat, & exinde Primam; quod morabatur in Eccleſia orans, uſque dum Canonici cum cruce redirent ad celebrandam Miſſam, cui aſſiſtebat ipſe, & Presbyteri celebrantis dexteram oſculabatur; quod poſt Miſſam cantabat Tertiam cum Canonicis, & in Eccleſia permanebat uſque ad Sextam; poſt ſextam viſitabat Altaria, & ante ea genuflectens, *Miſerere* & *De profundis* canebat; inde revertebatur in cubiculum abluturus faciem; & præparationem facturus ad Miſſam, & Veſperas poſtea dicendas; in Xenodochio viſitabat Pauperes, e quibus eligebat duodecim, & ipſis lavabat pedes, & unicuique denarium erogabat; inde accedebat ad menſam, poſtea dicto Completorio domum ſe recipiebat. Ita ſingulis Quadrageſimæ diebus uſque ad Dominicam Palmarum feciſſe legitur.

Pre-

Preces longiores in Quadrageſima commendabantur, & Officio digi vel Officium Defunctorum, vel ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, vel Pſalmi Graduales adjungebantur; ut Romæ adhuc fit, & in pluribus Ordinariis præcipitur.

CAPVT XLI.

De Feſtis, & Officio Sanctorum in Quadrageſima.

PErvetuſtus eſt uſus nulla celebrandi Feſta in Quadrageſima, & a concilio Laodiceno circa annum 360. can. 51. commendatus: *Quod non oporteat in Quadrageſima Martyrum Natales peragere, ſed Sanctorum commemorationes in Sabbatis & Dominicis*. Non ſunt celebranda Feſta in Quadrageſima, ſed Sabbatis tantum & Dominicis commemoratio Sanctorum facienda. Jejunii mœſtitia non videbatur conjungi poſſe cum ſolemnitate Feſtorum; tum etiam ut cultus Domino debitus diebus Domino ſacris, nempe Sabbatis & Dominicis, ſerveretur, nullum iis Feſtum Martyrum ſubſtituebatur, ſed fiebat tantum commemoratio. Iſtè Canon concilii Laodiceni viguit omni tempore apud Græcos, qui Feſtum ſolummodo Annuntiationis in Quadrageſima ſuſcepere. Balſamon duodecimi ſæculi auctor refert, quod in Monaſteriis bene conſtitutis hoc etiam ætate ſua ſervabatur, a quibus anticipabantur ſolemnitates in Quadrageſima occurrentes, & ante Quadrageſimam celebrabantur. Idipſum & apud Latinos diutius ſervatum eſt, ut liquet præſertim ex concilio Toletano an. 654. a quo Feſtum Annuntiationis ſtatutum eſt octo dies ante Natale, ne ſcilicet tale Feſtum vel per Quadrageſimam, vel per Paſchale tempus impediretur, quo tempore, ut ait concilium can. 11. antiqui canones nulla alia Feſta celebrari permittunt: *Quoniam die quâ inventus Angelus Virgini Verbi conceptum nuntiaſſe, eadem feſtivitas non poteſt condigne celebrari, cum interdum Quadrageſimæ dies, vel Paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari*. Cenſebat etiam iſtud concilium, Annuntiationis Feſtum, ſi incideret in Quadrageſimam, propter magnæ lætitiam ſolemnitatis vel ſine jejunio celebrandum eſſe, vel poſt Paſcha transferendum; ut Romæ, & Galliæ moris eſt. Radulfus Tungrenſis Propoſ. 10. de ritu Romano loquens teſtatur, quod nullum fiebat olim Feſtum in Quadrageſima; quod Annuntiatio celebrabatur ante Natale, Feſtum s. Gregorii Papæ 3. Septembris, quo die occurrit ejus Ordinatio; Feſtum s. Benedicti die Translationis ejus menſe Julio; ſed poſtquam Romæ translata eſt Annuntiatio in menſem Martium, reliqua Feſta eidem menſi reſtituta ſunt, præter S. Ambroſium, qui Mediolani & Romæ remanſit menſe Decembri, licet obierit 4. Aprilis. Apud Joannem Abrincenſem undecimo ſæculo degentem legitur, quod ætate ſua nullum fiebat Feſtum per totam Quadrageſimam, ſed tantum Dominica fiebat commemoratio eorum, quæ inciderant in hebdomadam. Eo quomodo intelligebatur canon concilii Laodiceni.

Monachi in Occidente mutarunt hunc uſum, totque Feſta invexerunt etiam in Quadrageſimam, tum jejunii, tum laboris laxandi cauſſa diebus Feſtis. De Feſtis in Quadrageſima mentio fit apud S. Dunſtanum: Lanfranchus in ſuis ſtatutis c. 1. ſect. 23. aſſerit, quod ſi die cinerum occurrat Feſtum 12. Lectionum, in diem craſtinum tranſferatur: *Si in capite jejunii Feſtivitas duodecim lectionum eventerit, non celebratur ipſa die, ſed differtur in craſtinum*; præcipiturque, ut in Feſtis 12. Lectionum in Quadrageſima dicantur duæ Miſſæ, una de Feſto, altera de Feria: *Utraque Miſſa ad majus Altare celebratur*. In conſuetudinibus ciſtercienſium ſignata eſt prima Miſſa de Feria, ſecunda de Feſto: *Primo Miſſam de jejunio, poſtea Miſſas de Feſto*. Radulfus Tungrenſis Propoſ. 23. ait, quod

ævo ſuo Miſſa de Feſto dicebatur poſt Tertiam, & Miſſa de jejunio poſt Nonam, & hic erat uſus Romæ, & Coloniæ : *Ut diebus ieiuniorum Miſſa de Feſto ad Tertiam dicatur, & de jejunio ad Nonam, ita & Romæ, & Coloniæ*. Per iſtas duas Miſſas in die Feſto, cum commemoratione Feriæ in Officio, ſervari creditum eſt & quidquid Feſto, & quidquid jejunio deberetur.

Diebus Feſtis Monachi anticipabant prandium in Quadrageſima ; manducabant poſt Miſſam, & ante Veſperas, ut videre eſt in vita S. Gertrudis, Abbatiſſæ Nivellenſis ſæcul. 2. Benedict. *Hebdomada quinta in Quadrageſima Feſtivitas contigerat : omnes . . . . poſt expletam ſolemnitatem Miſſarum, ſumſerunt cibum*. Petrus Damianus in Regula præſcribens Monachis ſuis magnum jejunium in Adventu & Quadrageſima, eos abſolvit in tribus ſolemnibus Feſtis s. Andreæ, s. Benedicti, & Annuntiationis.

Capitulum generale Abbatum Galliæ anno 817. c. 46. abſolverat jam a jeiunio, quocumque die occurrerent Feſta Patronorum, *Plenum Officium agatur, & bis refi ciatur*. Extra Monaſteria ieiunabatur diebus Feſtis in Quadrageſima, etiam die Annuntiationis, ut obſervat Cardinalis Humbertus adv. Nicet. *Nec jejunia reſolvimus in celebratione Miſſæ, aut in aliquo natalitio Martyrum, ſed nec in Annuntiatione B. Mariæ.* Glaber l. 3. c. 3. ait, quod circa annum 1000. Epiſcopi Galliæ, & Italiæ congregarunt plura Concilia, quibus ſtatutum fuit transferre Feſtum Annuntiationis a die 25. Martii, quæ ſæpius incidit in Quadrageſimam, ad diem 18. Decembris, ut liebat in Hiſpania, eo fine, ne impedirentur ieiuniorum dies, vel ne Feſta celebrarentur in Quadrageſima, *Ferebatur Annuntiationem D mox Hiſpanorum 14. Kalendarum Januariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrari*.

Apud Cluniacenſes in novo Breviario reſtitutus eſt antiquus uſus de nullo feſto commemorationem faciendi in Quadrageſima, præveniendi & anticipandi Feſta occurrentia in menſe Februario, & transferendi poſt Paſcha occurrentia in menſe Martio aut Aprili, excepto Feſto Annuntiationis ; S. Benedictus transfertur in menſem Julium, S. Gregorius in Septembrem ; Feſtum Dedicationis ſi occurrat in Quadrageſima, transfertur poſt Paſcha.

Micrologus c. 48. refert Canonem Concilii Laodiceni, a quo prohibetur commemoratio Martyrum in Quadrageſima; & Concilium Toletanum, a quo Annuntiatio ponitur ante Natale, ne celebretur in Quadrageſima, aitque, Romæ a Septuageſima uſque ad Paſcha non celebrari niſi Feſtum Purificationis, Cathedræ S. Petri, & Annuntiationis; & ſi quando occurreret Feſtum, de quo faciendum eſſet Officium, totum Officium fieri conſueviſſe de Feſto, & Miſſam dici poſt Tertiam, cum commemoratione Feriæ in Laudibus, & Veſperis, & Miſſam de Feria poſt Nonam. Auctor iſte eſt undecimi ſæculi. Joannes Belethus, qui duodecimo vel tertiodecimo vivebat ſæculo c. 84. affirmat, quod ætate ſua Lugduni, ſicut Mediolani, nullum celebrabatur Feſtum tempore Paſſionis, & ſi quando occurrebat, fiebat tantum commemoratio : quod quidem intelligendum eſt de toto tempore Quadrageſimæ, ut teſtatur Radulfus c. 6. qui uſum memorat Mediolani, qui ſervatur adhuc, *In Officio Ambroſiano, nullum Feſtum in Quadrageſima*.

CAPUT XLII.

De uſu cooperiendi Imagines in Quadrageſima.

NUllo alio conſilio, aut myſterio velabantur Imagines, niſi ut auri fulgor, nitorque gemmarum pœnitentiæ diebus tegeretur ; ut patet in vita S. Eligii a S. Audoeno deſcripta l. 2. c. 34. *Mos erat, ut in diebus Quadrageſimæ propter fulgorem auri, vel nitorem gemmarum operiretur tumba velamine lineo urbane ornatu holoſerico : igitur ingrediente Quadrageſima præcinctorans crepam huiuſmodi Sindone, ut mo-*

Digitized by Google

les radiantis metalli velata tegeretur diebus pœnitentiæ.

Videre licet deinde in Conciliis velum Quadragesimæ, quod ponebatur ante Altare, & vocabatur *Velum Quadragesimale* in Concilio Cantuariensi an. 1220. & in Oxionensi an. 1287. can. 12. *Ad Altare quodlibet velum Quadragesimale*; idipsum asserunt Concilium Wintoniense, an. 1240. & Ebroicense eodem an. 1240. Lanfranchus in suis statutis c. 1. sect. 3. præcipit collocari velum illud prima Dominica Quadragesimæ post Completorium, *Dominica prima Quadragesimæ post Completorium suspendatur cortina inter Chorum, & Altare*, & postridie tegebantur Cruces, & Imagines; *Feria secunda ante Tertiam debent esse cooperta Crux, Coronæ, Capsa, textus qui Imagines deforis habent*. Guillelmus Pellicerius Abbas Grandimontensis in suis statutis præcipit operiri Imagines prima Dominica Quadragesimæ post Completorium usque ad Feriam sextam in Parasceve; & rationem affert c. 14. ut scilicet meminerimus, Christi faciem velatam fuisse in Passione ejus: *Quia velata fuit facies Christi in Cruce, cum fuit captus a Judæis*. Magnum velum apponebatur ante Altare in Quadragesima, nec aperiebatur nisi ad consecrationem, & diebus Dominicis, aut Festis, & auferebatur Feria quarta majoris hebdomadæ ad illa verba Passionis, *Velum Templi scissum est*; & hoc Parisiis adhuc in usu est. Non desunt usus præscribentes, solum Imagines operiri, non Cruces.

CAPVT XLIII.

De Benedictione Cinerum, de Officio initii Quadragesimæ, & de Feriis.

INitium Quadragesimæ vocabatur *Caput ieiunii*; atque ita vocata est Feria quarta Cinerum, postquam ab ea cœptum est ieiunium Quadragesimale; verum Officium permansit de Feria, quale erat, nec incipit esse de Quadragesima, nisi Dominica subsequenti, quæ *Initium Quadragesimæ* in Missali Gothico appellabatur: quare dies iste initium potius ieiunii, *Caput ieiunii*, quam initium Quadragesimæ vocatur. Primus ille ieiunii dies adeo solemnis est, ut proprium Officium nulli cedat solemnitati, quæ eo die possit occurrere, ne Patrono quidem Ecclesiæ. Videsis S. Basilium, & antiquos Patres de primo die ieiunii differentes, ut intelligas, quanta Populorum frequentia convolaret ad Ecclesiam, ut ibi per preces, & prædicationem tam salutare tempus inchoaretur. Ab an. 1352. apparet Decretum Clementis VI. quo præcipit, Festa omnia eo die occurrentia transferri, ut Fideles omnes ad pœnitentiæ opera incumbant. A Lanfrancho c. 1. sect. 3. dies ille appellatur *Dies Cinerum*, vel *Feria quarta Cinerum: si in capite ieiunii Festivitas 12 Lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum*.

Quoad Cinerum cæremoniam hæc erat ratio peccatores pœnitentiæ addicendi. Tertullianus in lib. de Pœnit. Pœnitentem describit consperssum cinere: *Horrore cineris concinerantem prosternis in medium*. S. Ambrosius ad Virg. lap. c. 8. pœnitentiam alicui Virgini indicens, lugubre præscribit vestimentum, cilicium & cinerem, *Totum corpus cinere aspersum*. S. Optatus exprobrat Donatistis, quod cineribus Virgines consecratas pœnitentiæ caussa consperserint, *Aspersistis immundis cineribus*. S. Isidorus Hispalensis de offic. l. 2. c. 16. cæremoniæ sensum exponit, ostenditque, illam ætate sua fieri consuevisse, ut peccatores recordarentur se esse pulverem, animumque & cogitationem converterent ad mortem, quam pro peccatis suis meruissent: *Cineres aspergunntur, ut fines memores, quia cinis, & pulvis sunt, per favillam cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando perveniamus*.

Quidquid usuvenit in cæremonia Cinerum, in antiquis reperitur Conciliis, & præcipue apud Reginonem, IX. sæculi

li Auctorem, qui accurate hanc cæremoniam deſcripſit, quemadmodum ætate ſua peragebatur. Epiſcopus, inquit, cum Parochis, & Decanis ruralibus adibunt Eccleſiam, offerent Pœnitentes ante fores Eccleſiæ indutos ſacco, & nudis pedibus; tum vero Parochi, qui vitam, & mores pœnitentium bene norunt, illis imponent pœnitentiam propriis criminibus congruam; juſſis deinde in Eccleſiam ingredi, Clerus univerſus in terram ſe proſternens effuſis lacrymis ſuper eos decantabit ſeptem Pſalmos Pœnitentiales; dein manus ſuper illos imponet, aſperget eos Aqua benedicta, eorum capita cinere, & cilicio obteget, illos demum exhortatione facta extra Eccleſiam ejiciet, dicens, ſe eos ab Eccleſia ob eorum peccata ejicere, non ſecus ac Adam e Paradiſo ejectus eſt. Tunc illos Clerus extra Eccleſiam ducet, verba illa Scripturæ decantans, quibus Deus primis parentibus pœnitentiæ cauſſa præcepit in ſudore vultus veſci pane: *In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes . . . . ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo ſacco induti, nudis pedibus. . . . ubi adeſſe debent Decani cum Presbyteris . . . . . eos extra januas Eccleſiæ expellant, Cleros proſequatur eos cum Reſponſorio, In ſudore vultus tui veſceris . . . .* Feria quarta Cinerum appellatur initium quadrageſimæ, *Caput Quadrageſimæ*. Ritus Pœnitentium caput aſpergendi cinere a Judæis proficiſcitur. Lugduni una cum cineribus benedicuntur virgæ, tamquam inſtrumenta propria, & idonea, ad caſtigandos Pœnitentes, & puniendа peccata. In quibuſdam Eccleſiis ponebantur cineres in patina terrea, ut melius oſtenderetur, quod homo, qui recipiebat cineres, de terra eſt, & in terram revertetur. Nonnullis in locis feruntur ad Proceſſionem cilicia; in aliis cuilibet pœnitenti cilicium datur; vel etiam fœminæ ad pœnitentiam addictæ tegebant capita ſua altera parte tunicæ, quam in ſacci forma elevabant. Pluribus in Pontificalibus prohibetur Benedictio, & diſtributio cinerum in qualibet Urbis Eccleſia ante Sermonem, & Benedictionem factam in Cathedrali. In diſtributione cinerum, loco dicendi *Memento homo . . . .* in quibuſdam Ritualibus legitur, *Pœnitentiam age cum cilicio, & cinere*: in aliis, *Cineris hujus aſperſio ſit nobis, quæſo, Domine, remedium ſalutare*.

Accipiebantur cineres nudis pedibus; & hoc ſervabatur Romæ, ubi Papa ipſe cum Cardinalibus, & Clero nudis pedibus procedebat ab Eccleſia S. Sufannæ ad Eccleſiam S. Sabinæ, ut videre eſt in Ordinibus Romanis. Poſt XII. ſæculum, Romæ non ejiciuntur amplius Pœnitentes extra Eccleſiam, quod tamen diu multumque ſervatum eſt in Rotomagenſi, Cenomanenſi, Laudunenſi, aliiſque quamplurimis Eccleſiis Galliæ. Ad Offertorium jubebantur Eccleſia egredi, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam ante Miſſam Fidelium. Æneas Sylvius hiſt. de Europ. c. 31. quarumdam Eccleſiarum memorat uſum, in quibus homo quidam veterum pœnitentium perſonam induebat ac per totam Quadrageſimam lugubri veſte indutus, cucullo caput obtectus, ejiciebatur extra Eccleſiam, jejunabat quadraginta dies, nudis pedibus incedebat, nec niſi ad januas veniebat Eccleſiæ, & cum Adamo e Paradiſo ejectum repræſentaret, appellabatur *Adam*.

Cinerum cæremonia ad publicos olim peccatores tantum pertinebat; neque hodie deſunt Eccleſiæ, in quibus dantur cineres in limine majoris januæ, quo loco dabantur alias. Pœnitentibus, & poſtea extra Eccleſiam remanebant. Romæ magnus Pœnitentiarius cinerem imponit Papæ: in aliis Eccleſiis magnus Pœnitentiarius cæremoniam cinerum peragit; quo ſignificatur, quod poſt XII. ſæculum cinerum diſtributio, quæ ſolis dabatur publicis peccatoribus, facta eſt cæremonia cunctis Fidelibus communis. Cœperunt pii viri caput cinere aſpergendum præbere in ſignum humiliationis, non ſecus ac in afflictionibus, & in qualibet luctus, & doloris. ſignificatione operiri pulvere conſueverant; nihilo magis præ ſe ferre rati humilitatem ſuam, quam geſtantes in capite, quod pedibus conculcarent, *Cum fuerint cinis ſub plan-*

Digitized by Google

ra pedum, ut ait Malachias c. 4. v. 3. peccatores proterentur pedibus, sicut cinis pedum planta proteritur. Tunc quisque pœnitens factus voluntarius se offerebat ad cineres accipiendos, atque hujusmodi cæremonia facta est generalis pro Clero quoque ipso, & Episcopis. Concilium Beneventanum an. 1091. cunctis Fidelibus utriusque sexus præcipit ea die cineres super capita accipere: *Omnes tam Clerici, quam Laici, tam viri, quam mulieres die illo cinerem super caput accipiant*. Can. 4.

Processio fiebat ea die ad producendos pœnitentes ad fores Ecclesiæ; fiebatque nudis pedibus, etiam in Monasteriis, ut præcipit Lanfranchus in statutis; *Descalceent se ad Processionem*. In Cluniacensi Ecclesia fiebat ista Processio nudis pedibus qualibet Feria quarta, & Feria sexta per annum; & S. Odilo permittit calceos a Kalendis Novembris usque ad Feriam quartam Cinerum, propter frigoris acerbitatem. In Laudunensi mos est peragendi cæremoniam cinerum in privata quadam Ecclesia, sicuti mos est Parisiis faciendi cinerum benedictionem in Ecclesia S. Christophori. Mediolani benedicuntur cineres, non initio Quadragesimæ, sed in Rogationibus, quæ fiunt hebdomada prima post Ascensionem.

Romæ in distribuendis cineribus dicitur *Memento homo quia* . . . . cum vero distribuuntur Papæ, nihil dicitur, ut advertit Ordo Romanus Amelii, tempore Urbani VI. an. 1378.

Oratio hujus diei, *Concede quæsumus*, extat apud Micrologum c. 3. pro die Cinerum: qui dies in quamdam festi speciem evectus est ab ejus institutione, IX. nempe sæculo, ut videre est in Concilio Suessionensi an. 853. ad hoc ut populus matutinis Officiis interesse teneretur. Ab an. 1352. apparet Decretum Clementis VI. præcipientis Festa omnia eo die occurrentia transferri, ut quousque incipiat serio pœnitentiæ se addicere, præbeatque pœnitentiæ publicæ signa accipiendo cineres; Romæ enim iste dies vocatur, *Feria quarta Cinerum*.

Amalarius l. 1 c. 7. Missam refert, sicuti a nobis dicitur; Collecta *Concede . . . . Sanctis inchoare jejuniis*; Epistola Joelis *In jejunio, & planctu*; Evangelium *Cum jejunatis*.

Ad Missam dicitur pro Tractu *Domine non secundum* . . . . qualibet feria secunda, quarta, & sexta Quadragesimæ. De hoc verba facit Micrologus c. 50. qui non hoc præscriptum fuisse affirmat ætate sua in Ordine Romano, sed ex nova devotione inductum: *Non ex Ordine Romano, sed ex devotione nostra*. Tres isti dies semper speciali cultu ad pœnitentiam consecrati fuere; hinc fit, quod etiam hodie dicitur feria secunda Officium Defunctorum, Feria quarta Palmi Graduales, & feria sexta septem Psalmi Pœnitentiales. His diebus semper habitus fuit populorum cœtus, & oblatio Sacrificii, ideoque illis additus est Tractus, cum tribus aliis diebus neque tam universim, neque tam ordinatim celebraretur Sacrificium, præsertim feria quinta, & Sabbato, quapropter et nulla his diebus designata est Missa in Sacramentario S. Gregorii; & Valafridus Strabo c. 20. Gregorium II. putat jussisse Missas inseri pro Feria quinta Quadragesimæ, & præcepisse hujusmodi dies jejunari in iis locis, ubi tale jejunium non erat in usu; & propterea Evangelia Feriæ quintæ ab aliis Feriis desumuntur, & præsertim a Dominicis per annum, quæ Feria quinta repetuntur.

Honorius Augustodunensis l. 4. c. 117. agit de Præfatione Quadragesimæ, *Qui corporali jejunio* . . . . affirmatque, a Papa Gelasio fuisse præscriptam.

Micrologus c. 5. verba facit de postrema Oratione Missæ super Pœnitentes: aitque, eam esse pro iis, qui non communicabant, ac propterea omittitur in Dominica, quia tali die Populus communicabat; videlicet cum Populus olim singulis Quadragesimæ diebus communicaret, frigescente pietate, non communicavit nisi in Dominicis, aliis autem diebus communionem supplebat Ecclesia per peculiarem orationem, ab ipsa factam super Populum non communicantem. Ante orationem

istam

iſtam Diaconus inquit : *Humiliate capita veſtra Deo* : eſtque loco Benedictionis, quæ alias dabatur ante communionem, quæque dicitur adhuc in Pariſienſi, Meldenſi, Rotomagenſi, & quamplurimis aliis Eccleſiis ; ante *Agnus Dei*. Diaconus clamat *Humiliate vos benedictioni*. In Quadrageſima locum habet iſta Benedictio, diciturque poſt communionem ſuper Adſtantes, qui Pœnitentium loco habentur, quibus nondum datur communicandi facultas.

Quoniam vero iſta precatio eſt ſemper Collecta Veſperarum, Veſperæ in Quadrageſima ab origine dicebantur poſt communionem, antequam Miſſa terminaretur ; Collecta iſta erat loco Poſtcommunionis, ut fit hodie Pariſiis tribus diebus ante Paſcha ; poſtquam vero Officium Veſperarum a Miſſa ſeparatum fuit, retenta eſt Collecta, ut Benedictioni ſuper Populum inſerviret ; & per illam Feriæ 4. Cinerum conjici poteſt, quod eſt gratiarum actio poſt communionem : *Ut qui divino munere ſunt refecti, cœleſtibus muniantur auxiliis*.

Nunc genuflectitur ad Horarum preces, quod alias ſingulis feriis fiebat : verum hodie tam genuflexio, quam preces, reſervatæ ſunt ad dies jejunii, unde iſtæ preces *Orationes flebiles* ſunt appellatæ.

Ut autem ad diverſos iſtius diei uſus revertamur, cernitur in diverſis Ordinariis, quod Benedictio cinerum fiebat ad Altare, vel ſuper menſam ad hoc præparatam ; in pluribus Monaſteriis quidquid benedictorum cinerum ſupererat, aſſervabatur pro morientibus, qui ſuper cinerem extendebantur.

In Parochialibus Eccleſiis non incipiebatur Benedictio cinerum, antequam facta eſſet in Cathedrali, & antequam Epiſcopus vel alter loco Epiſcopi prædicaſſet.

Quibuſdam in Eccleſiis diſtribuebantur Pœnitentibus aliiſque Fidelibus cineres ante Miſſam ; & cum cineribus dabatur etiam aqua benedicta ; in aliis fiebat tantum benedictio cinerum, & nudis pedibus acceptis cineribus, nudis pedibus ibant ad Proceſſionem.

Ad Miſſam ante Collectam dicebatur *Flectamus genua*, & Celebrans dicebat *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri J. Chriſti ex quo omnis Paternitas in Cœlo & in Terra nominatur*. Poſt Præfationem Chorus flexis genibus, & proſtratus ſtabat uſque ad finem Canonis.

Stationis diebus annuntiabatur ſtatio proxima, dicendo *Craſtina die venientes Statio eris in Eccleſia S. N.* & chorus reſpondebat *Deo gratias*. Romæ, etiam ad Miſſam Papæ, unus tantum aderat Præcentor cappa indutus dirigens chorum, Diaconus & Subdiaconus erant tantum induti alba ſine dalmatica aut tunica.

Cum autem ſingulis Quadrageſimæ diebus habeantur Evangelia propria, ita etiam ſingulis diebus ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* habentur Antiphonæ propriæ, ab iis Evangeliis deſumtæ. Oratio Veſperarum differt ab Oratione Miſſæ ; pleruſque ea eſt, quæ dicitur ſuper Populum in fine Miſſæ, quia Veſperæ dicebantur poſt communionem, & Gratiarum actioni & Poſtcommunioni inſerviebant ; & propterea non mutatur Oratio ad Veſperas in Dominicis, quia ſeparantur a Miſſa, neque precatio fiebat ſuper Populum. In Veſperis Sabbati dicitur collecta Dominicæ ſequentis, quia iſtæ Veſperæ ad Dominicam ſpectant. Non legebatur olim Evangelium, neque Homilia in Quadrageſima ad Matutinum in Officio de Feria ; continuabatur Pentateuchus, aut a Septuageſima legi cœptus erat ; & hoc ſervatur adhuc a Carthuſianis. Ex Decreto Pii V. factum eſt, ut in Vigiliis, quæ propria habent Evangelia ad Miſſam, hæc legi debeant cum aliqua Homilia Patrum pro Lectionibus ad Matutinum.

In Ordine Romano Cajetani cineres fiunt e palmis & ramis anni præcedentis, & benedicuntur a Presbytero Cardinali cum Miniſtris alba tantum indutis ; Epiſcopus dat Papæ cineres, & Papa Epiſcopis & Presbyteris. In Ordine Romano Amelii notatur, quod diſtribuens Papæ cineres nihil dicit : *Nihil dicendo imponit cineres ſuper caput Papæ ad modum crucis*, Papa autem diſtribuens cineres ait *Memento* . . . . dexte-

xterum genu oſculandum porrigit, eique Laici, & Principes ipſi oſculantur pedes. Notatur etiam, quod cineres flexis genibus accipi debent, & Romæ utuntur ea die paramentis nigris, aut violaceis. In Ordine Cajetani, Papa poſt acceptos vel diſtributos cineres excalceat ſe, iturus ad ſtationem cum proceſſione, & quando ad S. Sabinam pervenit, lavantur ei pedes in Sacriſtia, deinde ſe calceat ad Miſſam celebrandam. Singulis Feriis Quadrageſimæ dicitur ſecunda Oratio *A cunctis . . . .* & tertia *Omnipotens . . . . qui viverum*; & Præfatio Quadrageſimæ *Qui corporali ieiunio . . .* uſque ad Dominicam Palmarum. Non dicitur *Flectamus genua* in Collectis Miſſæ, niſi quando plures exſtant Prophetiæ, & hoc *ſecundum Romanam conſuetudinem*, vel quando in Miſſa duæ extant Lectiones a Prophetis deſumtæ; non dicitur *Flectamus* niſi ad ultimam, quæ ad modum Prophetiæ legitur, & propterea dicitur *Dominus vobiſcum* ante ſecundam; genuflectitur ad illa verba Tractus, *Adiuva nos*, etiam a Papa, & refertur Decretum Bonifacii Papæ IX. anno 1395. quod quando Papa non celebrabit, Celebrans diſtribuet illi cineres; notatur etiam, quando Feſtum S. Matthiæ inciderit in diem cinerum, fiet Officium de Feria, & non de Feſto, cujus Officium transferetur in craſtinum. Quando Papa non celebrat, non omittunt in ejus Sacello diſtribuere aſtantibus cineres.

In Adventu & in Quadrageſima Papa non dicit in Miſſa *Pax vobis*, ſed *Dominus vobiſcum*, ut patet in cunctis Ordinibus Romanis.

CAPVT XLIV.

De Stationibus ſeu Proceſſionibus in Feriis Quadrageſimæ.

APud antiquos Auctores, nempe Tertullianum (*De corona militis Lib. de anima, de jejuniis*, l. 2. ad uxorem), S. Cyprianum, *Ep.* 41. S. Ambroſium, *Serm.* 25. Stationes appellabantur dies illi, quibus Chriſtiani orabant, & jejunabant uſque ad horam Nonam; deinceps vero Stationes appellatæ ſunt illæ Eccleſiæ, quo Clerus, & Populus agmine ſupplici inſtructo proficiſcuntur, ibique conſiſtunt ad aliquam Divini Officii partem celebrandam. Chronicorum Orientalium Auctor uſum hunc S. Cyrillo refert acceptum, nullo tamen nixus fundamento, cum Stationum uſus nonniſi in Occidente cognitus fuerit. Poſtea Stationum nomine vocatæ ſunt Eccleſiæ a Pontificibus & Epiſcopis deſtinatæ, ad quas tenentur convenire Fideles pro Indulgentia Jubilæi. Olim apud Romanos in extraordinariis lætitiæ vel luctus feſtis, in Templis omnibus Stationes Populo præcipiebantur.

Singulis Quadrageſimæ, & quatuor Temporum Feriis, Romæ habebatur Statio ſeu Proceſſio; in unam conveniebant Eccleſiam, in alteram ituri ad Miſſam celebrandam. Ab initio Stationes iſtæ inſtitutæ ſunt in honorem Martyrum, ad quorum tumulum Miſſa celebrabatur. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii l. 3 c. 18. ait, quod iſte Pontifex Stationes Romæ ordinavit, hoc eſt Eccleſias, in quibus faciendum eſſet Officium ſingulis diebus Quadrageſimæ, quatuor Temporum, & Feſtorum ſolemnium; nam Feſta Sanctorum celebrabantur in Eccleſiis, ubi erant eorum Reliquiæ, vel quarum erant Titulares. Stationes iſtas in ſuo Sacramentario deſcripſit, quomodo ſunt adhuc in Miſſali Romano, eaſque præcipue indixit Eccleſiis Patriarchalibus pro magnis Feſtis, & Eccleſiis Titularibus aut Parochialibus pro aliis diebus; & quamvis Stationes ſtatutæ eſſent, non omittebat Archidiaconus, poſteaquam Papa communicaverat, annuntiare Populo Stationem ſequentem. Populi, qui Feſtorum Stationes norant, ad eas veniebant nemine indicante; Statio autem dierum Quadrageſimæ indicabatur.

Locus, quo conveniebant, appellabatur *Collecta*; exinde ibant agmine inſtructo ad Eccleſiam, quæ in Miſſali

deſignata eſt, ad Miſſam celebrandam. In illis Proceſſionibus ibant nudis pedibus per viam, & Papa ipſe ſe excalceabat; noviſſimis tantum ſæculis conſuevere Pontifices & Miniſtri in proceſſionem ire, inſidentes equo, fortaſſe vel propter Pontificum ætatem plerumque ingraveſcentem, vel propter vaſtitatem Urbis vehi equo neceſſe fuit; Acolyti tamen aliique Clerici pedeſtri itinere ſubſequuntur. In hac proceſſione deferuntur a Palatio Papæ Libri & Vaſa ſacra ad ſacrificium neceſſaria. Appropinquanti Papæ accurrit Presbyter ſtationis cum Acolytis, deſcendentem equo ſuſcipiunt Diaconi, pergit deinde ad ſacriſtiam, ſe præparaturus ad Miſſam. Eligit Diaconum & Subdiaconum qui Evangelium & Epiſtolam legant. In Proceſſione cantatur Reſponſorium, deinde Litania *Kyrie*: ad Miſſam non dicitur *Kyrie*, quia in Litania Proceſſionis cantatum eſt: *Quando efficitur celleſta, ad Miſſam non cantatur Kyrie, quia Regionarius dixit in Litania*, inquit Ordo Romanus. Proceſſiones in Quadrageſima præcipiuntur in III. concilio Bracarenſi can. 9. *In Quadrageſimæ principio convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ per triduum cum Pſalmis per Sanctorum Baſilicas ambulantes celebrent Litanias*. Ibi per triduum tantum deſignantur; verum alibi per ſingulos dies præcipiebantur. Pariſiis ter tantum fiebant in hebdomada, feria ſecunda, quarta, & ſexta; poſt Calviniſmum vero omiſſæ ſunt Proceſſiones, & introductus uſus prædicandi ſingulis diebus Quadrageſimæ in Cathedrali. In Ordinariis Viennenſi, Cabilonenſi, Sueſſionenſi, Turonenſi, Cenomanenſi, & aliis notatur, quod ad iſtas Proceſſiones ibatur nudis pedibus; nulla deferebatur Crux, ſed Liber Evangeliorum ante Clerum deferebatur a Diacono, ut Chriſti, ipſius perſona repræſentaretur.

Feria quinta, ſexta, & Sabbato poſt Cineres Officium eſt de Feria currente, tamquam ſi nondum ad Quadrageſimam pertineret.

Feria ſexta celebratur Pariſiis Feſtum de quinque Plagis Domini Noſtri, *De Quinque plagis Chriſti*: eſtque proprie Officium Feriæ ſextæ in Paraſceve, quod anticipatur, nempe Feſtum J. Chriſti crucifixi. Hujuſmodi devotio noviſſimis tantum temporibus a Feria ſexta in Paraſceve ſeparata eſt pro iis, qui multiplici Feſtorum frequentia & repetitione gaudent: cernitur autem devotio iſta firmata in Concilio Vaurenſi anno 1368. can. 128. a quo conceduntur Indulgentiæ iis, qui in honorem quinque Plagarum D. N. quinquies Orationem Dominicam recitaverint, & ſepties Salutationem Angelicam in honorem ſeptem Gaudiorum B. Virginis: *Ob reverentiam & honorem quinque vulnerum per Salvatorem noſtrum in ara crucis pro redemtione noſtra receptorum, & ad honorem ſeptem gaudiorum, quæ de filio ſuo habuit B. Virgo, ſepties Angelica ſalutatione, ſeu Ave Maria*. Concilium iſtud triginta dies concedit Indulgentiæ.

Fuit hoc Officium Pariſiis diutius liberum, & piorum devotioni relictum: deinde Breviario inſertum eſt, forte quia cœpit inſtitui in Cathedrali; factius tamen prætermiſſum fuiſſet, quem admodum Pius V. explodi juſſit e Miſſali Romano Miſſam de quinque Plagis, ne ſcilicet per Feſtorum multitudinem impediretur Officium commune de Feriis.

Quoniam vero Officium iſtud de quinque Plagis recte admodum compoſitum eſt, transferri poſſet ad Dominicam Palmarum, ut eo magis diverſum reddatur Officium de tempore Paſſionis, quo Jeſus agens animam potius repræſentatur, quam patiens; repræſentatur enim plerumq; petens liberari a malis, quæ ſibi ab inimicis parabantur, *Erue a framea . . . Eripe me . . . . De ore leonis . . . .* &c. Hymni præſertim Veſperarum, *Prome vocem*, & alii cantabantur in Majore Hebdomada, incipiendo a Dominica uſque ad Feriam quintam; poſſent etiam dici Reſponſoria hujus Officii, non immutatis Dominicæ Palmarum Lectionibus, neque Evangelio, quia legitur Paſſio ad Miſſam, & pro Tractu Pſalmus *Deus, Deus meus*, ad Capitula retineri verba Zachariæ, qui directe de Jeſu Chriſto loquitur

quitur in ſenſu adeo litterali, ut nequeat aliis applicari ; & poſſent etiam dici Antiphonæ Laudum.

In Officio de Feria Cluniacenſes, & nova Breviaria continuant Lectiones de Scriptura currente diebus Feriæ, & pro tertia Lectione Evangelium legunt cum Homilia. Romæ a Septuageſima uſque ad Paſcha ultimum Reſponſorium Dominicæ refertur ad Evangelium ; quod fieri poſſet etiam in Feriis. Hujuſmodi Reſponſoria in novis Breviariis occurrunt.

CAPVT XLV.

Obſervationes ſuper Evangelia Quadrageſimæ.

FEria quarta Cinerum J. Chriſtus eorum condemnat hypocriſim, qui oſtentationis cauſa jejunant ; & qui terrena appetunt, ut S. Auguſtinus explicat in Homilia.

Feria quinta oſtendit Centurio, & fidem in J. Chriſtum, & perfectam humilitatem ſuam, ſe indignum judicans, ut intret Dominus ſub tectum ſuum. In Homilia obſervat S. Auguſtinus, parum eſſe, Chriſtum corporaliter recipere, niſi etiam ſpiritualiter recipiatur.

Feria ſexta dilectio præcipitur inimicorum. Docet S. Hieronymus in Homilia, S. Stephanum, & Jeſum Chriſtum ipſum pro inimicis deprecatos fuiſſe.

Sabbato Navis Petri in medio marventis jactata repræſentat, ut inquit Beda, ſæculi adverſantis undas, Sanctam Eccleſiam agitantes ; quam Chriſtus tueri non deſinit, & confirmare.

Dominica prima loquitur de ſolitudine Chriſti in deſertum ducti, deque ejus jejunio quadraginta dierum. Duo iſta media proponit S. Gregorius, ne vincamur a tentationibus, quæ in vitæ curſu evitari non poſſunt.

Feria ſecunda eſt expoſitio generalis Judicii. S. Auguſtinus æternum ignem explicat, & damnatorum æternas pœnas.

Feria tertia cultum deſignat domui Dominidebitum, & quantopere puniantur, qui ſacram Domini domum profanant. Homilia verſatur etiam circa Miniſtros Eccleſiæ, qui in Templo Dei res ſacras vendunt, & pretium de impoſitione manus accipiunt.

Feria quarta Jeſus Chriſtus proponit exemplum Jonæ, & Reginæ Auſtri, quæ ad ſapientiam Salomonis audiendam venerat. Homilia Jonam explicat tamquam Chriſti reſurgentis figuram.

Feria quinta Evangelium eſt de Chananæa ; quam cernimus Paganam fuiſſe, & de Phœnicia, unde Syrophœniſſa a S. Marco appellatur. S. Hieronymus docet, hanc mulierem primam inter Gentes ad Dominum ſe convertiſſe, ei Dominum non diſtuliſſe concedere quod petebat, quamvis non eſſet de natione Judæorum, ad quos primum ſanandos venerat ; proponitque hanc fœminam fidelibus tamquam fidei, humilitatis, & patientiæ exemplar.

Feria ſexta Piſcina Jeruſalem demonſtratur, in qua mira quotannis fiebat curatio languentium, aquis ab Angelo ſuis deque verſis, applicaturque a S. Ambroſio Baptiſmati, in quo peccatorum accipitur remiſſio.

Sabbato, & Dominica ſecunda habetur Myſterium Tranſfigurationis J. Chriſti ; & expoſitio S. Leonis oſtendit, Jeſum Chriſtum ſe tranſfiguraſſe, ut Apoſtolorum firmaret fidem. Putavere nonnulli, Tranſfigurationem hanc ſub finem Hiemis contigiſſe ; ſed plerique Interpretum contigiſſe affirmant poſt Paſcha tantum, & circa Æſtatem.

Feria ſecunda Jeſus Chriſtus minatur Judæis impœnitentibus mortem in peccato ſuo ; & S. Auguſtinus in Homilia occaſionem arripit Cathecumenos hortandi ad ſuſceptionem Baptiſmi, & peccatores ad converſionem.

Feria tertia præcipit Dominus, Phariſæos ſuper cathedram Moyſi ſedentes audiendos eſſe ; atque etiam S. Hieronymus ait, audiendos quidem eſſe Miniſtros Eccleſiæ, qui in nomine Domini loquantur, licet eorum vita dictis eorum minime reſpondeat.

Feria quarta Jeſus Chriſtus petitionem rejicit ambitioſam a muliere Zebe-

dæi factam pro filiis ſuis, qui erant Apoſtoli; quam S. Hieronymus applicat illis, qui nullis meritis, nulla laborum perpeſſione vellent ad gloriæ palmam pervenire.

Feria quinta malus Dives deſcribitur; hanc quidam arbitrantur eſſe parabolam, Lazarumque in ea deſcriptum nomen eſſe generale cujuſdam pauperis, lepra, aliiſque infirmitatibus laborantis, atque omni prorſus auxilio deſtituti, quod quidem ſignificat Hebraice nomen Lazari, ſeu Eleazari. Credunt alii non fictam Hiſtoriam eſſe, ſed veram, quia ibi Jeſus Chriſtus perſonam pauperis proprio designat nomine, quod in parabolis fieri non ſolet. Divitem hunc condemnatum proponit S. Gregorius divitibus ſæculi, qui bonis male utuntur ſuis; & pauperum exprimit felicitatem, qui paupertatem, patienter ferunt.

Feria ſexta videtur Chriſtus ſemetipſum oſtendere, Judæorum perſecutioni obnoxium, ut explicat S. Hilarius, affirmans, Jeſum Chriſtum Judæis oſtenſurum, ſe illum eſſe lapidem quem reprobaverunt per mortis damnationem, & ſuper fundamentum Apoſtolorum ædificaſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam.

Sabbato occurrit Hiſtoria Filii prodigi, quam S. Ambroſius Chriſtiano applicat abutenti divinis donis, & a malis deinde moribus ad Deum revertenti.

Dominica tertia Evangelium legitur Dæmonii muti. Explicat Beda conatus Dæmonis nos tenentis, & converſionem noſtram impedire cupientis.

Feria ſecunda ſe Jeſus Chriſtus excuſat, quod pauca in patria ſua miracula operaretur, quia virtute aliqua præſtantes homines majori in pretio apud exteros habentur, quam in Patria, ut exponit S. Ambroſius, qui refert etiam ad Sacramentum Baptiſmi curationem Naaman Syri, qui per Jordanis fluenta mundatus eſt.

Feria tertia Evangelium indicat fraternæ correctionis modum. S. Auguſtinus memorat gradus omnes, qui a charitate proficiſcuntur, ut frater utiliter corrigatur.

Feria quarta arguit Evangelium ſuperſtitioſas traditiones Judæorum, propter quas Divinam tranſgredientes legem, Mandato Dei traditionem Seniorum præferebant, ut obſervat S. Hieronymus, aſſerens, non corpora, ſed animas lavandas eſſe, magiſque ſtudendum moribus emendandis, quam vel externis Legis cæremoniis, vel ſtultæ corporis elegantiæ.

Feria quinta Socrus Simonis mirabiliter ſanata deſcribitur; quod S. Joannes Chryſoſtomus ad peccatores refert, qui a Domino ſanantur interius, quando divinæ gratiæ non reſiſtunt.

Feria ſexta converſio exponitur Samaritanæ mulieris; quam nonnulli ſub nomine S. Photinæ fecere Sanctam; eamque Græci ſub eo nomine colunt tamquam Martyrem die 20. Martii. Monachi Caſſinenſes in Eccleſia S. Pauli Romæ caput oſtendunt S. Photinæ, quam credunt eſſe Samaritanam; verum in Martyrologio Romano dicitur tantum de iſta Photina, quod mulier eſſet de Samaria, non vero quod illam Dominus convertiſſet. S. Auguſtinus colloquium Chriſti cum Samaritana aſſimilat gratiæ per aquæ figuram adumbratæ.

Sabbato Evangelium dicitur de femina adultera; oſtendit S. Auguſtinus manſuetudinem Chriſti in iſtius converſione mulieris, proponitque exemplum Miniſtris Eccleſiæ, ut patientes invigilent peccatorum ſaluti.

Dominica quarta proponitur quinque millium hominum ſaturatio de quinque panibus, quæ a S. Auguſtino minori miraculo digna oſtenditur, quam gubernatio totius mundi; hanc tamen miratur nemo: illam miratur omnes, non quia miraculum majus ſit, ſed quia rarum.

Feria ſecunda legitur punitio, quam Jeſus Chriſtus ab eis exegit, quos invenit in Templo Jeroſolymæ vendentes; quod ſignificat, juxta S. Auguſtinum, flagella quibus punientur ii, qui proprium corpus, & animam polluunt, quæ ſunt Templa Spiritus Sancti.

Feria tertia Jeſus Chriſtus doctrinam ſuam per miracula probat; quapropter S. Auguſtinus Fideles hortatur, ut credant in Chriſtum, cujus doctrina de cœlo

cœlo eſt, & ut vivant operando quod credunt.

Feria quarta legitur Evangelium de Cœco a nativitate, quem Chriſtus de ſaliva luto facto ſanavit, oculos ejus inungens, miſitque ad piſcinam Siloe, ut ſibi lavaret oculos; quod S. Auguſtinus aptat Cathecumenis, qui ut curentur a cœcitate ſpirituali, Baptiſmi lavacro ſunt abluendi.

Feria quinta legitur Reſurrectio filii Viduæ; inquit S. Ambrosius, ſicut mater unici filii reſurrectionem lacrymis ſuis meruit impetrare, ita Eccleſiæ multis precibus plures peccatores ad vitam revocari, & reſurgere ad Gratiam.

Feria ſexta exponitur Reſurrectio Lazari. S. Auguſtinus ait, Lazarum mortuum, & in tumulo clauſum imaginem eſſe peccatorum in peccato marceſcentium, & quidquid operatus eſt Chriſtus in Lazaro ſuſcitando, diverſa gratiæ opera ſignificare in peccatoribus convertendis. In quibuſdam Eccleſiis celebratur ea die lacrymarum cultus, quas Chriſtus effudit in reſurrectione Lazari; & ut hæc pietas ſenſibilis redderetur, harum lacrymarum etiam imagines factæ ſunt, & Populorum oculis expoſitæ, quibus aſſueti honorem præbere, non ſecus, ac veras Chriſti lacrymas, lacrymarum imagines venerati ſunt; ut cernitur in Eccleſia Trinitatis Vindocinenſi, aliiſque nonnullis Eccleſiis Galliæ. Videtur mihi cultus iſte lacrymarum Chriſti perquam ſuperſtitioſus, neque ſatis intelligo, cur ab Epiſcopo Diœceſis Vindocinenſis non prohibeatur. Sola expoſitio hiſtorica iſtius lacrymæ puram fabulam ſapit; ajunt enim, lacrymas a Chriſto ſuper Lazarum profuſas ab Angelo in vaſe collectas, & dono datas Magdalenæ, quas in Galliam delatas S. Maximino tradidit Aquenſi Epiſcopo, a quo in ſua Eccleſia ſervatæ ſunt uſque ad tempora Conſtantini, quo imperante Conſtantinopolim adductæ, inde reductæ ſunt Vindocinum an. 1042. a Godefrido Martello, Comite Andegavenſi, & Vindocinenſi, cui a Michaele Paphlagone Græcorum Imperatore donatæ fuerant.

Sabbato Jeſus Chriſtus ſe mundi lucem eſſe demonſtrat; quod S. Auguſtinus probat in Homilia, affirmans Chriſtum lucem Soli dediſſe, & hominibus Sapientiæ donum, quo ad ſalutem perducantur.

Dominica Paſſionis Jeſus Chriſtus innocentiam ſuam coram Judæis manifeſtat, & ſuæ divinæ generationis confirmat æternitatem, inquiens, quod ipſe erat antequam Abraham fieret. Oſtendit S. Gregorius, debuiſſe Chriſtum ſine peccato eſſe, qui peccatores venerat juſtificare, atque homines ſanctos facere.

Feria ſecunda agitur de conſilio Judæorum, Chriſtum perdere meditantium; & S. Auguſtinus oſtendit eum paratum ad mortem, & ad gloriam reſurrectionis ſuæ.

Feria tertia dicitur, quod Jeſus Chriſtus ſe abſcondebat Judæis, quia nondum venerat hora ejus, unde argumentum ſumit S. Auguſtinus affirmandi, quod Chriſtus libere mortuus eſt, & quando voluit.

Feria quarta agitur de Judæorum deliberatione Chriſtum perdendi, quando venit in Templum, quo die Dedicatio Templi celebrabatur. Oſtendit S. Auguſtinus, qua ratione Judæorum inſidias devitaverit.

Feria quinta Hiſtoria exponitur converſionis peccatricis mulieris; quam S. Gregorius tamquam exemplar proponit peccatoribus ſe convertentibus; adeo ut fiant peccatorum ſupplicia quæcumque fuerant inſtrumenta peccandi.

Feria ſexta deſcribitur metus Judæorum, Romanorum Imperium, & jugum formidantium, ni Chriſtum de medio tollerent. S. Auguſtinus declarat Judæorum ſtultitiam, qui quamvis Chriſtum ſuſtuliſſent, Romanorum jugum non potuerunt effugere, neque libertatem ſolummodo, ſed æternam amiſerunt hæreditatem.

Sabbato Judæorum exponitur conſilium interficiendi etiam Lazarum, poſtquam a Chriſto ſuſcitatus fuerat; & S. Auguſtinus ſtultam eorum improbat cogitationem, cœcamque ſævitiam, qui

dum

dum inferre Lazaro tentabant necem, non auferebant Domino poteſtatem, nam quæ virtus ſuſcitare potuit mortuum, eadem quoque potuiſſet occiſum.

CAPVT XLVI.

De Dominica prima. Quadrageſimæ.

HÆc Dominica, *Quadrageſima* appellata, toti Quadragenario numero nomen dedit, videturque nonniſi ad poſtremos quadraginta jejunii dies pertinere: neque proprie incipit Quadrageſima, niſi hodie, ut ait Micrologus c. 24. *Hoc autem initium Quadrageſimæ, non a capite ieiunii, ſed a ſubſequenti Dominica eſt computandum; namquamvis a capite ieiunii pro quodam complemento Quadrageſimalis abſtinentiæ incipiamus, a ſubſequenti tamen Dominica juxta aſſertionem S. Ambroſii, S. Gregorii, & aliorum Patrum, Quadrageſimam proprie exordimur.* In quibuſdam Ordinariis legitur *Dominica initium Quadrageſimæ*, & pſeudo-Alcuinus ait, *Quadrageſima incipit a ſequenti Dominica poſt Quadrageſimam*. Joannes Belethus *cap.* 93. Durandus *lib. 6. cap.* 2. idipſum affirmant, quod nempe Quadrageſima incipit a prima Dominica poſt Quinquageſimam: volunt alii, quod hæc Dominica ideo appellata ſit Quadrageſima, quia ab ea uſque ad feriam quintam in cœna Domini quadraginta numerentur dies. Poſt decimum ſæculum Dominica iſta ſæpius appellatur Dominica *Ceterorum*, quia hodie quicumque nimia licentia Bacchanalia tranſegerat, ad Eccleſiam veniebat, cerea offerens dona, ut ad publicam pœnitentiam admitteretur.

In Dominicis quadrageſimæ, ſicut in Dominicis Adventus, & poſt Septuageſimam, Epiſtola Miſſæ diviſa eſt in Capitula, quæ legi incipiunt a Veſperis Sabbati. Hymnus *Audi benigne conditor* S. Ambroſio attribuitur; quod tamen nullo modo exploratum eſt, cum Hymnorum ejus ſtylum non redoleat: idemque affirmo de Hymno Matutini *Ex more docti myſtico*, qui eidem Patri tribuitur. Illi quidem Hymni ſublimes minus ſunt, ſed minus etiam ſteriles; tum affectus ac ſententias exhibent validiores, quam pleraque S. Ambroſii carmina. Hymnus Laudum, *Jam Chriſtus Sol inſiſtit*, S. Gregorio adſcribitur, nec videtur a ſimplici pioque hujus Pontificis ſtylo diſſentire.

Inquit Amalarius de Ordin. Antiph. c. 35. quod Invitatorium *Non ſis vobis vanum* non dicebatur niſi ad dimidium Quadrageſimæ; & quod ab eo anticipatum eſt, juſſumque, ut a prima Dominica diceretur.

Ad Lectiones primi Nocturni, hodie Genesis curſus interciditur, & dicuntur Lectiones, quæ cohortandis hominibus ad pœnitentiam aptiores videantur.

Reſponſoria eodem ſpiritu plena ſunt, multumque idonea ad excitandos homines ad jejunium, ad converſionem, ad orationem, ad eleemoſynam, totumque Quadrageſimæ ſpatium ſancte transigendum. Cum de iis autem Amalarius mentionem faciat loco citato, pervetuſtum admodum Officium eſſe colligitur.

Obſervat etiam Amalar. l. 4. c. 19. quod hodie crebro repetitur Pſalmus *Qui habitat*, tum in Miſſa, tam in Reſponſoriis, ut certamina, & tentationes memorentur, quibus vita noſtra obnoxia eſt; & cum hoc Pſalmo uſus ſit Dæmon, ut Chriſtum tentaret, nos illum dicimus ad impetrandas vires contra aſtus, & artes Dæmonis, in illo repetentes cum fide, quod ipſe abutens Scripturæ verbis auſus eſt dicere, *Angelis ſuis mandavit de te*. Jeſus Chriſtus tentatus exemplar eſt noſtrarum tentationum, at Jeſus Chriſtus, Satanæ victor, nos pariter ad eum vincendum inſtruit.

Habentur etiam apud Amalarium l. 4. cap. 36. Antiphonæ Laudum, *Commundum*, & ſequentes.

Habebatur alias Hymnus proprius in ſecundis Veſperis Dominicarum Quadrageſimæ, quem Clemens VIII. ſuppreſſit, & repeti juſſit *Audi benigne conditor*.

Ela-

Digitized by Google

Eloquentiſſimus eſt Sermo S. Leonis in ſecundo Nocturno, indicatque, Quadrageſimam Romæ corporali quadraginta dierum jejunio fuiſſe diſtinctam, ut jejunantium animi ad Feſta Paſchalia diſponerentur. Neceſſitatem corrigendi mores his jejunii diebus oſtendit.

Miſſa quoque apud Amalarium l. 1. c. 4. eſt, qualis a nobis dicitur, Introitus *Invocabit me*; Epiſtola *Tempore accepto*; Tractus *Qui habitat*, Evangelium de tentatione J. Chriſti.

Animadvertendum eſt etiam, quod in Dominicis Quadrageſimæ numquam jejunatum eſt; extat ſermo S. Valerii, ſeu Valeriani, Auctoris quinti ſæculi, qui interfuit Concilio Rejenſi an. 439. contra abuſus eorum, qui in Dominicis Quadrageſimæ indulgebant ventri, id ſibi licere rati, quod iis diebus ſervare jejunium non juberentur. Quos tamen S. Valerianus hortatur, ut etiam in Dominicis nonnihil retineant Quadrageſimalis diſciplinæ ſervantes modum, & gulę intemperantiam cohibentes.

Obſervat Durandus l. 6. c. 28. quod in quibuſdam Eccleſiis non dicebatur Præfatio Quadrageſimæ in Dominicis, quia in iis non jejunatur, neque in diebus Feſtis occurrentibus in Quadrageſima, & quod in Dominicis, & Feſtis dicebatur Præfatio communis. Mediolani in Dominicis Quadrageſimæ neque Hymni dicuntur Quadrageſimæ, ſed Hymni de Dominica conſueti: idque etiam præſcribitur in Conſuetudinibus Cluniacenſium apud Udalricum.

In nonnullis Eccleſiis detegebantur Altaria, & Imagines in Dominicis, & Feſtis novem Lectionum.

CAPVT XLVII.

Obſervationes variæ in Quadrageſimam.

QUamvis Jeſus Chriſtus quadraginta dies jejunaverit, non tamen quadraginta dierum præſcripſit jejunium, neque Apoſtolis jejunare præcepit, niſi cum Sponſus ablatus fuerit, quod fuit ſpatium inter mortem ejus, & reſurrectionem. Quapropter ab initio Fideles Feriam ſextam, & Sabbatum generali conſecravere jejunio, & quadraginta illas jejuni horas, tranſigebant quibus in Sepulchro Chriſtus moratus eſt. S. Auguſtinus (*Ep. ad Caſul.*) declarat, nil Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos decreviſſe circa dies, quibus in Eccleſia jejunandum eſſet, licet jejunium generatim per Evangelium, & Apoſtolos præſcriptum ſit. Jejunii tempus, de quo loquitur S. Lucas (*Act.* 27.) dum S. Paulus a Palæſtina Romam navigaret, non erat Quadrageſima, ſed magnum jejunium Judæorum, quod circa finem Septembris occurrebat. Primi Fideles imitari conati ſunt quadraginta dierum jejunium a Chriſto peractum, eorumque pietas brevi tempore per totam Eccleſia diffuſa eſt adeo, ut cum quadrageſimale jejunium communi omnium uſu firmatum cernerent, Tertullianus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Leo ex traditione Apoſtolica derivatum fuiſſe dixerunt. Tertulliani ævo Montaniſtæ, ut a Catholicis diſtinguerentur, tres jejunare Quadrageſimas geſtiebant. Ignoratur autem, utrum illorum occaſione Eccleſia Quadrageſimam cunctis Fidelibus præſcripſerit; cernitur autem circa dimidium tertii ſæculi in Conſtitutionibus Apoſtolicis (*lib. 5. c. 12.*) in Concilio Niceno *Can. 5.* in Laodiceno *Can. 6.* apud Socratem, & Sozomenum; cœptum eſt autem jejunium præcipi Feria ſexta, & Sabbato Sancto, quemadmodum refert Tertullianus (*De jejun. c. 2. & 13.*) quod illa jejunia de præcepto eſſent, & ab Apoſtolis præſcripta: *In Evangelio dies illos determinatos patuit . . . . & Apoſtolos obſervaſſe . . . . . nullum aliud imponentes jugum obeundorum jejuniorum.* S. Irenæus videtur duobus hiſce diebus alludere, cum de jejunio loquitur quadraginta horarum. Deinceps tota hebdomada Sancta jejunatum eſt. Socrates loquitur de jejunio trium hebdomadarum. Poſtea ad ſex hebdomadas, ſeu triginta ſex dies, ac demum ad quadraginta deventum eſt. Temporis decurſu

tres

tres occurrunt Quadrageſimæ ; prima ante Paſcha, altera ante Pentecoſten, & tertia ante Natale : a Græcis addita eſt quarta in menſe Auguſto, ante B. Virginis Aſſumptionem.

Tempore Quadrageſimæ ante Altare ſuſpendebatur cortina inter Sanctuarium & Clerum, quæ Altare, & Miniſtros velabat, neque retrahebatur, niſi Dominicis aut diebus Feſtis. Plerique in Monaſteriis legebantur ad Matutinum Sermones Patrum tantum, non vero de Scriptura, niſi in Dominicis. Habebantur Hymni proprii per Horas, ſicut habebantur ad Matutinum, ad Laudes, ad Veſperas, & Completorium. Multiplicabantur Officia, & proſtrationes; crebræ fiebant Proceſſiones, & nudis pedibus ; lavabantur quotidie pedes ſtato pauperum numero, eiſque erogabatur eleemoſyna ; ſervabatur in Communitatibus ſilentium Feria ſecunda, quarta, & ſexta ; & ſexta ſæpius nihil comedebatur ; jubebantur populi frequenter hoc tempore communicare, & quotidie Miſſæ, & Concioni intereſſe,

In pluribus Eccleſiis tres quotidie Miſſæ dicebantur in Quadrageſima ; prima pro Defunctis poſt Tertiam ; ſecunda *pro familiaribus*, Conventualis, poſt Sextam ; & tertia de feria poſt Nonam. In Feſtis etiam dicebantur tres ; prima de Feſto, ad majus Altare ; ſecunda de jejunio, ad aliud Altare ; & tertia patiter ad Altare majus, quæ erat Conventualis. Miſſa de jejunio in paramentis nigris celebrabatur. Quibuſdam in Eccleſiis cantabatur quotidie unus e Verſiculis *Domine non ſecundum*. A Durando memoratur uſus Præfationem Quadrageſimæ non dicendi in Dominicis, quia in Dominicis non jejunabatur ; idem tamen Auctor non negat, Præfationem dici poſſe, propterea quod jejunatur ſaltem in qualitate ciborum, hoc eſt quoquo modo ſervatur abſtinentia. Refert etiam dici *Humiliate capita veſtra* in fine Miſſæ pro iis, qui non communicabant, *lib. 6. c. 28.* & Microlegus *cap. 51.* eandem rationem affert : Quod ſcilicet quando ceſſatum eſt ſingulis Quadrageſimæ diebus communicare, adjecta eſt Precatio iſta, tamquam ſupplementum communionis. In nonnullis Ordinariis Celebrans poſt Miſſam incipiebat Veſperas ad Altare, poſt *Benedicamus* dicebat *Deus in adiutorium*, poſtea dabat Benedictionem, *Benedicat vos*, ſtabatque cum Miniſtris ad Altare, ibique Veſperas decantabat. Canonici manducabant ſimul in Refectorio per totam Quadrageſimam, etiam poſtquam facti ſunt Sæculares. In quibuſdam Eccleſiis dabatur abſolutio generalis ter in hebdomada ; in Miſſali Mozarabico ſignata eſt Feria quarta, & Sabbato poſt Offertorium. Lauduni ſingulis Quadrageſimæ diebus fiebat ad Veſperas precatio pro pœnitentibus, Antiphona *Vivo ego*, ℣. *Convertere*, & Oratio *Domine uſquequo* . . . .

CAPVT XLVIII.

De Hebdomada prima Quadrageſimæ.

FEria ſecunda Officium incipit eſſe de Quadrageſima pro Feriis, & in eo habentur Antiphonæ, Capitula, & Reſponſoria brevia propria de tempore; S. Auguſtini Homilia argumento probat validiſſimo æternitatem ignis, quo Reprobi comburendi ſunt.

Feria quinta in Homilia S. Hieronymus docet, quod Chriſtus & ad Gentiles & ad Judæos miſſus fuerat, ſed quod primum miſſus ſit ad Judæos, ut illis non recipientibus Evangelium, juſta fieret ad Gentes tranſmigratio.

Feria ſexta, S. Auguſtinus in Homilia affirmat, quadraginta dierum jejunium in Veteri Teſtamento per Moyſem & Eliam conſecratum fuiſſe, & in Evangelio per Chriſtum, quod duplicis Teſtamenti conſenſum monſtrat ; addit etiam obligationem abſtinendi a peccatis in jejunio, & jejunium Quadrageſimale ita celebrandum, ut ſit præparatio ad Paſcha.

Hac hebdomada occurrunt Quatuor Tempora Verna, ſeu primi menſis ; ab initio

initio assignata fuere primæ hebdomadæ mensis Martii, ut inquit Concilium Moguntinum anno 813. & hoc juxta ritum Romanæ Ecclesiæ; itaque occurrebant modo ante, modo post initium Quadragesimæ; sed in Concilio Selgunstadensi, prope Moguntiam, anno 1022. affixa fuerunt ipsi Feriæ quartæ, si in Feriam quartam inciderent Martiæ Kalendæ, & si inciderent in Feriam quintam aut aliam subsequentem, statutum est, ut in sequentem hebdomadam transferrentur; demum Gregorius VII. teste Micrologo, ea addixit hebdomadæ post primam Dominicam Quadragesimæ; & Quatuor Tempora Æstiva, quæ secundæ hebdomadæ mensis Junii erant annexa, apponi jussit hebdomadæ post Octavam Pentecostes. Concilium Quintilineburgense in Saxonia anno 1085. de hoc Canonem edidit, & anno 1095. Urbanus II. Decretum hoc renovavit in Concilio Claromontano in Arvernia, cui ipse præfuit, quod tamen in Anglia non tam cito receptum est, quoniam Concilium Oxoniense anno 1222. assignat etiam Quatuor Tempora Verna primæ hebdomadæ Martii, & Æstiva secundæ Junii.

Feria quarta habentur duæ Epistolæ ad Missam; prima a Veteri Testamento desumta, secunda a Novo: hoc est vestigium veteris moris dicendi in qualibet Missa duplicem Lectionem, a duplici Testamento desumtam. Non dicitur *Dominus vobiscum* ante primam Lectionem, sed *Flectamus genua*, juxta Romanum ritum audiendi flexis genibus Prophetias, & capita humiliandi ad considerationem peccatorum, quæ Dei in nos iram concitaverant, eo fine, ut preces genua flectentium placatus exaudiat; audiendi vero stando lectiones Novi Testamenti, a quo annuntiatur nobis gratia per J. Christum collata.

Feriis sextis Quadragesimæ nulla dicitur Missa Mediolani; S. Carolus in Synod. Mediol. vetuit etiam Missas de Requiem, nisi præsente corpore, ad repræsentandum Ecclesiæ luctum die mortis J. Christi, & præcepit iis diebus fieri adorationem solemnem Crucis, & super Passionis Mysterium prædicari. Ibi neque dicitur *Magnificat* ad Vesperas Feriis sextis Quadragesimæ, sed ejus loco leguntur Lectiones, & dicuntur preces.

Quod attinet ad Feriam quintam, nulla quondam Romæ habebatur Missa propria; Anastasius in vita Gregorii II. ait, quod iste Pontifex jejunium præcepit Feria quinta, eique Missam assignavit; quapropter Evangelia in Feriis quintis Quadragesimæ variant sæpius apud Auctores divini Officii, neque Romæ sunt semper eadem.

Sabbato celebrabatur jejunium maximum Quatuor Temporum; sæpe etiam jejunium Quatuor Temporum appellatum est jejunium Sabbati, eratque maximi momenti propter Ordines, quorum causa prorogabatur hoc jejunium ultra statutam horam, qua solvi poterat aliis diebus. Quandoque Lectiones duodecim lectæ sunt ad Missam, ut sit Sabbato Sancto, deinde ad sex redactæ sunt, quæ legebantur Græce, & Latine, quod duodenarium complebat numerum; ac propterea iste dies appellatur ubique Sabbatum duodecim Lectionum.

Evangelium hujus diei est de Transfiguratione, & Homilia S. Leonis ad Matutinum hujusmodi Mysterium exponit. Incertum est, qua occasione iste Pontifex in hoc Mysterium prædicaverit; fieret ne Romæ ætate sua Festum ea die, an vero occasione Evangelicæ lectionis Sermonem fecerit? Mihi magis videtur verisimile, quod tunc Romæ Festum de Transfiguratione fieret quadam Dominica ante Paschа, & quod Pontifex ille, cum prædicasset in Festis Natalis, Epiphaniæ, de jejunio, & tentatione Christi, de Passione, Resurrectione, & Ascensione, idem fecerit etiam in Festo Transfigurationis; Festumque assignatum fuerit Dominicæ secundæ in Quadragesima, inter jejunium & Passionem Domini; cum enim reliqui omnes istius Patris Sermones nonnisi occasione alicujus Festi, quod ævo suo celebraretur, habiti fuerint, idipsum videtur dicendum de Sermone seu Homilia de Transfiguratione. Indicat statim Sermonis initio, Evangelium de hoc Mysterio mox lectum fuis-

se : *Evangelica lectio quæ pulsavit auditum, ad magni Sacramenti intelligentiam nos vocat.*

Ad hodiernam Missam non dicitur *Flectamus genua* in postrema Missæ Collecta, propterea quod non raro accidebat, ut cum ad istam Orationem ventum esset, inciperet nocturnum Dominicæ tempus, quo genuflectere non licebat; qua de causa neque Oratio dicitur super Populum, ut ait Joannes Abrincensis.

CAPVT XLIX.

Dominica secunda Quadragesimæ.

DOminica ista diu appellata est vacans, *Dominica vacans*, hoc est sine Officio, vel saltem sine Missa, siquidem Missa Sabbati totam noctem occupaverat usque ad ortum Solis; itaque quiescendi gratia post diuturnam vigiliam non amplius fiebat mane conventus; numquam enim in more habitum fuit Missam dicendi vespere in Dominicis, neque hoc fiebat nisi diebus jejunii; quare Missa nocte Sabbati, Dominicam præcedente celebrata, habita est tamquam Missa propria de Dominica, quia in ea fiebat Ordinatio, Dominicæ potius quam Sabbato assignata. S. Leonis ad Dioscorum Epistola Ordinationem huic nocti addicit, ita tamen, ut nocturnæ Ordinationis finis initium diei Dominicæ sequentis attingens, tempus Dominicæ Resurrectionis designaret, ut ait iste Pontifex. In honorem igitur Jesu-Christi Resurrectionis, quæ summo Dominicæ mane contigit, factum est, ut Ordinatio & Missa a nocte Sabbati usque ad Dominicam perduceretur. Commendat autem S. Leo, ut saltem Ordinantes, & Ordinandi essent jejuni, nec nisi cæremonia completa jejunium solverent.

Postea vero in diem Sabbati anticipata est & Missa & Ordinatio, ita ut eo die soluto jejunio, & data facultate quiescendi nocte sequenti, Missa quoque substituta fuerit pro Dominica; in qua retentum est Evangelium de Transfiguratione, nempe Evangelium Sabbati quod repetitur; repetebatur etiam totum Officium Sabbati præcedentis, exceptis Lectionibus Veteris Testamenti, ut observat Micrologus c. 14. alii repetebant Missam Feriæ quartæ, atque etiam hodie Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio sunt Feriæ quartæ præcedentis, una tantum adjecta Epistola.

In quibusdam Ecclesiis legebatur hodie Evangelium de Chananæa, desumtum a Feria quinta præcedenti; illud habet etiam *Comes Hieronymi*. In nonnullis Ordinariis signatur in prima Missa Evangelium de Chananæa, & in secunda Evangelium de Transfiguratione; in aliis legebatur Transfigurationis Evangelium secundum Marcum, ut distingueretur ab Evangelio Sabbati, quod legitur secundum Matthæum, ne scilicet idem Evangelium repeteretur. Hoc in usu est apud cluniacenses.

Hodie ad primum Nocturnum resumitur Liber Geneseos, & Responsoria sunt de Historia Isaac & Jacob, quæ lecta est. Excusat S. Augustinus mendacium Jacob, verbisque hujus Patriarchæ mysticam tribuit significationem. Antiphonæ Laudum sunt apud Amalarium de Ord. Antiph. c. 38.

CAPVT L.

Dominica tertia Quadragesimæ.

DOminica ista in Sacramentario Gelasii, aliisque non paucis appellatur *Dominica Scrutiniorum*, eo quia hac die fieri solebat examen Catechumenorum, qui ad recipiendum in fine Quadragesimæ baptismum disponebantur. In quibusdam Ecclesiis hoc primum scrutinium fiebat solummodo Feria quarta subsequente; sed in antiquis Libris signatum est hodie Romæ, & preces etiam leguntur quæ fiebant, *Pro Scrutinii Electorum*, & quoniam fiebant etiam Exorcismi super his, qui ad Baptismum disponebantur, tamquam adhuc sub potestate Dæmonis ante Sacramen-

Digitized by Google

mentum exiſtentibus, ideo legitur Evangelium, in quo mutus Dæmoniacus a Chriſto liberatus eſt.

Feria quinta in dimidio Quadrageſimæ collecta ss. Coſmæ & Damiani retenta eſt in Officio, quod hodie fieri ſolebat in eorum Eccleſia, ubi erat Statio. Evangelium habet etiam relationem quamdam ad Sanctos; cum enim Medici eſſent, in eo agitur de curatione morborum varia a Salvatore peracta. Fiebat plerumque Commemoratio Sanctorum Titularium illius Eccleſiæ, ubi Officium celebrabatur, ut ſit in Oratione *Acunctis*: itaque retenta eſt Collecta, & fortaſſe tota Miſſa, quia Romæ ea die, hoc eſt Feria quinta nulla Miſſa habebatur; hinc cum primum in illa Eccleſia Statio inſtituta eſt, dicta fuit Miſſa eorum feſto aſſignata; hæc proinde collecta in Sacramentario Gregorii non reperitur.

Sabbato Statio eſt ad S. Suſannam Virginem & Martyrem; & perinde ac ſi de iſta Sancta fieret Officium, in Epiſtola legitur Hiſtoria Suſannæ Babylonicæ, & in Evangelio mulieris in adulterio deprehenſæ hiſtoria, ut ſcilicet quadam veluti alluſione ad nominum ſimilitudinem facta, cultus aliquis memoriæ hujus Sanctæ tribueretur. En autem, quomodo ex ſimilitudine nominum alicui perſonæ tributum ſit, quod ad plures cognomines pertinet.

CAPVT LI.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

Hic dies appellatur *Dominica lætare* quia ab hiſce verbis incipit Introitus Miſſæ; vel *Dominica in Roſa*; eratque Romæ admodum celebris: quinimmo ab ea tantum incipiebat fieri Officium de Quadrageſima, quod deinceps anticipatum eſt ad Dominicam primam Quadrageſimæ, ut advertit Amalarius; ac propterea ejuſdem tunc erat ritus, ac hodie dies prima eſt. Feſtum hoc celebrabatur externis lætitiæ ſignis, quæ a Feria quinta in media Quadrageſima ad hanc diem translata ſunt, ut Populi in jejuniorum curſu ſolatium invenirent; Officium verbis *Lætare* plenum eſt: fiebat hodie Imperatorum Coronatio, & ſolemnitas Roſæ aureæ, quam Pontifex magna cum cæremonia benedicebat. Hujuſmodi ritum cernimus in Vita Leonis Papæ IX. circa annum 1050. qui tributum ſeu penſionem annuam impoſuerat cuidam Abbatiæ, ut ſatis eſſet expenſis iſtius Roſæ aureæ, cujus cæremonia undecimi proinde foret ſæculi; & deinceps Pontifices una cum Cardinalibus roſeo colore indutis ſolebant agmine inſtructo progredi ad Eccleſiam S. Crucis, ubi dicebatur Miſſa, & fiebat Roſæ aureæ benedictio; poſt Evangelium prædicabatur, & Roſæ iſtius ſignificatio allegorica explicabatur; exſtat unus ex his Sermonibus inter habitos ab Innocentio III. decimotertio ſæculo. Pontifices Roſam iſtam vel alicui perſonæ celebri & excellenti offerebant, vel alicui Principi deferri imperabant.

De iſta Roſa ſermo habetur in Hiſtoria Fulconis Comitis Andegavenſis in Spicileg. f. 10. ubi dicitur, quod Urbanus Papa II. Turonum venit, ibique Dominica quarta in media Quadrageſima coronatus, florem aureum, quem geſtabat in manu, prædicti Comiti dono dedit. Eugenius III. in Epiſtola ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem ait, ſe ei mittere Roſam auream, quam Romanus Pontifex ſingulis annis benedicere ſolet in Dominica *Lætare*, in Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis honorem. Alexander III. idipſum ſcribit ad Ludovicum VII. Gallorum Regem, eique myſticas Roſæ ſignificationes exponit. Idem Pontifex Roſam donavit Venetorum Reipublicæ anno 1177. Itaque fallitur Auctor Vitæ Innocentii IV. qui de eo Papa tradit, quod primus Roſam auream benedixerit, eamque Canonicis S. Juſti Lugdunenſibus miſerit.

Romæ Cardinales hac die, depoſito violaceo, roſeum colorem induunt. Hæc Dominica appellatur etiam de

Digitized by Google

quinque Panibus, propter lectionem Evangelicam hodie occurrentem de panibus multiplicatis : olim conjungebatur hoc miraculum cum miraculo Nuptiarum in Cana die Epiphaniæ. Vide S. Augustinum *Serm. 7. de Epiph.*

Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ fiebat magnum Scrutinium eorum, qui Paschate erant baptizandi. In ea legitur Evangelium de Cœco a nativitate, qui cæcitatem animæ ante Baptismum repræsentat. Epistola est promissio aquæ purę Populum purificantis, a Deo facta Populo suo, hoc est promissio Baptismi J. Christi, cujus sanguis aquæ communicavit virtutem detergendi & purificandi credentes in eum. Duæ legebantur Epistolæ, quæ totidem erant instructiones pro Catechumenis ; nomina illis imponebantur post oblationem pro ipsis a patrinis factam ; de iis memoria habebatur in *Memento*, & pro iis precabatur Sacerdos in Oratione *Hanc igitur oblationem*, ut mos est pro Baptizatis in hebdomada Paschatis. Hi Catechumeni non assistebant Missæ, sed exibant ab Ecclesia post Evangelium. Scrutinia hæc incipiebant Dominica tertia, Feria secunda, & Sabbato sequentibus ; sed magnum Scrutinium, nempe tertium, ubique fiebat hodie. Acolytus circa horam Nonam ordinatim componebat eos qui ad Baptismum offerebantur, masculos ad dexteram, & feminas ad lævam locans ; eorum nomina in variis scribebat schedulis ; deinde Presbyter cum pollice signabat singulos signo Crucis in fronte, postea manus singulorum capiti imponebat, precationem quamdam subjungens ; deinceps fiebat exorcismus talis, hoc est benedicebatur coram illis, sicut benedicitur Sal pro Aqua benedicta in Dominica, & de illo Sale benedicto in singulorum os immittebat ; & data ipsis benedictione, jubebantur egredi e vestibulo Ecclesiæ ; inchoato Missæ Introitu, Acolytus nominatim revocabat omnes, ordinatimque disponebat ut antea ; deinde Diaconus dicebat *Flectamus genua* ante Collectam ; repetebatur super eos signum Crucis cum pollice in fronte factum, & exorcismus, expansis super eos manibus ; verum preces istæ & Exorcismi a prioribus differebant ; deinde legebantur duæ Lectiones Ezechielis & Isaiæ cum suis Gradualibus ; & ante Evangelium fiebat cæremonia unctionis aurium cum saliva, quæ appellatur *De apertione aurium*, tamquam si aperirentur Cathecumenis aures ad audiendum Evangelium & Symbolum quod ipsis legebatur & explicabatur ; aures autem a Presbyteris ungebantur. Legebatur initium quatuor Evangelistarum, & post cujusque lectionem brevis fiebat explanatio, deinde recitari Symbolum jubebatur, & breviter etiam explicari. Extant apud S. Augustinum quatuor ejusmodi Sermones *De Symbolo ad Catechumenos* ; S. Ambrosius recitati jubebat Symbolum in Dominica Palmarum ; idipsum in usu erat in Gallia, & in Hispania ; in Africa recitabatur quatriduo ante Pascha, & Romæ Feria quarta hebdomadæ quartæ. Post recitationem & explicationem Symboli ad Orationem Dominicam transibatur, cujus singuli articuli a Presbytero exponebantur ; postea jubebantur Catechumeni egredi Ecclesia ; continuabatur Missa ; Patrini ad Altare oblationem deferebant ; ad Oblationem recitabantur nomina Patrinorum, & ad finem Canonis, & ante Consecrationem, recitabantur nomina Catechumenorum, qui in Scrutinio fuerant admissi ; Patrini communicabant ; deinde omnes remittebantur usque ad Feriam quartam majoris hebdomadæ ; tum vero admonebantur, ut Sabbato Sancto de mane adessent Ecclesiæ, rationem reddituri de Symbolo, aliisque Institutionibus ; ipsis significabatur hora, qua baptizandi essent, vel nocturna, vel etiam vespertina, sicut deinceps factum est, quando anticipatum est nocturnum Sabbati officium.

Hodierna Missa signatur ab Amalario l. 1. c. 8. prima Lectio Ezechielis, *Sanctificabo* ; secunda Isaiæ, *Levamini* ; Graduale, *Beata Gens* ; quo fini-

finito aurium & narium fiebat unctio, Exorciſmi, Signa Crucis, & aliæ Preces, appellaturque *Maximum inter ſeptem Scrutinia*. Evangelium Cæci a nativitate, qui in Piſcina ſe abluens viſum recepit, eſt imago Catechumeni, qui Fidei lumine clarificari debet, in aquis Baptiſmatis ſeſe abluens.

Quacumque die congregarentur Catechumeni, repetebantur Exorciſmi & unctio cum ſaliva, & ſingulis diebus mutabantur preces pro Exorciſmis; quapropter in noſtris Ritualibus remanſerunt: in novo Rituali Senonenſi ſuppreſſæ ſunt omnes repetitiones Exorciſmorum, quæ diverſis fiebant diebus, tamquam inutiles, poſtquam ad unam eamdemque actionum ſeriem redactum eſt, id quod dividebatur in plures. In Ordine Romano reperiuntur quæcumque cæremoniæ & preces a nobis obſervantur; fiebat ſtatim ſignum Crucis ſuper frontem, *Signum S. Crucis in frontem tuum . . . peſtus tuum pono in nomine* . . . imponebantur eis manus dicendo *Omnipotens . . . reſpicere dignare* . . . . ſola hæc habetur Oratio ante Exorciſmum Salis; exorcizabatur eadem precatione, qua nos utimur, poſt Exorciſmum ſalis dicitur *Deus Patrum noſtrorum . . . . . Deus Abraham . . . . . Ergo maledicte Diabole . . . . . Æternam ac juſtiſſimam pietatem*. Adjungebantur aliæ Preces & Exorciſmi, qui non ſunt amplius in noſtris Ritualibus.

Sabbato iſtius hebdomadæ fit Ordinatio; ſignata eſt in Ordine Romano *In ſeptima Mediana*, tamquam in hebdomada mediæ Quadrageſimæ, quoniam Quadrageſima non incipiebat niſi poſt primam Dominicam Quinquageſimæ, hoc eſt, cum ſex tantum conſtaret hebdomadis, proprie Dominica quartæ hebdomadæ dimidium temporis conſtituebat, ideoque media Quadrageſima appellabatur. Gelaſius Papa vocat Sabbatum *Medianæ* inter dies, quibus fiebat Ordinatio, *Mediana Quadrageſimæ dies*. Sugerius Abbas S. Dionyſii in Vita Ludovici Craſſi ait, ſe Presbyterum fuiſſe initiatum Sabbato *Medianæ*. Multiplicabantur in Quadrageſima Ordinationes, ne ſcilicet Paſchate Presbyterorum & Miniſtrorum copia deeſſet.

CAPVT LI.

Dominica Paſſionis.

LIquet ex S. Auguſtino in Ep. ad Januar. quod Feria ſexta in Paraſceve appellabatur *Dominica Paſſio*, ideſt Paſſio Domini, quod Apoſtoli Feſtum hoc inſtituerint ad honorandos cruciatus, & mortem Jeſu Chriſti. Deinde duarum hebdomadarum tempus inſtitutum eſt, ut ad illam præparemur, & quemadmodum tempori Adventus tributum eſt nomen, quod proprie convenit Natalis Feſto, *Adventus Domini*, ita etiam tempori, quod Jeſu Chriſti mortem præcedit, nomen Paſſionis ejus tributum eſt, *Dominica de Paſſione*.

Hoc tempore multum Eccleſia retinuit veteris ſimplicitatis in ſuis Officiis; non dicitur amplius tam ſæpe Doxologia *Gloria Patri*, omittitur in Pſalmis Miſſæ, in Invitatorio, & in Reſponſoriis, ut patet in quarto Concilio Toletano, *Gloria in laſtis leguntur in fine Reſponſoriorum, in triſtioribus repetitur principium*: in ſolemnitatibus lugubribus non dicitur *Gloria Patri* in fine Reſponſoriorum, ſed eorum principium repetitur. Omittuntur etiam Suffragia Sanctorum, velantur Imagines in Eccleſiis, ut repræſententur antiqua ſimplicitas, & decoratio Altarium, & Eccleſiarum, quæ nec Imagines habebant, nec ornamenta, reddaturque veluti ſenſibilis populorum oculis triſtitia, & luctus in conſideratione dolorum Jeſu Chriſti: ideoque nonnullæ etiam Eccleſiæ utuntur ornamentis nigris, ut fit in Officio Defunctorum.

Cernimus apud Amalarium l. 4. c. 2. quod Paſſionis tempus duas continebat hebdomadas: *Dies Paſſionis Domini computantur duabus hebdomadibus ante Paſcha Domini*; & quod ab eo die incipiebat omitti *Gloria Patri* in fine Pſalmorum: *Ab illo die quando omittimus Gloria*

Digitized by Google

via Patri, duæ hebdomadæ ſunt, hoc eſt quatuordecim dies uſque in Paſcha Domini.

Dominica iſta appellatur a nonnullis Dominica de Neomenia, hoc eſt de Novilunio Paſchali, quod ſcilicet occurrat poſt Novilunium primi menſis anni, ſicut Paſcha poſt Plenilunium. Indicarum cernimus Paſſionis tempus in Sermonibus S. Leonis: quorum duodecim ſunt de Quadrageſima, & novemdecim de Paſſione, qui alternatim ſunt pro Dominica, & Feria quarta: frequentius prædicabatur quindecim poſtremis Quadrageſimæ diebus, ut Cathecumeni ad Baptiſmum, & Pœnitentes ad Communionem diſponerentur.

In pluribus Ordinariis, uti Senonenſi, Remenſi, & Cabilonenſi, adhibentur ornamenta rubea toto tempore Paſſionis; Pariſiis adhibentur nigra; Romæ color violaceus continuatur.

Cum vero totum hoc Officium lugubre ſit, ab Eraſmo improbarum fuerat affirmante, noluiſſe Chriſtum mortem ſuam lugubrem eſſe, ſed glorioſam, neque eam lugeri, ſed adorari; quod ſi Propheta in Pſalmo 68. Chriſtum inducit loquentem: *Suſtinui qui ſimul conſiſtaretur, & non fuit*, hoc ait nihil aliud ſignificare, quam quod ad mortem Chriſti pii homines debebant flere, quia patiebatur, & in tormentis erat; nunc vero cum ſit in gloria, debent omnes gaudere cum ipſo, cum & ipſa Eccleſia tempore ipſo Paſſionis non poſſit continere lætitiam ſuam dicens: *Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis*; quod hoc tempore ſæpe canit Eccleſia, nos debere gloriari in cruce, *Gloriari oportet in cruce Domini noſtri*; quod gaudium Reſurrectionis ejecit e corde Virginis, & Diſcipulorum ſenſus omnes triſtitiæ, quos habuerant in morte Chriſti; & quod Chriſtus mulieres Jeruſalem mortem ejus plorantes exprobravit; *Nolite flere ſuper me*. Pariſiensium tamen Theologorum facultas articulum hunc Eraſmi condemavit: diciturque in Cenſura, quod licet mors Chriſti glorioſa ſit, quia mortem deſtruxit, non tamen deſinit eſſe lugubris; neque ii pro quibus mortuus eſt, ceſſare debent a fletu: ad quod probandum citatur allegatus textus Pſalmi 68. & alius Zachariæ Prophetæ: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti*: dicitur, quod juxta Simeonem Prophetam in morte Jeſu Chriſti doloris gladius pertranſivit animam Matris: quod oportet etiam flere peccata hominum, quæ ſunt cauſa mortis Jeſu chriſti. Declaratur Eraſmi propoſitio contraria Catholicorum Doctorum ſententiæ, & conſuetudini univerſalis Eccleſiæ, quæ abſtinentia uritur qualibet Feria ſexta in honorem mortis Jeſu Chriſti, itemque contraria recto ſenſui Scripturarum.

Poſſet fortaſſe quiſpiam objicere, quod totum Paſſionis Officium repræſentat plerumque Jeſum Chriſtum quaſi formidantem ſupplicia ſibi parata, a quibus liberari poſtulat, ut in Horto Olivarum, *Tranſeat a me calix*. Repetitur enim ſemper, *Erue a framea, Eripe me*, quod minima viderur paſſionis ejus circumſtantia. Huic tamen objectioni mea quidem ſententia reſponderi poteſt, quod Jeſus Chriſtus noſtra ferens crimina repræſentat peccatorem in cogitatione pœnarum timidum, & parata ſibi ſupplicia formidantem, a quibus liberari per pœnitentiam petat.

Sabbato ad Veſperas Capitulum ab Epiſtola Miſſæ de Dominica deſumptum eſt. Hymnus *Vexilla* eſt a Fortunato Pictavienſi compoſitum pro Monaſterio S. Crucis Pictavienſis, a S. Radegunde extructo, ubi ipſa partem veræ Crucis ab Orientis Imperatore ſibi miſſam collocaverat. Fortunatus S. Radegundis Capellanus erat, antequam eſſet Epiſcopus Pictavienſis. In poſtrema hujus Hymni Strophe *O Crux ave ſpes unica* poſſet quidem dulcius ſententia exprimi, dicendo, *O Chriſte noſtræ victima ſalutis, & ſpes unica, ſerva pios per hanc Crucem, reiſque dele crimina*. Carthuſiani hunc Hymnum dividunt ab *Arbor decora* pro Laudibus. Pluribus in Eccleſiis genuflectitur, cum dicitur *O Crux ave*. In quibuſdam hujus Hymni Editionibus deeſt: *O Crux ave*; ſed ejus loco habetur *Salve victima, de Paſſione*.

ſionis gloria, Qua vita mortem perpulit, & mortem vitam reddidit.

Hymni *Pange lingua* ad Matutinum Auctor eſt Claudius Mamertus, Eccleſiæ Viennenſis Presbyter, quamvis alii Venantium Fortunatum Auctorem dixerint; verum Gennadius, & antiquus Scholiaſtes Claudio Mamerto adſcribunt, Mamerti Epiſcopi Viennenſis fratri: iſte creditur eſſe Hymnus, qui a Sidonio, cum de Mamerto loquitur, tantopere commendatur.

Ad primum Nocturnum inchoatur Jeremiæ lectio: quod quidem ſtatutum fuit a Gregorio VII. in Decreto, quod Gelaſio Papæ falſo tributum eſt. In pluribus Ordinariis dicitur in fine cujuslibet Lectionis: *Hæc dicit Dominus, convertimini*, loco dicendi *Tu autem*.

Primum Reſponſorium hujus diei proprium eſt; quartadecima enim die ante Paſcha Judæi agnum parare debebant; atque ita rurſum admonentur Fideles, ut ſemetipſos ad Feſtum Paſchatis diſponant. Reliqua Reſponſoria ſunt a Pſalmis excerpta, & a locis deſumta, quæ poſſint Jeſu Chriſti, tempore Paſſionis ſuæ, triſtitiam exprimere.

Ad Miſſam omittitur Pſalmus *Judica*; olim non dicebatur, ſed ſola Antiphona *Introibo*, cui deinceps adjectus eſt Pſalm. *Judica*, unde Antiphona ſumta erat. Hodie vero ideo omittitur iſte Pſalmus, quia cum legatur in Introitu, bis non eſt repetendus. In quodam Ordine Romano ad illa verba Evangelii *Jeſus abſcondit ſe*, Imagines Altaris velabantur. Obſervat Micrologus, quod ævo ſuo non incipiebat dici Præfatio de Paſſione, niſi in Dominica Palmarum. In quibuſdam Ordinariis Presbyter in Miſſa ſuper calicem Hoſtiam tenens intonat Antiphonam Communionis *Hoc corpus*, & quilque interim genuflectit; Chorus repetit *Hoc corpus*, & poſt Communionem corporis Jeſu Chriſti elevat calicem, & cantat *Hic calix Novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, & accepto Sanguine Jeſu Chriſti, dicit pro Communione *Hoc facite quoties . . . .*

Feria quinta infra hebdomadam Paſſionis cernitur in Homilia S. Gregorii, quod confundit mulierem peccatricem Evangelii cum Maria Magdalena, & Maria ſorore Lazari, ſed alii putant eam mulierem peccatricem non eſſe Mariam Sororem Lazari. 1. Peccatrix erat e Galilæa, quam Chriſtus convertit in Civitate Naim, & Maria Soror Lazari erat de Bethania in Galilæa. 2. Quando S. Lucas c. 10. loquitur de Maria, quam Jeſus adiit, *Intravit in quoddam Caſtellum*, de Maria loquitur, tamquam de perſona, de qua nondum loquutus fuerat, quamvis interea capite 7. hiſtoriam Peccatricis deſcripſerit. 3. Jeſus Chriſtus Mariæ domum adiit (*Luc.* 10.) eamque prætulit Marthæ Sorori ejus, licet iſta proba virgo eſſet, quæ non ſollicita erat, nec turbabatur, niſi ut Chriſto ſerviret: jam vero quomodo Chriſtus Mariam pœnitentem Marthæ innocenti prætuliſſet, ſi Maria fuiſſet Peccatrix? 4. Non potuiſſet Chriſtus honeſte adire publicam peccatricem, idque illi fuiſſet exprobratum, quemadmodum accuſabatur, quod eſſet *Potator vini*, quod manducaret cum Publicanis; nam quæcumque fuiſſet Mariæ pœnitentia, remanſiſſet tamen ſemper aliqua infamiæ de peccato ſuo nota. 5. Venerunt Judæi, ut Mariam conſolarentur in morte fratris; quod certe non feciſſent, ſi fuiſſet ipſa Peccatrix publica; & eo minus feciſſent, quia viderant eam a Chriſto diligi, quem perdere cupiebant, immo infamaſſent ambos, eoſque pari obſtrictos crimine dictitaſſent.

Unica eas confundendi ratio eſt, quia S. Joannes c. 11. de Maria loquens ait, *Maria quæ unxit*, quamvis unctionem ab ea factam non referat, niſi ſequenti capite; concludunt ergo: Sanctus Joannes prima vice loquens de Maria, eamque per unctionem ab ea factam deſignans, videtur peccatricem ſignificare, quia omnes Evangeliſtæ de duabus tantum unctionibus Chriſto factis loquuntur; quarum prima fuit in domo Simonis Phariſæi per mulierem peccatricem facta, quam Sanctus Lucas memorat capite 7. altera paucis diebus facta ante mortem Chriſti, quam referunt S. Matthæus, S. Marcus, & S. Joan-

Joannes, qui Mariam Lazari Sororem unxiſſe dicit: ergo Maria eſt eadem cum Peccatrice. Verum reſpondetur, quod S. Joannes loquitur de unctione, quam fecit poſtea, non vero de unctione jam facta, cum tranſpoſitio hujuſmodi valde uſitata ſit in Scripturis; ita ut de aliquo incipientes loqui, actiones illi attribuant proceſſu temporis factas. Ita S. Matthæus, & S. Lucas de vocatione Judæ loquuntur, a quibus appellatur *Proditor*, vel *qui tradidit eum*, licet nonniſi longo poſt tempore eum tradiderit. Ratio autem, cur ita intelligendus ſit S. Joannes, eſt, quia S. Joannes loquens de una perſona, non eam deſignat per actionem, de qua non loquitur, ſed per actionem, quam ipſe declarat, ac refert; quare cum S. Joannes non loquatur de unctione per Peccatricem facta, ſed facta ſolummodo per Mariam ſex diebus ante Paſcha, Mariæ ſoli hanc unam actionem tribuit.

Quod Maria Magdalena diſtincta fuerit a muliere peccatrice, & a Maria Sorore Lazari, patet ex Evangelio, in quo Soror Lazari Maria ſimpliciter appellatur, & nihil dicitur de nomine mulieris peccatricis: de vita autem Mariæ Magdalenæ plures circumſtantiæ referuntur: quod ſcilicet per Chriſtum a ſeptem Dæmoniis liberata fuerit: quod Chriſtum ſequeretur, eique miniſtraret: quod juxta Crucem ſteterit: quod ad Sepulchrum ierit, ut ungeret corpus Jeſu: quod illi ante alios apparuerit Chriſtus poſt Reſurrectionem: quod ipſa fuerit Nuntia Chriſti reſurgentis, cum ab ea Apoſtolis ipſis reſurrectio nuntiata fuerit.

Antiphonæ ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* hujus diei nullim habent cum Evangelio relationem, eo quia olim hoc die non haberetur Miſſa propria, nec proinde Evangelium, quo huic diei aſſignato mutatæ tamen non ſunt Antiphonæ.

In nonnullis Eccleſiis Feria ſexta celebrabatur Feſtum de Compaſſione B. Virginis, ſignaturque in Concilio Colonienſi an. 1423. inſtitutum eſt autem contra Huſſitas, qui Imagines condemnabant Virginis, Pilium mortuum inter brachia geſtantis: *Ad gloriam Sanctæ, & intemeratæ Virginis . . . . nec non ad honorem illius angustiæ, & doloris, dum Redemptor noſter in ara Crucis immolatus Matrem Diſcipulo commendavit, præſertim ut adverſus Huſſitas... ut Feſtum Commemorationis præfatæ angustiæ, & doloris B. M. deinceps ſingulis annis Feria ſexta poſt Dominicam Inbilate, niſi aliquod Feſtum eodem die interveneris*: Carthuſiani hoc die magna cum ſolemnitate hoc Feſtum celebrant; Concilium tamen Colonienſe ſignaverat Feſtum iſtud Feria ſexta poſt tertiam Dominicam poſt Paſcha, quæ appellatur *Jubilate*, non vero in Quadrageſima.

Feſtum hoc in nullo Ordinario ne Monaſtico quidem reperitur, exceptis Carthuſienſibus. Appellatur modo *Beatæ Mariæ de Pietate*, modo Feſtum de *ejus doloribus*, vel de *ejus Compaſſione*; & Pariſiis magis quam alibi celebratum eſt; tres extant Eccleſiæ, ubi B. Maria de Pietate eſt Titularis; nempe Eccleſiæ Pietatis, Miſericordiæ, & S. Eliſabeth; ſed in Cathedrali ipſa eſt objectum principale majoris Altaris, poſtquam Ludovicus XIII. illud Altare exſtrui juſſit ſub repræſentatione B. Mariæ de Pietate: repræſentari cœperat ſupra januam chori nuper dirutam, atque ita hæc devotio ab Aula Regia ad hanc Eccleſiam tranſiit, ubi pro hoc Feſto annui redditus aſſignati. Hoc autem Feſtum Pariſiis tam celebre evaſit ex profanatione Calviniſtarum contra Imaginem B. Mariæ de Pietate in cœmeterio S. Nicolai a Campis, cujus reparatio tam ſolemni pompa facta eſt, ut Clerum, & populum ad iſtam devotionem impulerit.

Annuntiatæ B. Joannæ Feſtum celebrant de *Spaſmo* S. Virginis ſub ritu ſecundæ claſſis, in memoriam dolorum Virginis, Feria ſecunda Paſſionis cum octava, quam terminant Sabbato ſequenti ad Nonam: Feſtum hoc titulo inſcribebatur, *In Feſto Spaſmi*: ab an. 1626. mutatus eſt titulus, *In Feſto Martyrii B. Mariæ*. Moniales illæ dividunt Proſam *Stabat*, ut Hymnos conficiant.

Nullum olim habebatur Officium Romæ pro Sabbato iſtius hebdomadæ, quæ appel-

Digitized by Google

appellatur *vacans* ab Amalario l. 1. c. 9. & aliis; itaque Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio Missæ sunt repetitio præcedentis diei. Pontifex hodie cum omnibus suis Ministris occupabatur in eleemosynis distribuendis, quo tempore Fidelium stationem habere non poterat: *Sabbato vacat quando eleemosyna datur; sive quando datur fermentum in Consistorio Lateranensi*. Distribuebatur fermentatus panis in Palatio Lateranensi, ubi erat Pontifex, panis scilicet, qui omnibus Urbis Parochiis sufficeret ad Sacrificium, & Communionem quindecim diebus Paschatis, ut in vita S. Gregorii a Joanne Diacono l. 2. c. 4. descripta in magnis anni solemnitatibus fieri consuevisse apparet. Hodie ibat etiam Pontifex ad lavandos pauperum pedes, quorum magnus aderat numerus, iisque dabat eleemosynam, hoc modo præveniens cæremoniam, quæ alibi fit Feria quinta in Cœna Domini, ut Feriæ quintæ Officiis liberius vacare posset. Putat Amalarius hoc institutum fuisse in memoriam mulieris, quæ Jesu Christi pedes sexta die ante Paschа inunxit.

CAPVT LIII.

De Officio Dominicæ Palmarum.

HÆc Dominica, qua peragi diversa solebant, diversis proinde nominibus est appellata. In Gallia antehac mos erat hodierna die explicandi Symbolum Cathecumenis, ut præcipit Concilium Agathense can. 13. *Ut Symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur*: & in Missali Gothico Missa appellata est *Missa in Symboli traditione*. Mediolani hoc fiebat Sabbato præcedenti. Alii eam appellant *Paschа competentium*, quia cathecumenis explicabatur Symbolum. In Gallia appellabatur *Capitilavium*; eo quia baptizandis caput, præsertim pueris lavabatur ad porriginem detergendam, quæ plerumque Quadragesima contrahitur, quo tempore a balneis pœnitentiæ causa abstinebatur; ut scilicet caput haberent nitidum pro unctione Sancti chrismatis recipienda. Hac eadem de causa, feria tamen quinta majoris hebdomadæ, in Africa baptizandi balnea adibant, ut tradit Sanctus Augustinus *ep.* 54. & quia hujusmodi caput lavandi ratio cum Baptismo confundebatur, circa undecimum seculum antiquatus est usus. Ab Amalario l. 1. c. 15. appellatur Dominica Palmarum, quia hodie palmæ benedicuntur, *Dies Palmarum*.

Palmarum seu Ramorum Festum cœpit in Palæstina; siquidem reperitur in vita S. Euthymii a Cyrillo ejus discipulo scripta, quod Solitarii, qui in deserto secedebant post Epiphaniam, ut ad Festum Paschatis se pararent, ad Monasterium suum revertebantur ad Festum Palmarum celebrandum, quod erat in capite hebdomadæ, qua Dominicæ Passionis Mysteria celebrantur. A clero procul dubio Monachi isti didicerant hoc festum celebrare quinto sæculo in Oriente; nihil enim certi colligi potest ex Sermonibus, qui S. Epiphanio, & S. Jo: Chrysostomo tribuuntur, in quibus solemnitas ista de Palæstina in Cyprum, & Syriam transisse dicitur, nam Sermones isti illorum Patrum certe non sunt, sed Auctorum multo recentiorum.

Quando autem in Occidente inceperit ista solemnitas, affirmare non possumus. Apud S. Adhelmum de Laudib. Virg. c. 15. an. 709. institutam in Anglia cernimus, quo certe Roma fuerat invecta, licet ibi nullum appareat vestigium, nisi in Oratione ad Benedictionem, quæ Communionem præcedit, in Sacramentario S. Gregorii, in quo an illud adjectum fuerit, ignoratur. In hac oratione Deo dicitur, quod, quemadmodum Fideles se illi offerebant ea die cum frondibus palmarum, & ramorum, vellet eos post mortem recipere palmis victoriæ præcinctos, & bonorum operum fructibus exornatos. Mentio palmarum fit etiam in Sermonibus 1. & 2. Sancto Ambrosio alias adscriptis: *Hinc descendit consuetudo, ut psallentes ramos palmarum, sive olivarum portemus in manibus*.

Proceſſio Ramorum, quæ fiebat Parochiarum omnium & Monaſteriorum unius Regionis, ut ſimul ad Cathedralem convenirent, recte deſcribitur in Poemate ſeu Hymno *Gloria, Laus*. Carmen hoc eſt 78. continens verſus, quorum canitur initium tantum, adſcribique debet Theodulpho, ſæculo nono Aurelianenſi Epiſcopo, cum Lupus Ferrarienſis Abbas, qui tempore vivebat Caroli Calvi, ep. 20. illum cenſeat Auctorem, & ſub illius nomine Poematis hujus locum citet. Hoc autem Poema, in quo quid agebatur in Eccleſia deſcriptum eſt, officio recentius eſt. Andegavis a Theodulpho compoſitum ferunt, & Ludovico Pio, a quo detinebatur in carcere, tranſeunti cum Proceſſione decantatum, cujus modulatio Hymni ita placuit Imperatori, ut Theodulphum libertate donarit. Quod tamen factum non cohæret cum vita illius Principis, in qua apparet, non potuiſſe illum Andegavis eſſe Dominica ante Paſcha anno 818. quo Theodulphus in carcerem conjectus eſt. Pro comperto tamen habetur, Hymnum hunc in Andegavenſi Urbe fuiſſe compoſitum; in eo deſcribitur magnifica Ramorum Proceſſio, quæ fiebat Parochiarum omnium & Monaſteriorum Urbis & Suburbiorum, una procedentium ad Cathedralem. De hoc Poemate tantum canebatur, quantum perdurabat iſta Proceſſio; nunc autem quatuor tantum aut quinque diſticha decantantur, primum inter alia ſingula repetendo per intercalationem: *Hoſanna* quod repetitur, erat acclamatio quædam vocis & geſtus, movendo moderate ramum, ut tali cæremonia Deo honor daretur. Hoc erat in uſu apud Judæos in Feſto Tabernaculorum, ubi quæque dies ſuum habebat *Hoſanna*. Olivæ ramus aut palmæ appellabatur *Hoſanna*, ſicut etiam laudum formula erat quædam votorum ac deſideriorum ratio, tamquam ſi quis diceret *Salus & gloria*.

Videtur iſte Hymnus poſterior eſſe Proceſſionis Ramorum inſtitutione, ſiquidem occaſione Officii & Proceſſionis Ramorum compoſitus eſt a Theodulpho in carcere Andegavenſi, ubi detinebatur, tamquam conſcius & cum aliis quibuſdam Epiſcopis particeps defectionis Bernardi Regis Italiæ, contra patruum ejus Ludovicum Pium Imperatorem.

Cernimus ad undecimum ſæculum, quod Epiſcopus quidam Lingonenſis Rainaldus ſive Reginaldus appellatus cantari juſſit hunc Hymnum in Eccleſia ſua poſt reditum de carcere Noviomenſi, ut refert Auctor de Libri translatione Reliquiarum S. Mammæ in Galliam, qui vivebat tempore Philippi Auguſti; illumque item apud pſeudo-Alcuinum, undecimi Auctorem ſæculi, tamquam uſu receptum in Eccleſia Romana videmus.

Verum cæremonia Palmarum non invenitur in Sacramentario Gelaſii, neque S. Gregorii, neque apud S. Iſidorum, neque apud Bedam, vel in Egberti Pœnitentiali; reperitur autem apud Amalarium l. 1. c. 10. *In memoriam illius dici nos per Eccleſias noſtras ſolemne portare ramos, & clamare Hoſanna.*

Pſeudo-Alcuinus ſatis ample cæremonias deſcribit iſtius Proceſſionis, quæ hodiernæ valde ſimilis eſt: benedicebantur Rami cum frondibus excerpti ex palmis, olivis, ſalicibus, buxis, aliiſque arboribus, additis etiam floribus qui tali tempore poterant inveniri; deferebatur in triumphum Evangeliorum Liber in Proceſſione; redeuntes autem conſiſtebant ad fores Eccleſiæ, quæ clauſæ tenebantur, ubi cantabatur *Gloria, Laus*; ex quo Hymno ſuppreſſum eſt quidquid ad Urbem tantum Andegavenſem refertur. In Ordine Romano duodecim habentur diſticha. Salutabatur Evangelium, cui Crux ſubſtituta eſt; ſalutabatur autem inclinando ramos, & folia quædam excerpendo, quę in terram projiciebantur cantando *Hoſanna*, hoc eſt, Salus & gloria. Hoc autem fiebat, ut repræſentaretur triumphalis J. Chriſti ingreſſus in Jeruſalem, ſicuti refertur in hodierno Evangelio, utque nos admoneamur, Cœli portas hominibus fuiſſe interclusas, eáſque nobis Chriſtum per mortem ſuam aperuiſſe, ut exponit S. Bernardus. In Proceſſione Ramorum deferebatur Crux detecta; & tamquam in triumphum. In pro-

Digitized by Google

proceſſionibus quadrageſimæ non crux, ſed Liber tantum Evangeliorum ante Clerum geſtabatur; in quibuſdam Eccleſiis crux detegebatur dicendo *Ave Rex noſter*, & ter genuflectendo; in aliis fiebat adoratio crucis ad Stationem..

Benedictio & diſtributio Ramorum pluribus in locis fit extra Urbem, quemadmodum Pariſiis ad S. Genovefam, *Ad latus Pariſiorum*: quapropter cernuntur cruces prope Vicos & Villas, & ſæpe etiam lapideæ menſæ, ut apponantur Rami, & benedicantur. Atque ut repræſentetur quod fecit Chriſtus, ſit egreſſus ab Urbe, & ingreſſus ſolemnis, ac veluti triumphalis cum ramis arborum. Porta Urbis ſeu Eccleſiæ debet eſſe clauſa in reditu Proceſſionis, quemadmodum obſervatur in ſolemni Principum & Regum ingreſſu in Urbes, ac propterea dicitur *Attollite portas*; & exiſtentes in Eccleſia reſpondent: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* attollite portas veſtras, tranſitum facite, alludendo ad portas Sion, quæ in altum ſuſpenſæ erant, & in modum lignea vel ferreæ cratis confectæ, ſicuti portæ ſunt Urbium præſidio munitarum, quæ extolluntur, vel dejiciuntur pro temporis opportunitate.

Gloria, Laus cantatur a junioribus clericis, quia in Hymno habetur *Cui puerile decus*. Pluribus in locis canitur in Sacello aliquo elevato, alludendo ad verba illa *Cœtus in excelſis te laudat*. Pariſiis canitur in cubiculo ſuper unam Oppiduli portam, ubi ſunt carceres; carceres enim olim erant prope Urbium portas, ibique Judices jus dicebant: *Judices conſtitues in omnibus portis tuis, ut judicent*. Hoc nomen Portæ Turcarum Imperatoris Aulæ remanſit. In quibuſdam Eccleſiis deferebatur in triumphum Euchariſtia in hac Proceſſione, ut obſervat Lanfrancus, Archiepiſcopus Cantuarienſis anno 1059. in ſuis Statutis pro Abbatia Beccenſi, *Occurrunt turbæ; exeunt duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, in quo corpus Chriſti debet eſſe reconditum*. Hæc eſt una ex antiquioribus Proceſſionibus Latinæ Eccleſiæ, in quibus occurrat S. Sacramenti delatio, quod non palam, aut in aperto vaſe, ſed in Feretro ſeu Sepulchro ferebatur. Proceſſio iſta hodierno die fiebat etiam Rotomagi, ubi appellatur *Proceſſio Sancti Corporis*. Circa horam tertiam matutinam Presbyter e Sancto Ciborio deſumit Hoſtiam, & in alterum immiſſam ſumma cum reverentia defert ad portam Chori, & ſuper menſam paratam in geſtatorio Tabernaculo quadrato, & vitris clauſo collocat, ut Hoſtia videatur & adoretur. Ad horam ſextam poſt Laudes duo Sacerdotes eam ſub umbella deferunt ad Eccleſiam S. Godardi, alias extra Urbem, ſine Cruce, & Clero, magno cereorum numero, & Populi cœtu ſubſequente. Ubi dicitur Miſſa S. Sacramenti, & ad horam decimam Canonici cum palmis veniunt; fit prædicatio, deinde exponitur S. Sacramentum ad portam Eccleſiæ, quo Clerus & Populus accedunt cantantes *Hoſanna*, & iterum defertur ad Cathedralem..

Idipſum fiebat in Monaſterio S. Albani in Anglia, ut refert Matthæus Paris in vitis Abbatum illius Monaſterii, ubi vas deſcribit affabre elaboratum, quod fieri juſſit Abbas Simon ad deferendum Corpus D. N. in Proceſſione Dominicæ Ramorum: *Vaſculum ſeu ſcrinium eleganter elaboratum ad portandum Corpus Domini in Ramis Palmarum ad Proceſſionem*.

Ut autem ad Officii ordinem revertamur, nihil occurrit notatu dignum ad Matutinum; in Reſponſoriis admonitio exponitur Judæis facta, ut ſe pararent ad Paſcha decima die Lunæ primi menſis, hoc eſt quinque dies ante Paſcha. Ad ſecundum Nocturnum S. Leo de Feſto loquitur mortis Chriſti: *Feſtivitas Dominicæ Paſſionis*, tamquam de ſolemniori Feſto, in quo ipſe prædicabat, & quod Paſtores debebant celebrare, nempe Feriam ſextam in paraſceve. Ad tertium Nocturnum legitur Evangelium Palmarum, cum Homilia; de quo vide Amalarium c. 52..

Quoad Benedictionem Ramorum, quæ Romæ adeo prolixa eſt, pluribus in Eccleſiis ita ſimplex erat, ut una tantum vel duæ Orationes dicerentur. A

Baronio anno 877. attribuitur Joanni Papæ VIII. Ex Precibus, quæ Romæ hodie sunt in usu, videtur quod Missa propria pro hac Benedictione dici soleret. Quod remanet, vera Missa est usque ad canonem; Antiphona *Hosanna* est tamquam Introitus, una dicitur Collecta, una Epistola, Graduale, Evangelium, habetur etiam Præfatio, & *Sanctus*, quod suppressum est, quando & de Officio diei & de cœremonia Palmarum una tantum & eadem Missa constituit voluit.

Non ubique inveniuntur quinque Orationes, quæ dicuntur in benedictione Ramorum; duas tantum memorat Alcuinus, quę ętate sua dicebantur, post quas fiebat distributio palmarum, & interim cantabatur: *Pueri Hebræorum*. In vita S. Udalrici, decimo sæculo Augustani Episcopi, dicitur, quod Dominica Ramorum ibat summo mane ad Ecclesiam S. Afræ, ubi canebat Missam de Trinitate, & faciębat Benedictionem Ramorum, quos comitantibus clericis & Populo deferebat cum Evangelio, Cruce, Vexillis, & Imagine D. Nostrum super asinam repræsentante, usque ad certum locum, quo illi occurrebat canonicorum chorus, & magnus Populi cœtus, qui ramos aut vestimenta prosternebant in via: quod, facta illis ab Episcopo exhortatione super Passione Domini, simul ad cantandam in Ecclesia cathedrali Missam revertebantur.

In Ordine Romano Benedicti canonici S. Petri, Antiphona *Pueri Hebræorum* signata est pro Processione cum aliis Antiphonis, *Gloria, laus* ad portam S. Joannis Lateranensis, & ad ingressum Ecclesiæ dicitur *Ingrediente Domino*, & statim celebratur Missa, in qua ad Passionem Diaconus dicit *Dominus vobiscum*, & chorus respondet *Et cum spiritu tuo*, postea *Passio D. N. J. Christi secundum Matthæum*, & respondetur *Gloria tibi Domine*; quod non fit nisi hodierna die; nam Feria tertia, quarta, & sexta dicitur Passio sine Populi salutatione, & sine Responsorio. In Ordine Romano Cajetani fit conventus in Ecclesia S. Silvestri, quæ est ad Palatium Lateranense; incipit benedictio salis & aquæ, ut fieri solet in Dominicis; ibi cernitur, quod Papa non consueverat hodierna die officium celebrare, sed tantum ramos distribuere. In Ordine Romano Amelii habetur, quod postea voluere Pontifices hodie celebrare; quod dicitur Passio sine *Munda cor*, sine *Dominus vobiscum*, & ad illa verba *Emisit spiritum*, omnes genuflectebant brevi temporis spatio, ac demum quod ante *Alstera die* Diaconus dicit submissa voce *Jube Domine benedicere*; benedicitur, afferuntur candelabra & incensum, ut fieri solet ad Evangelium, & canitur in tono Evangelii; incensatur celebrans, qui statim dicit *Credo*, quia hodie nullus est Sermo. Ad Passionem igitur nonnihil veteris simplicitatis retentum est in legendo Evangelium sine *Jube*, sine lumine & incenso, & sine *Dominus vobiscum*. Romæ nunc non amplius osculantur terram ad illa verba *Emisit spiritum*, sed pausam tantum faciunt, nempe Diaconus tacet aliquantulum, ut attentionem conciliet momento illi, quo Christus exspirans mysteria omnia consummavit Redemptionis nostræ. In consuetudinibus cistercienlium signatur ritus osculandi terram. In Ordinario chartusianorum traditur, quod ad hunc locum dicitur: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum*; & in faciem prosternitur, *In nostras tuentes facies*. Godefridus Bellovacensis, in vita S. Ludovici, refert, Sanctum Regem, ad imitationem quorumdam Monasteriorum, ubi ista cæremonia observabatur, eam quoque in Sacellum fuum, & in Ecclesiam Prædicatorum invexisse. In quibusdam Ecclesiis Diaconus inclinabat & prosternebat se, quia solus pronunciabat verba, & ad ejus exemplum clerus & Populus similiter se prosternebant, quiemadmodum fit in privatis Missis ad exemplum Sacerdotis.

In quod non sit nisi hodierna die; nam Feria tertia, quarta & sexta dicitur Passio sine Populi salutatione, & sine Responsorio. In Ordine Romano Cajetani fit conventus in Ecclesia S. Silvestri, quæ est ad Palatium Lateranense; incipit benedictio salis & aquæ, ut fieri solet in Dominicis; ibi cernitur, quod Papa non consueverat hodierna die officium celebrare, sed tantum ramos distribuere. In Ordine Romano Amelii habetur, quod postea voluere Pontifices hodie celebrare; quod dicitur Passio sine *Munda cor*, sine *Dominus vobiscum*, & ad illa verba *Emisit spiritum*, omnes genuflectebant brevi temporis spatio, ac demum quod ante *Alstera die* Diaconus dicit submissa voce *Jube Domine benedicere*; benedicitur, afferuntur candelabra & incensum, ut fieri solet ad Evangelium, & canitur in tono Evangelii; incensatur celebrans, qui statim dicit *Credo*, quia hodie nullus est Sermo. Ad Passionem igitur nonnihil veteris simplicitatis retentum est in legendo Evangelium sine *Jube*, sine lumine & incenso, & sine *Dominus vobiscum*. Romæ nunc non amplius osculantur terram ad illa verba *Emisit spiritum*, sed pausam tantum faciunt, nempe Diaconus tacet aliquantulum, ut attentionem conciliet momento illi, quo Christus exspirans mysteria omnia consummavit Redemptionis nostræ. In consuetudinibus cistercienlium signatur ritus osculandi terram. In Ordinario chartusianorum traditur, quod ad hunc locum dicitur: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum*; & in faciem prosternitur, *In nostras tuentes facies*. Godefridus Bellovacensis, in vita S. Ludovici, refert, Sanctum Regem, ad imitationem quorumdam Monasteriorum, ubi ista cæremonia observabatur, eam quoque in Sacellum fuum, & in Ecclesiam Prædicatorum invexisse. In quibusdam Ecclesiis Diaconus inclinabat & prosternebat se, quia solus pronunciabat verba, & ad ejus exemplum clerus & Populus similiter se prosternebant, quiemadmodum fit in privatis Missis ad exemplum Sacerdotis.

In Missali Gothico non dicitur hodie Passio, neque Feria tertia, neque quarta subsequenti, sed tantum feria quinta; in Missis privatis Passionem legi prohibet Lanfrancus: *Sacerdotes ad privatas Missas dicant Evangelium Cum appropinquasset, Passionem nullus legat*.

Udal-

Digitized by Google

Udalricus ait, cluniacenſibus morem eſſe dicendi Evangelium Ramorum ad primam Miſſam, & Paſſionem non legendi, ut ſit ad privatas Miſſas, eo fine, ut Monachi duabus hodiernis Proceſſionibus intereſſe poſſent : *Ad matutinalem Miſſam Paſſio non legitur, quod etiam præcipitur cunctis Sacerdotibus, qui privatas Miſſas cantaverint.*

Legitur Paſſio quatuor Evangeliſtarum, juxta ordinem temporis, quo eam ſcripſerunt ; incipiturque per S. Matthæum, & terminatur per S. Joannem ; cantatur Paſſio cum notis ; atque ita cantabatur antehac Evangelium, quemadmodum cantatur Præfatio. Inquit Alcuinus, quod ævo ſuo non omittebatur in Paſſione *Dominus vobiſcum*, niſi Feria quarta, propterea quod, ait, Judæi ea die contra Chriſtum conſpiraverant.

CAPVT LIV.

De Hebdomada Sancta.

PRimis Eccleſiæ ſæculis Feria ſexta tantum & Sabbatum eligebantur ad repræſentandum Eccleſiæ luctum in morte Chriſti ; qui luctus conſiſtebat in vigilia duarum noctium, quibus preces aut Officia publica fiebant, & in continuo quadraginta horarum jejunio. Hoc obſervatum cernimus duobus primis ſæculis ; deinde addita eſt Feria quarta, & poſtea tota hebdomada deſtinata eſt ; & S. Jo: Chryſoſtomus in Sermone de hebdomada ſancta proprio majorem appellat hebdomadam ; quia magna Myſteria hoc tempore operatus eſt Chriſtus ; homines enim a jugo Dæmonis liberavit, vicit mortem, fortem devicit armatum, peccatum delevit. Cum autem hæc ſit major hebdomada, quia inter hebdomadas præcipua, ideo etiam Sabbatum magnus dies appellatur : quo etiam fit, ut plerique Fidelium pia exercitia talibus augeant diebus, alii rigidiora jejunia, alii continuas vigilias, magnas alii eleemoſynas diſtribuant. Imperatores ipſi hebdomadam iſtam celebrant, & Magiſtratibus omnibus juſtitium indicunt, ut curis ſæcularibus liberi, diebus iſtis divino cultui vacare poſſint. Hoſce dies honorarunt etiam litteris huc illuc miſſis, quibus aperiri carceres præceperunt. Et nos igitur honoremus hos dies, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, & pro ramis & palmis cor noſtrum J. Chriſto offeramus. S. Dionyſius Alexandrinus Ep. Can. 1. fuiſſe quoſdam ait, qui per totam hebdomadam abſtinerent a cibis, alii autem per quatuor continuos dies. Xerophagię hebdomadam appellat S. Epiphanius, quia res tantum ſiccæ ſine condimento comedebantur, vel panis tantum & aqua cum ſale ſumebatur : *Hebdómada Xerophagiæ, quæ vocatur ſancta.*

Paſchatis jejunium præceſſit Quadrageſimam, vel Quadrageſimæ occaſionem præbuit. Fideles ſemper ad Feſtum Paſchatis ſe pararunt, Myſteriumque paſſionis, & ſepulturæ Domini extraordinariis celebravere jejuniis. Præcedebat, teſte Epiphanio hæreſ. 70. Quadrageſima ſeptem jejunii dies, qui ante diem Paſchatis obſervabantur : *Ante ſeptem Paſchatis dies Quadrageſimam obſervare, atque in jejuniis perſeverare conſuevit Eccleſia.* De Quadrageſima numquam loquutus eſt S. Irenæus, ſed de jejunio, quod feſtum Paſchatis præcedebat, aitque, alios uno die jejunare conſuevisſe, alios duobus, alios pluribus, alios vero quadraginta horis : *Quidam exiſtimant unico die ſibi eſſe itinerandum, alii duobus, alii pluribus, nonnulli quadraginta horis diurnis ac noſturnis computatis diem ſuum metiuntur.* In Conſtitutionibus Apoſtolicis l. 5. c. 12. Quadrageſimale jejunium a jejunio hebdomadæ Sanctæ aperte diſtinctum eſt ; illud quidem in honorem quadraginta dierum, quibus jejunavit Chriſtus, inſtitutum erat ; hoc autem ad præparationem pro Paſchatis Feſto faciendam : *Servandum eſt jejunium quadrageſimæ, quod vitæ Chriſti, & legis latæ recordationem continet ; celebratur vero itinnium hoc ante itinnium Paſchæ, incipiens quidem ſecunda feria, deſinens ultro in ſextam ; deinde dimiſſo hoc itinnio, incipite Sanctam Hebdomadam Paſchæ,*

Digitized by Google

ſcha, ieiunantes ipſam omnes cum timore. Hebdomadam Sanctam vocat iſte Auctor hebdomadam Paſchæ, Græcorum more, qui hebdomadas vocant per Dominicam ſubſequentem, non vero per præcedentem, ſicut Latini. Liquet etiam, quod hebdomadis Quadrageſimæ non jejunabatur, niſi a Feria ſecunda uſque ad Feriam ſextam, verum Hebdomada Sancta, ne Sabbato quidem excepto, jejunabatur tota. Apud Latinos nullum apparet diſcrimen inter jejunium Quadrageſimæ, & jejunium Paſchatis, quamvis intra Quadrageſimæ tempus Paſſionis tempus admiſerint ſit. Tradit idem Auctor l. 5. c. 17. quod ſex Hebdomadæ Sanctæ diebus pane tantum, aqua, ſale, & frugibus veſci ſolerent: *Sex diebus Paſchæ pane tantum, ſale, oleribus, & aqua viventes*. Duas Xerophagiarum hebdomadas memorat Tertullianus: *Duæ in anno hebdomadæ Xerophagiarum*. Tota iſta hebdomada feſtiva erat, ſicut hebdomada Paſchatis, propter Chriſti mortem, & reſurrectionem, quæ duabus hiſce hebdomadis celebrabantur, quarum prima in honorem Paſſionis eſt, altera in honorem Reſurrectionis, ut Apoſtolicæ docent Conſtitutiones l. 8. c. 33. *Tota magna hebdomada, & prima ſequenti vacent ſervi, quia illa Paſſionis eſt, hæc Reſurrectionis*. In Summa Legum Imperialium, & Canonum refert Photius, quindecim hoſce Paſchatis dies feſtivos fuiſſe: *Dies feſti ſunt ſeptem dies ante Paſcha, & ſeptem poſt Paſcha*. Gregorius Papa IX. in Decretali Feſtorum computat ipſe quoque quindecim dies, ſeptem ante Paſcha, & ſeptem poſt Paſcha: *Septem diebus Dominicæ Paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus*.

Quælibet hujus hebdomadæ dies Officium habet proprium cum ſuis Lectionibus, Reſponſoriis, Antiphonis non ſolum ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, ſed etiam ad Laudes, & per Horas, & cum Orationibus ad Officium diei, & ad Veſperas.

Antehac legebatur tantum Paſſio ſecundum Matthæum; quod patet ex S. Auguſtino, qui in Eccleſiam ſuam inducere morem legendi ſingulis hebdomadæ diebus Paſſionem ſecundum reliquos Evangeliſtas optabat. Hoc inſtitutum fuiſſe Romæ ab Alexandro Papa II. nonnulli dictitant; verum videtur antiquius, & a ſeptimo, vel octavo ſeculo conſpicitur. Mediolani legitur Paſſio feria ſexta tantum ſecundum Joannem. Romæ legitur feria tertia ſecundum Marcum, & feria quarta ſecundum Lucam.

Feria quarta duæ habentur Lectiones ad Miſſam; erat illa Scrutinii dies, & habebantur Inſtructiones pro Gathecumenis, vel pro Ordinandis, qui Sabbato S. erant initiandi.

Dicebantur antehac feria quarta Orationes ſolemnes, quæ feriæ ſextæ aſſignatæ ſunt. Viennæ Allobrogum, & Mediolani dicuntur etiamnunc in Dominicis Quadrageſimæ; & Romæ quoque dicebantur tempore Micrologi, a quo indicantur. Miſſa, qualis a nobis dicitur, cum ſolemnibus Orationibus habetur in Amalario. Introitus *In nomine Ieſu*, duæ Epiſtolæ, Gradualia, aut Reſponſoria *Quia defecerunt*; quinque habentur verticuli, in honorem, ut ipſe ait, quinque vulnerum Domini Noſtri; deinde ad Paſſionem ad illa verba *Velum Templi ſciſſum eſt*, velum cadere ſinebant, quod initio Quadrageſimæ poſitum fuerat: quod etiamnunc Pariſiis in uſu eſt; incipit etiam omitti *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri* in fine Pſalmorum, itemque Hymni, & Capitula omittuntur. In nonnullis Eccleſiis, veluti S. Martini Turonenſis, hæc omnia dicuntur, & Veſperæ ſunt ſolemnes.

CAPUT LV.

De Officio Feriæ quintæ in Cœna Domini.

SIngulare licet videatur hiſce diebus Officium, antiquo tamen ritui magis convenit. Incipiebatur olim a Pſalmis, non dicebatur *Domine labia*, neque *Deus in adiutorium*, neque Invitatorium, neque Hymni; Lectiones pri-

Digitized by Google

primi Nocturni erant de Teſtamento Veteri, Lectiones ſecundæ SS. Patribus excerptæ, & ad tertium Nocturnum legebatur Novum Teſtamentum. Nullo igitur myſterio hæc omnia facta ſunt, ſed tantum antiquus ſervatus uſus; quæcumque autem myſticæ ac variæ deinceps expoſitiones inventæ ſunt, perquam ingenioſæ videntur ſententiæ ad Fidelium pietatem hoc dierum ſpatio excitandam. Idem in hoc ſervatur ordo, qui etiam in Officio Defunctorum nunquam excidit; & vera ratio, ob quam hoc Officium quoque ita ſubſtitit, ea eſt, quia tamquam Officium exequiarum Chriſti reſpicitur. Mirum autem videtur, cur Monachi, hoc trium dierum Officium mutaverint primi, & poſthabita Romanæ Eccleſiæ imitatione, nihil hoc triduo de antiqua ſimplicitate immutantis, antiquum Officium reliquis recentioribus conformaverint. Hoc patet ex Abelardo, qui apud S. Bernardum de Religioſis Ciſtercienſibus conquerebatur, quod Matutinum cum Invitatorio canerent, Hymnum, & tria Reſponſoria cum *Gloria Patri* poſtremis hiſce Hebdomadæ Sanctæ diebus, quod Abelardus epiſt. 5. ait, totius Eccleſiæ praxi adverſari, quæ preces haſce lætas omittendo triſtitiam ſuam teſtatur in conſideratione dolorum Chriſti, cui veluti exequias celebrat, atque has Vigilias Tenebrarum appellavit nomine, cum extinctis luminibus tenebræ offundantur: *Ubi & Invitatorium, & Hymnus cum tribus tantum Lectionibus, & Reſponſoriis cum Gloria, contra omnem Eccleſiæ morem, & ut dicitur, rationem, vos dicere infiniuſſis, cum enim hoc triduum tamquam exequiæ Domini in luctu peragatur, atque hinc vulgo horum dierum Vigiliæ nuncupantur Tenebræ, quod extinctis ibi luminaribus mœror exprimitur.* S. Bernardus, ut Ordinem excuſaret ſuum, reſpondit, ſequi eum quidquid in S. Benedicti Regula præſcriptum fuerat; præſcriptum autem fuerat, ut Officium eodem quoad modo ceretur.

Refert tamen Hildemarus, in Synodo Aquiſgranenſi, ſub Ludovico Pio habita, decretum fuiſſe, ut in Officio hujus tridui Romanus ſervaretur uſus, quamvis aliqui repugnarent. Amalarius in Supplemento de Divinis Officiis videtur diſpoſitionem iſtorum officiorum S. Gregorio tribuere, traditque in quibuſdam Monaſteriis neque Invitatorium, neque Hymnum dici conſuevi ſe: *In quibuſdam locis non ignoro in Paſſione Domini tribus noctibus duodecim Pſalmos, & duodecim Lectiones cum Reſponſoriis agi, ubi prætermittuntur Hymni, & Cantici, quippe qui pertinent ad lætitiam, Officia inchoationis, itemque Invitatorium non recitant.* Totus fere Ordo S. Benedicti, & Ciſtercienſium etiam poſt S. Bernardum, Romano ſe conformavit ritui, qui toti Eccleſiæ communis eſt; novum ſolummodo Breviarium Cluniacenſium Invitatorium inſeruit, & Hymnum, & Officium recitant, ut aliis anni temporibus, quamvis hæc omnia tempore S. Benedicti non eſſent in Officio. Lanfranchi ſtatuta, conſuetudines Cluniacenſium, Breviaria omnia Benedictina, Ciſtercienſia, Carthuſiana dicunt, hoc Officium fieri debere ſicut Officium Defunctorum; in quo non dicitur *Te Deum*, neque Evangelium ad Matutinum, neque Invitatorium, neque *Gloria* in fine Pſalmorum, neque Capitula Horarum brevia, neque Verſiculi, neque *Jube* ante Lectiones, neque *Tu autem* in fine; quæliber Hora incipit ab Antiphona, & Pſalmo; terminatur a *Kyrie eleyſon* cum *Pater noſter*, & precibus; Oratio *Reſpice* dicitur ſine *Dominus vobiſcum*, & ſine *Benedicamus* in fine. Ita veteres Carthuſienſium Rubricæ: *His diebus nec Te Deum, nec Deus in adiutorium, nec Hymnus, nec Evangelium ad Matutinas dicimus, nec Capitula, nec Verſus, nec Gloria Patri ad Pſalmos, & Reſponſoria, tertia Reſponſoria iterato dicuntur; nec Iube Domne ad Lectiones, nec deprecatio, nec Benedictio, nec Tu autem dicuntur; ſed more Lectionum Mortuorum finiuntur Matutinæ, & Laudes, & Veſperæ a ſuis incipiunt Antiphonis, reliquæ Horæ a ſuis inchoantur Pſalmis.*

Totus noſtri Officii Ordo deſcribitur ab Amalario l. 4. c. 12. non dicebatur *Domine labia*, nec Invitatorium, nec

Iube

Digitized by Google

Iube ante Lectiones ; non pulſabantur campanæ æneæ, ſed una tantum lignea. Oſtendamus autem, ſine myſterio antehac fuiſſe quæcumque nunc obſervantur in hoc Officio. Officium nocturnum Tenebræ nuncupatur, quia noctu dicebatur ; & nomen hoc, quod huic triduo remanſit, proprium erat Officii, quod quotidie noctu dicitur . Ex omnibus antiquis Ordinibus Romanis patet, quod media nocte dicebatur, *Ad Vigilias in media nocte* : & in aliis ſignatur *In galli cantu* , duabus poſt mediam noctem horis . Hæ Tenebræ igitur erant Officium ordinarium, quod ubique media nocte canebatur .

Durante Tenebrarum Officio ponitur ante Altare candelabrum triangulare cum pluribus cereis, qui ſucceſſivo ordine in fine cujuſque Pſalmi extinguuntur, quod antiqui ritus veſtigium eſt : ſuper Altaria non ponebantur candelabra, quod ſervatur adhuc in nonnullis Eccleſiis : cerei illi ſeu lampades erant luminaria ſuſpenſa, vel ſuper elevatas trabes , *Hirpices* appellatas , quæ per totum Chorum extendebantur , vel ſuper magna candelabra prope Altare defixa , quæ plures habebant ramos , qui cerei ſeu lampades Officii nocturni tempore accendebantur . In magnis ſolemnitatibus uſque ad lucis ortum perdurabat Officium, qui cunctanter admodum & ſenſim cantabatur , & juxta ordinem appropinquantis diei extinguebantur ſucceſſive cerei uſque ad Officii finem , quo finito luminaria omnia extinguebantur , præter unum cereum , qui intra Altare abſcondebatur ad accendendam lampadem , quæ ante Altare majus ardere debet ; & ſi hæc lampas tam cito accenditur id fit, ne SS. Sacramentum , quod in ara majori ſervatur , lumine careat . En hodiernus uſus in fine Tenebrarum .

Tenebræ igitur media nocte dicebantur & terminabantur ſub lucis ortum ; quapropter extinguuntur lumina prout adventat dies ; omnia vero in fine Laudum extincta remanent , cum dies illuceſcit. Proceſſu temporis terminatio illa Officii , cum omnia extincta ſunt lumina , non ſine myſterio fieri dicta eſt ; hinc Tenebræ nuncupatæ ſunt , vel *Matutinæ tenebræ , & quod ſine lumine terminantur* , quia quando ſiniuntur, nullum amplius apparet lumen . Ab Abelardo jam vidimus appellari Tenebras ep. 5. *Horum vulgo dierum vigiliæ nuncupantur Tenebræ . . . .* eodem quoque nomine appellantur ab Hugone Flaviniacenſi , qui duodecimo vivebat ſæculo . Hodie vero ita Matutini , & Laudum tempus anticipatum eſt , ut nocte terminentur, & lumina extinguantur , quo tempore magis neceſſaria forent , ſi in Eccleſia permanendum eſſet . Apud Amalarium l. 4. c. 44. cernimus , quod Theodorus, Romanus Archidiaconus, de cereis conſultus , qui Amalarii ævo paulatim extinguebantur , reſpondit, ſe in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis coram Papa non vidiſſe in Officio noctis extingui lumina : *Soleo eſſe cum Apoſtolico in Lateranis , quando celebratur Officium de Cœna Domini , nihil in eadem nocte obſervatur de extinctione luminum* .

Quindecim ponuntur ſuper candelabrum cerei , juxta quindecim Pſalmos Officii , & in fine cujuſque Pſalmi unus extinguitur . *Tot cerei ad Nocturnos , & extinguuntur per ſingulas Lectiones* , teſte Udalrico in conſuetudinibus Cluniacenſium . In Ordine Romano cereorum non ſignatur numerus : in Codice Ratoldi Corbejenſis, in quo Romanus, quem ſequi debent, ſignatur uſus, traditur, quod tota Eccleſia clarificanda ſit, & triginta octo cereis illuſtranda : *Eccleſia omni lumine ſit decorata , ideſt , triginta octo luminaribus* . In ſtatutis Lanfranchi vigintiquinque præcipiuntur cerei , ut ad ſingulas Antiphonas , & ad ſingula Reſponſoria extinguatur unus ; aliis in locis extinguebantur omnia lumina ad Matutinum , & remanebant ad Laudes ſolummodo lampades ante Altare . Dici poteſt , quod poſtquam iſtæ vigiliæ pro populis ſuppreſſæ ſunt , hiſce diebus anticipatum eſt vigiliæ Matutinum , ut eidem intereſſe poſſent : atque etiam, quia poſtquam anticipata ſunt Officia diurna , nimis occupati fuiſſent , ſi etiam Matutinum nocturnum dicere debuiſſent ; ſed Monachi religioſius ritibus adhærentes , veluti

Car-

Digitized by Google

Carthuſiani, & aliqui Collegiales etiam Pariſiis non mutant horam dicendi Tenebras hoc triduo, nempe vel nocte, ut in Eccleſia S. Victoris, & Virginum, vel ſummo mane, ut in Eccleſia S. Germani Antiſſiodorenſis, & in quibuſdam Hoſpitiis Ordinis Cluniacenſis; in Cathedrali uno abhinc ſæculo media nocte dicebantur. Cernimus in Ordine Romano Cajetani, ad quartumdecimum ſæculum exarato, quod tunc incipiebant Romæ dici Tenebræ veſpere præcedenti: *In die Mercurii de ſero hora competenti D. Papa veniret ad Officium Matutinorum*. A duodecimo tantum ſæculo cœperunt præcipi ſex luminaria ſuper Altare, & quindecim ſuper candelabrum.

Ad Officium quod attinet, dici poteſt, pluſquam mille ducentis ab hinc annis dici conſueviſſe ſicut hodie: incipit ab Antiphona *Zelus*, Pſalmi ſunt de Feria, quæ quinta eſt; variant paſſim Feria ſexta, & Sabbato, juxta antiquum in Regula S. Benedicti ſignatum uſum mutandi Pſalmos in magnis ſolemnitatibus, & ex iis eligendi, ſi fieri poteſt, qui ſolemnitati nocturni Officii conveniant. In noſtris Breviariis nihil eſt antiquius hujus tridui Officio, quod minus ceteris variatum eſt.

Non dicitur *Gloria Patri* in fine Pſalmorum, quod dicebatur tantum in Officiis lætitiæ, neque etiam dicitur in Officio Defunctorum: quinimmo cernimus in Officio de Dominicis & Feriis, quod non dicebatur niſi poſt tres aut quatuor Pſalmos. In quibuſdam Monaſteriis Orientis dicebatur loco *Gloria Patri*, hiſce diebus: *Miſerere noſtri Domine, Miſerere noſtri*.

Lectiones primi nocturni a Lamentationibus Jeremiæ deſumtæ ſunt: non dicitur Abſolutio, neque *Jube*, neque preces: hæc a Monachis proficiſcuntur, nec apud clerum in uſu erant. Lectiones iſtæ multo abhinc tempore leguntur cum cantu, & Alphabeto Hebræorum, cum Lanfrancus Monachis ſuis vetet eas canere, & ſine Alphabeto præcipiat lectitare: *Sine cantu & ſolitis Alphabetis*. Udalricus ſimiliter ait, a Cluniacenſibus non cantari, quod contrarium videretur Monaſticæ ſimplicitati, ac triſtitiæ, quæ hiſce diebus demonſtranda eſt. Exſtant Statuta recentiora, quæ idipſum vetant, ne Laici ſcandalizentur, audientes vel Paſſionem, vel Lectiones cum melodia cani, *Ne ſcandalizentur Laici hujuſmodi novitatibus*. Lamentationes Jeremiæ Hebraicis verſibus ſcriptæ erant, & quilibet Verſiculus per unam Hebraici Alphabeti litteram diſtinctus eſt, tamquam ad memoriam ſublevandam: hoc reperitur in pluribus aliis Scripturæ locis, velut in Pſalmis 118. & 33. &, in capite 31. Proverbiorum.

In fine Lectionum non dicitur *Tu autem*, ſed *Ieruſalem convertere*; eſtque fructus a lectione percipiendus, nempe Adſtantium converſio, & ad pœnitentiam exhortatio. Iſta exhortatio eſt in Ordine Romano; repetitur *Ieruſalem* ad exemplum J. Chriſti Matth. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui . . .* Lectiones Jeremiæ repræſentant nobis animam pro peccato captivam, non ſecus ac miſerum & afflictum Populum, Babylonica captivitate detentum.

Novem tantum dicuntur Pſalmi ad Matutinum, poſtquam Lectiones inſertæ ſunt; ſ. ppreſſi ſunt tres ultimi Pſalmi, & tres Lectiones ſubſtitutæ poſt tres Pſalmos, qui ſucceſſive dicuntur, *Per modum unius Nocturni*, tamquam unicum Nocturnum conficientes.

Ad ſecundum Nocturnum in Sermone S. Auguſtini virtus apparet Paſſionis Chriſti, qui inimicorum injuriis expoſitus per crucem ſuam triumphavit, cujus ſigno totus Orbis devictus eſt.

Lectiones tertii Nocturni ad Euchariſtiæ Inſtitutionem referuntur; ſed Reſponſoria præcipuas Paſſionis Chriſti circumſtantias memorant, ejus agoniam in horto, & Judæ traditionem.

In Ordinibus Romanis Thomaſii p. 109. Cantores hoc triduo non deambulant per Chorum neque ad Pſalmos, neque ad Reſponſoria, niſi forte ad poſtremum Reſponſorium, quod erat de Euchariſtia, neque amplius exſtat in noſtris Breviariis, ℟. *Hoc corpus quod tradetur, hic Calix Novi Teſtamenti eſt in meo ſanguine, dicit Dominus. Hoc facite quotieſcumque ſumitis in meam commemo-*

memorationem. ℣. Cumque manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Hoc facite . . . . repetitur *Hoc corpus* ad Laudes, noſtræ Antiphonæ *Inſtificeris* & ſequentes, ad *Benedictus Traditor*, poſtea *Chriſtus factus eſt*. In pluribus habetur *Kyrie* cum Precibus, teſte Micrologo c. 52. Oratio *Reſpice* præcepta non erat, ideoque cani non ſolet, atque ejus concluſio *Qui tecum* ſecreto dicitur. Nulla antehac habebatur Collecta in fine Officii.

Nullibi reperitur, quod ſtrepitus fieret in fine Tenebrarum; Miniſter tantum dabat ſignum manibus, pulſando Librum aut ſedem, ut abeundi facultas fieret; in ſolemnioribus diebus, & magna Populi frequentia iteratis ictibus ſignum dare tenebatur, ut univerſus Populus admoneretur. In Breviario Romano modicum tantum ſtrepitum faciendum legimus: *Fit fragor & ſtrepitus aliquantulum.*

CAPVT LVI.

De peculiaribus Feriæ quintæ Cæremoniis.

PLures de hoc die S. Eligius Sermones exaravit; in quarto obſervat, heri hodie confueviſſe reconciliationem publicam Pœnitentium, qui criminum cauſſa ſeparati per Epiſcopum ab Altari merierant. Hos alloquitur Pœnitentes, hortaturque, ut a ſeipſis exquirant, utrum Deo ſint reconciliati, necne, propterea quod fieri poſſe ait, ut quamvis per Epiſcopi miniſterium ſint reconciliati, Deo tamen revera reconciliati non ſint, a quo uno vera datur reconciliatio, atque iis datur, qui culparum magnitudini congruam egerunt pœnitentiam: Nolite, inquit, exiſtimare Epiſcopos tamquam veſtræ ſuctores reconciliationis, ſed tamquam Miniſtros; eſt enim J. Chriſtus qui abſolvit & reconciliat inviſibiliter, nos vero miniſterio fungimur noſtro, cum viſibiliter cæremonias agimus reconciliationis. In octavo Sermone Pœnitentes hortatur ad induendum cilicium, & elevandas in cœlum manus, ut per impoſitionem manuum Epiſcopi reconciliationem accipiant, eoſque admonet, ne poſt reconciliationem iterum redeant ad peccandum. Ait etiam Serm. 10. & 11. quod hodie carceribus detenti liberabantur; Pœnitentes, quos alloquebatur, deſignat: ad perſonas quod attinet, inquit: quicumq; pœnitentium veſtem præferunt, ſordidam faciem, paſſos crines, atque opere oſtendunt ſe peccata planxiſſe, & vitia carnis mortificaſſe, ſcire debent, juxta S. Gregorium, ſe peccatorum abſolutionem non recipere, niſi a divina bonitate per contritionis gratiam remittantur, quia abſolutio Epiſcopi ſequitur Illius judicium, qui ſecreta judicat cordium, quod ſignificatur per reſurrectionem Lazari, cui Chriſtus vitam reſtituit, antequam Diſcipulis præciperet ut illum ſolverent; atque ita Paſtores omnes cavere debent, ne ſolvant niſi eos, quibus Chriſtus vitam animæ per gratiam reſtituit. Ex his Homiliis patet, quod peccata tantum publica pœnitentiæ publicæ ſubmitterentur; qui vero ſecreto peccaſſent, ſeparati tantum ab Eccleſia ſecreta pœnitentia punirentur; nam in Homilia 15. oſtendit magnos peccatores eſſe, quorum peccata ſunt adeo occulta, ut pœnitentiæ publicæ admitti non poſſint; hoſque peccatores aliquo tempore ſeparandos eſſe ab Eccleſia, quia licet ab Eccleſia per impoſitionem manuum ſeparati non ſint, neque abſolutionem recipiant, corpus tamen ſuum mortificare debent pœnitentiæ fructibus, & animam ſuam bonorum operum medela ſanare.

In Sermone octavo agit de reliquis cæremoniis Feriæ quintæ, præter reconciliationem Pœnitentium, nempe de Benedictione Sanctorum Oleorum, de Conſecratione Chriſmatis, de lotione pedum, Altarium, Vaſorum ſacrorum, pavimenti & parietum Eccleſiæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LVII.

De reconciliatione Pœnitentium, & de liberatione Captivorum.

AS. Jo: Chryſoſtomo in pſal. 145. jam audivimus, quod hac hebdomada Imperatores in partes omnes litteras mitterent, quibus aperiri carceres jubebantur, & Reis dabatur libertas. Inquit S. Eligius Serm. 10. Feria quinta in Cœna Domini per totum mundum reſerari carceres, ad exemplum Eccleſiæ, quæ hodie indulgentiam & abſolutionem Peccatoribus concedebat. Cernimus in capitularibus Caroli Magni l. 1. c. 106. quod Epiſcopi tenebantur Judices admonere, ut ob amorem J. Chriſti Captivos liberarent diebus ante Paſcha, Pentecoſten, & Natale. Legimus apud S. Auguſtinum, apud S. Jo: Chryſoſtomum pluribus in locis; apud S. Leonem, aliſque Patres quamplures, quod Imperatores remiſſionis litteras ad Urbes mitterent, ut a carcere captivi liberarentur, & a morte Rei, diebus Feſtum Paſchatis præcedentibus.

Sed Feria quinta ante Paſcha reconciliabat Eccleſia Pœnitentes, quos ipſa expulerat Feria quarta Cinerum; atque iſte ritus adeo antiquus eſt in Romana Eccleſia, ut S. Hieronymus de S. Fabiola loquens ep. 30. repræſentet nobis Urbis Romæ Pœnitentes ad portam Baſilicæ Lateranenſis ante diem Paſchatis expectantes Epiſcopum, qui eos ingredi jubeat: *Tu ante diem Paſchæ in Baſilica Lateranenſi ſtabas in ordine pœnitentium, Epiſcopis & Presbyteris ſordida cella ſubmittens*; & Innocentius I. affirmat in Ep. ad Decen. hunc eſſe morem remittendi Pœnitentium reconciliationem ad Feriam quintam ante Paſcha: *Quinta feria ante Paſcha*: ea die Presbyteri & Epiſcopi imponebant Pœnitentibus manus, ut eos reconciliarent, quemadmodum obſervat S. Hieronymus. S. Eligius hanc reconciliationem memorat in Sermone 4. in Cœna Domini: *Non incongrue hac ipſa die, ſicut Eccleſiæ tenes conſuetudo, pœnitentium fit reconciliatio*. Hanc diem ſignat etiam Carolus Magnus in ſuis Capitulatibus; Iſaac Lingonenſis fieri præſcribit quod in Sacramentario ſignatum eſt: *Sicut in Sacramentario continetur, reconcilientur*. Mediolani reconciliabantur Feria ſexta: *Erat autem dies quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia pœnitentia relaxatur*, inquit S. Ambroſius ep. 33. Feria ſexta pariter in Hiſpania, ut liquet ex quarto Concilio Toletano can. 6. Sabbato vero in Oriente, poſt collatum Baptiſmum Catechumenis, ut ait S. Gregorius Nyſſenus.

Ab Epiſcopo dabatur Abſolutio generalis Feria quinta in Cœna Domini; cerniturque apud Joannem Abrincenſem, aliſque, quod Parochi tenebantur ea die ſuæ Parochiæ ſubjectos Populos ad Cathedralem ducere, ut ibi Epiſcopi manu abſolutionem reciperent; hujuſmodi juri circa tertiumdecimum vel quartumdecimum ſæculum renuntiantibus Epiſcopis, hoc ſibi adſciverunt Parochi in ſuis Parochiis. Pariſiis iſta Abſolutio datur ab Epiſcopo Feria quarta majoris hebdomadæ cuncto Populo; a Decano Capitulari datur eodem die Canonicis & eorum Domeſticis, & ab Epiſcopo mittuntur qui Feria quinta pergant in varias Urbis partes ad dandam abſolutionem, veluti ad S. Eligium, & ad S. Maclovium; ad Abſolutionem vero faciendam in Cœmeterio SS. Innocentium pergit Epiſcopus ipſe, vel aliquem ſpecialiter mittit.

Lauduni, Feria quinta de mane, ad Capitulum pergit Epiſcopus Benedictionem daturus, deinde eam daturus venit *ad ambonem* iiſdem precibus utens. In Aurelianenſi Eccleſia Feria quarta, poſtquam Pœnitentiarius prædicavit in Cathedrali, benedicit cineres, & capiti imponit ſe ſe offerentium, ſed facit etiam Feria quinta mentionem in Sacello ſuo, ubi adſunt Pœnitentes ſaluti & cooperti alii quibuſdam [illegible], fasciis & tegumentis alii, [illegible] etiam homines palliis ſuis, quibus faciem velare ſolent: recitatis ſuper eos preci-

bus a Pœnitentiario, omnes Proceſſionem peragunt circa Chorum, flexis ſemper genibus incedentes; præcedit Subpœnitentiarius, ſubſequitur Pœnitentiarius, ambo ſtolis induti; in Sacellum reverſi, ad Pœnitentiarii pedes ſe proſternunt, & terram alternatim oſculantur; a Pœnitentiario aſperguntur Aqua benedicta, & abeunt: nonnumquam quadraginta aut quinquaginta ſunt numero. Ante Abſolutionem recitabantur ſeptem Pſalmi, atque interim Pœnitentes in terram proſternebantur; deinde Epiſcopus & Clerus univerſus manus ſuper eos imponebat, præeſque recitabat, quæ in Miſſalibus hodie reperiuntur. Poſt Abſolutionem aſpergebantur Aqua benedicta, & incenſabantur: ibant ad Oblationem, & communicabant in Miſſa. In quibuſdam Eccleſiis durante Miſſa fiebat reconciliatio Pœnitentium. S. Optatus l. 2. illam ſignat poſt conſecrationem ante *Pater*, & hoc in Africa; alibi vero, quemadmodum Lauduni, poſt Evangelium ante Offertorium Miſſæ jubebantur in Eccleſiam regredi: quod huic Offertorio congruit; *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar ſed vivam, & narrabo opera Domini*. Reconciliatio iſta *Abſolutio* vocabatur; fiebat autem in Miſſa Pœnitentium, nam antehac dicebantur hodierna die tres Miſſæ, prima pro reconciliatione Pœnitentium, ſecunda pro Benedictione Oleorum Sanctorum, & tertia in memoriam Inſtitutionis Euchariſtiæ; poſtquam tres iſtæ Miſſæ in unam tantum redactæ ſunt, tres etiam iſtæ actiones in diverſa Miſſæ tempora ſunt diſtributæ; Pœnitentes reconciliati ſunt ante Miſſam; propterea ad fores Eccleſiæ conveniebant, ſacco ac cilicio induti, & caput cinere conſperſi; in Eccleſiam cum cæremonia perducti ſe proſternebant, & Epiſcopus cum Miniſtris nonnullas ſuper eos recitabat preces, quarum tres exſtant in Ordine Romano: iis etiam Epiſcopus brevem faciebat exhortationem, abſolutionis formulam & reconciliationis adjungens; reconciliati locum habebant inter Fideles, aſſiſtebant Miſſæ, & communicabant; in quibuſdam locis communio illis differebatur in diem Paſchatis. Poſtea vero, quemadmodum ſe ſubmittunt omnes cæremoniæ cinetum, quæ nihil eſt amplius quam pœnitentiæ publicæ cæremonia, idipſum de Abſolutione publica factum eſt, omneſque peccata ſua confitentur ex ore Presbyteri, formulam confeſſionis generalem pronuntiantis, deinde recitantur publice ſeptem Pſalmi pœnitentiales ad pœnitentium culpas expiandas, & abſolutio recipitur generalis, quæ diſtincta eſt ab abſolutione Sacramentali, quam Pœnitentes recipiunt a Sacerdotibus, quibus peccata ſua ſecreto confitentur. Iſta Abſolutio generalis ſymbolum eſt reconciliationis peccatoris, per quam Eccleſia ejus pœnitentiam approbat, eique permittit accedere ad Euchariſtiam; non illa quidem peccatorum remittit culpas, ſed abſolutas ſupponit per Sacramentalem Abſolutionem.

Abſolutio iſta generalis fiebat antehac in medio Miſſæ, poſt Conſecrationem, & ante *Pater*, ut traditus. Optatus *Lib.* 2. & fiebat in locis, ubi Miſſa feorſim dicebatur pro Pœnitentibus; ubi vero unica tantum ea die dicebatur Miſſa, fiebat iſta reconciliatio poſt Evangelium, & ante Oblationem; & in quibuſdam locis antequam Miſſa inchoaretur.

Hodie Abſolutiones hujuſmodi, cæremoniæ loco habentur. Fideles omnes ſe ſe offerunt, & Sacerdos pro toto Populo confeſſionem generalem facit omnium fere peccatorum, quæ committi poſſunt, & Fideles abſque ullo metu particularis confuſionis ſeſe accuſant hoc modo per os Sacerdotis de graviſſimis criminibus, pro quorum expiatione Pœnitentiales Pſalmos recitantes abſolutionem recipiunt. Nonne vero turpiſſimorum narratio criminum, quæ in Rituali Pariſienſi præſcribitur, conſultius omittenda foret?

C A-

Digitized by Google

CAPVT LVIII.

De Benedictione Sanctorum Oleorum.

Altera hujuſce diei cœremonia eſt Benedictio Oleorum & chriſmatis pro adminiſtratione Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis.

Omni ævo benedictum fuit oleum, quod noſtris Sacramentis debebat inſervire. Affirmat S. Cyprianus ep. 70. oleum Baptizatorum unctioni deſtinatum ſanctificari ſuper ideam Altare, ubi conſecrabatur Euchariſtia. De olei benedictione pro unctionibus, & aquæ pro baptiſmo loquitur D. Baſilius in lib. de Spir. S. c. 27. tamquam de ritu ab Apoſtolis tradito. Docet S. Optatus l. 7 oleum iſtud, quod conſecratur, per conſecrationem iſtam appellari chriſma.

Inter functiones Epiſcopi proprias Benedictio oleorum numerabatur; quam fieri a Presbyteris vetuit primum concilium Toletanum anno 400. eamque ad ſolum Epiſcopum pertinere declarant primum ac tertium Carthaginenſe concilium, & Papa Gelaſius. Presbyteri tamen jubentur inſervire Epiſcopo in hac cæremonia; ſunt autem Pariſiis duo Archidiaconi & duo Archipresbyteri. In concilio Rotomagenſi an. 1072. can. 1. præcipitur, ut duodecim adſint Sacerdotes Sacerdotalibus veſtimentis induti: *Hoc providere debet Epiſcopus, ut in ipſa Chriſmatis conſecratione duodecim Sacerdotes veſtibus Sacerdotalibus induti, vel plures ſecum habeat.* Cernimus in vita S. Udalrici, qui an. 973. mortuus eſt, duodecim Sacerdotes huic cœremoniæ interfuiſſe; in vita S. Henrici legimus, Benedictum Papam VIII. in conſecratione chriſmatis duodecim habuiſſe Epiſcopos.

Benedictio iſta oleorum fiebat olim, quotieſcumque neceſſitas poſtularet, ut liquet ex primo concilio Toletano; quo teſte fiebat nonnullis diebus ante Paſcha pro Baptiſmo, qui Paſchate adminiſtrabatur; & propterea Benedictio iſta Feriæ quintæ in cœna Domini adjuncta eſt; & in Sacramentario Gelaſii exſtat Miſſa propria pro hac cæremonia, *Miſſa Chriſmatis* appellata; & hoc eſt antiquius objectum, quod in hodierna Miſſa proſpectum eſt Romæ, non ſecus ac in Hiſpania: nam a S. Iſidoro Hiſpalenſi l. 3. de div. offic. c. 28. ponitur *In Cœna Domini* biduo ante Paſcha; in Galliam deinde talis uſus inveſtus eſt. Concilium Meldenſe anno 845. can. 46. prohibuit Epiſcopis, ne ſanctum chriſma conficerent, niſi Feria quinta majoris Hebdomadæ, ſeu in die cœnæ Domini. Ait S. Cyprianus ep. 70. quod ad Altare, videlicet durante Miſſa benedicebantur Sancta Olea eodem loco ac tempore, quo Euchariſtia conſecrabatur: *Euchariſtia & oleum unde baptizati unguntur, in Altari ſanctificatur.* In pervetuſto Pontificali Bellovacenſi dicitur, quod Sacerdotes, qui Epiſcopum comitantur, cum ipſo ſunt conſecratores chriſmatis, quemadmodum J. Chriſti Corpus in Miſſa conficerant, quando cum Epiſcopo concelebrant; appellantur autem *Teſtes & Cooperatores ſacri Chriſmatis. Ut in confectione Corporis Chriſti ſimul cum Pontifice verbis & manibus conficiunt, ſic cum Pontifice oleum conficiunt.*

Sicut autem tria oleorum genera benedicuntur, ita tria tempora ad eorum benedictionem aſſignantur. Oleum Infirmorum benedicitur ante *Pater*, ad illa verba *Per quem hæc omnia*. Chriſma & Oleum Catechumenorum ad *Agnus Dei*; balſamum miſcetur oleo, quod Chriſmati conficiendo inſervire debet, teſte Beda in cant. c. 1. *Balſamum quod in Chriſmatis confectione liquori olivæ admiſceri, ac in Pontificali benedictione conſecrari ſolet.* In Ordine Romano Amelii cernimus, S. Chriſma oleo olivæ puriſſimo compoſitum eſſe; in eo tres pretioſiſſimi balſami guttas infundi; afferri phialas, *Ampullas*, ad Altare initio Miſſæ, cum cruce, incenſo, & ſeptem candelabris, ut in magnis ſolemnitatibus fieri ſolet. In Sacramentario S. Gregorii habetur, quod in fine cano-

canonis offertur oleum pro Infirmis, exorcizatur, & benedicitur cum unica Oratione, poſt quam dicitur *Per quem hæc omnia ſemper bona creas*. Poſt communionem offertur chriſma Pontifici, qui benedicit per Præfationem, *Dominus vobiſcum . . . Surſum corda; Gratias agamus . . . Vere dignum & juſtum eſt . . .* Deſuper halat, & Orationem dicit, qua finita ſalutat chriſma, *Omnes eum per ordinem ſalutant*; deinde Pontifex lotis manibus communicat Populum. In antiquo Pontificali Rotomagenſi præſcribitur, præparari tria vaſa aut phialas, *Tres ampullas aut bullas*, plenas oleo, unam pro Infirmis, alteram pro catechumenis, & tertiam pro chriſmate. Phialæ iſtæ holoſerico teguntur; Miniſtri accedunt ad Altare ornamentis induti, ſicut in Feſtis ſolemnioribus; poſt collectam Miſſæ *Deus a quo & Judas . . .* dicitur altera pro chriſmate: *Deus qui in regenerandis ſtirpibus tuis Miniſterio uteris Sacerdotum, tribue nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum . . .* in fine Canonis *Largitor admitte per Chriſtum . . .* offertur Epiſcopo Oleum pro Infirmis, quod benedicit cum Sacerdotibus aſſiſtentibus; ibi etiam adnotatur, quod iſta oleorum confectio fit in Miſſa ipſa confecrationis Corporis Chriſti, ideoque non habet Officium proprium, neque *Dominus vobiſcum*, neque concluſionem *Per Dominum noſtrum J. Chriſtum*, ut in Officiis particularibus, *Conſecratur in ipſo Officio confecrationis Corporis & Sanguinis Domini; non enim habet proprium Officium, ideſt, non in capite verba ſalutationis hoc eſt, Dominus vobiſcum* nec *Oremus*, nec in fine concluditur ut in ceteris, *Per Dominum noſtrum I. Chriſtum*, ſed tantum *in nomine Domini Jeſu*: poſtea Epiſcopus cum Presbyteris exorcizat oleum Catechumenorum: *Exorcizo te Spiritus immunde . . . .* Oremus, *Emitte Domine . . .* Poſt Epiſcopi communionem duodecim Presbyteri & plures Acolyti pretioſis ornamentis induti, duabus præcedentibus crucibus, cereis, & duobus thuriferariis, deferunt hoc modo in proceſſione oleum Catechumenorum, & Infirmorum una cum Evangeliorum Libro; accedunt deinde ad Epiſcopum ſuo loco ſedentem, & circa illum ſtant; miſcet ipſe ballamum oleo, *halat* ter deſuper, dicit exorciſmum, *Exorcizo te*, deinde Præfationem, *Per omnia . . . . Vere dignum . . . .* ſalutat Chriſma dicens *Ave Sanctum Chriſma*, & omnes ſalutant, deinde Epiſcopus manus abluit, & Clerum ac Populum communicat. Hoc ferme idem in Pontificali Romano reperitur.

Concilium Rotomagenſe an. 1072. præcipit, ne Archidiaconi contenti ſint recipere aliquas Chriſmatis, & olei confecrati guttas alii oleo immiſcendas, ſicuti in quibuſdam locis invaluerat abuſus; ſed ut totum eorum Chriſma, & oleum offerant Epiſcopo conſecrandum: Ut Decani Rurales Chriſma, & Sancta Olea cum reverentia diſtribuant, albis induti, & in vaſis bene clauſis: ad abſentes mittebantur per Diaconos, & numquam per Laicos, neque per Clericos, ut videre eſt in primo Concilio Toletano *can.* 20. & in IV. Carthaginenſi *can.* 26. Concilium Vaſonenſe per Subdiaconum ſaltem mitti jubet; Vormatienſe an. 868. deferri ſtatuit, quemadmodum Sanctorum Reliquiæ deferuntur; Autiſſiodorenſe obtegi præcipit chriſmario, & linteo, *Cum chriſmario, & linteo, ſicut Reliquiæ Sanctorum deportari ſolent*. Vetant etiam Concilia expreſſe, ne quid exigatur, vel petatur pro S. Oleorum diſtributione; Concilium Emeritenſe *can.* 9. *Nihil petere præſumat*; Cabilonenſe an. 813. Parochis prohibet, ne quid donent: *Nihil Presbyteri Chriſma accepturi, dent*; ita quoque Meldenſe *can.* 45. Barcinonenſe an. 599. *can.* 2. & ſecundum Bracarenſe *can.* 4.

CAPVT LIX.

De Miſſa Solemni Feria quinta in Cœna Domini.

TErtia hujuſce diei cæremonia, quæ tertiæ Miſſæ occaſionem dederat, in honorem fiebat illius Myſterii, quod

Digitized by Google

quod gestum erat in cœna, & in captura Christi ante ejus mortem. En igitur objectum Officii nocturni, diurni, atque unicæ Missæ, quæ in præsens dicitur, in quam duarum reliquarum objecta inducuntur; reconciliantur Pœnitentes vel initio, vel ante Oblationem; & fit Oleorum consecratio ante communionem. Hinc patet, cur tam solemnis facta sit ista dies, & cur diversis nominibus appellata. Appellatur *Dies in Cœna Domini*, quia in cœna hujus feriæ quintæ Christus instituit Eucharistiam; quapropter in quibusdam locis non dispensabatur communio jejunis, sed post cœnam, ad exemplum Apostolorum, & primorum Fidelium, de quibus loquitur S. Paulus 1. Cor. 11. Hoc non improbatur a tertio concilio Carthaginensi; & a S. Augustino ep. ad Januarium traditur, quod in Africa duæ Missæ dicebantur hodierna die, altera mane pro iis qui non jejunabant, & volebant communicare jejuni; altera sero pro iis qui jejunabant: *Mane propter prandentes, ad vesperam propter jejunantes*: & quod in nonnullis locis permittebatur hodie communicare post cibum: *Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos sterni, & accipere licet Corpus, & Sanguinem Domini*. Concilium II. Bracarense an. 569. *can.* 16. celebrare hodierna die vetuit, aut communicare, nisi jejunos: *Si quis feria quinta in Cœna Domini hora legitima post nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet; sed secundum festam Priscilliani Festivitatem ipsius diei ad horam tertiam per Missas Defunctorum, soluto jejunio colit, anathema sit*. Error erat Priscillianistarum asserere, posse quemquam post potum Missam Defunctorum celebrare. Cernitur in hoc Canone, quod *Feria quinta in Cœna Domini* prohibetur solutio jejunii Quadragesimalis, & Missæ celebratio ante Nonam. Referente Micrologo c. 52. ejus ævo admonebantur accurate populi, ne jejunium hodierna die solverent, sub pœna anathematis, juxta Conciliorum Decreta, ac præcipue Laodiceni *can.* 50.

Hodierna Missa semper fuit perquam solemnis etiam antequam Urbanus IV. institueret SS. Sacramenti Festum, quale apud nos hodie celebratur. Usque ad istius Pontificis tempora Feria hæc quinta destinata erat ad præcipuum hujus Mysterii cultum, & appellabatur *In Cœna Domini*, seu *Natalis Domini*, ut in quadam Homilia tradit S. Eligius. Durandus, qui de Festo Corporis Christi non egit, propterea quod nondum ætate sua institutum fuerat ubique, affirmat, hujus diei Festum reliqua omnia antecellere, & magni Sacramenti institutionem esse illius objectum: *Propter Institutionem Sacramenti Sacramentorum est gaudium, & hoc Festum omnia alia excellit*.

In Sacramentario S. Gregorii unica tantum extat Missa, cujus Introitus *Nos autem*; dicitur *Gloria in excelsis*, si celebret Episcopus ad confidenda Olea Sancta; nec aliter dici permittitur. Ita præscribit Nicolaus I. in Epistola ad Rodulphum Episcopum Bituricensem: *Gloria in Excelsis ab Episcopis in Cœna Domini inter Missarum solemnia more nostro dicenda est*. Reliquis omnibus vetat Lanfranchus: *Missa festive celebratur, Gloria in excelsis minime dicatur, nisi Episcopus Missam celebret, Chrisma facias*. Idipsum affirmat Udalricus, *Missa festive absque Gloria in excelsis*. Collecta est *Deus a quo Judas*; reliqua ut hodie, excepta Præfatione propria. Ad *Communicantes* additur; *Et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster pro nobis traditus est*: ad *Hanc oblationem* interseritur: *Quam tibi offerimus ob diem in quo Dominus noster I. C. tradidit Discipulis suis Corporis, & Sanguinis Mysteria celebranda... Qui pridie . . . . Hoc est hodie . . . .* Epistola *Canantibus*, Evangelium *Ante diem Festum Paschæ*, postea *Credo*, Offertorium *Dextera Domini*. Hæc Antiphona cum reconciliatione Pœnitentium relationem habet in iis locis, in quibus ante Oblationem reconciliabantur.

Communio Feria quinta in Cœna Domini generalis erat. Juxta ritum Romanum Presbyteri ad Missam cum Sto-

Digitized by Google

Stola communicabant ; antehac celebrabant Miſſam cum Epiſcopo , vel Parocho , vel Celebrante , non ſine Sacerdotalibus ornamentis , & Pariſiis etiam nunc duo Archidiaconi una cum Epiſcopo celebrant . Carnuti ſex adſunt Archidiaconi , qui Præfationem , & *Pater* cum Epiſcopo decantant , ſe vertunt ſimul dicentes *Dominus vobiſcum* , & propriis manibus ſe communicant ſub bina ſpecie . Hodie Presbyteri , quemadmodum Clerici , communicant ſolummodo , non ſunt amplius Concelebrantes ; neque proprii Ordinis ornamentis induti ; neque Clero permittitur calix , ſed communicat ſub una tantum ſpecie . Iſta communio non eſt Paſcha cleri , ſed cæremonia tantum , ac mera repræſentatio Inſtitutionis Sacramenti , quod Chriſtus ea die cum Apoſtolis celebravit : *In vivam repræſentationem illius Sanctiſſimæ Cœnæ , quam D. N. I. C. una cum ſuis Apoſtolis celebravit* , ut inquit Carthuſienſium Ordinarium præter plura Pontificalia .

In quibuſdam Eccleſiis pax non dabatur , quia Judas hac die oſculo tradiderat Chriſtum : *Propter Judam proditorem , & eius falax oſculum pax non detur* , ut plura Ritualia teſtantur . Ubi non dabatur pax , neque *Agnus Dei* dicebatur . Non omittebantur hac die privatæ Miſſæ , ut videre eſt in quibuſdam Ordinariis etiam Monaſticis ; cum vero novus ignis ea die benediceretur , Miſſam ante ignis benedictionem celebrare volentes , ſine lumine celebrabant : *Sacerdotes ibunt dictum Miſſas ſuas , & debent celebrare illas , & celebrabunt ſine igne* , vel ut alia tradunt Ritualia , *ſine igne celebrabunt , ſi ante novi ignis benedictionem cantaretur* . Ea die , quoniam communio generalis erat , Presbyteris , qui ad Miſſam ſolemnem communicare non poterant , Miſſam privatam celebrare permittebatur .

Ad *Gloria in excelſis* Romæ non pulſantur campanæ , quia cum Veſperæ Miſſam immediate ſubſequantur , utriuſque ſignum edi cenſetur circa Evangelium . In aliis Eccleſiis nolæ pulſabantur uſque ad *Sanctus* , vel uſque ad *Agnus Dei* , ut ſignificaretur id ad Veſperas referri , quarum ſignum ſeparatim a Miſſa edebatur .

Veſperæ incipiebantur ſtatim poſt communionem Celebrantis , qui accepto calice primam dicebat Antiphonam Veſperarum *Calicem* , & Veſperæ dum canerentur , communicabat Aſſtantes : *Dum communicant , cantantur Veſperæ* .

Si præcipuum hujuſce diei Myſterium , nempe Euchariſtiæ inſtitutio a Chriſto facta conſideretur , dicendum eſt incepiſſe Feſtum hoc cum Eccleſia , atque etiam inſtiturione ejus poſteriora eſſe Paſſionis , & Reſurrectionis feſta , quoniam Chriſtus Euchariſtiam inſtituens præcepit Apoſtolis , ut eam renovarent , & facerent in memoriam ejus . Hoc itaque Feſtum inter præcipua habebatur Eccleſiæ , & nonnullis inerat jejunandi ſcrupulus , qui propterea poſt Euchariſticam cœnam magnum apparabant convivium , quod a Concilio Laodiceno *can.* 50. vetitum eſt . Conſultus S. Auguſtinus , utrum hodierna die Miſſa dicenda eſſet mane , & ſero etiam poſt cœnam , ad imitationem Jeſu Chriſti , qui poſt cœnam celebraverat , an vero jejunandum eſſet , neque cœnandum niſi poſt Miſſam , reſpondit (*Ep. ad Ianuar.*) nihil ea de re Scripturam decernere , & unumquemque debere ſequi morem Eccleſiæ ſuæ , cum nihil eſſet , quod fidem , aut mores offenderet ; Sanctum quidem Paulum affirmans revera coarguiſſe Corinthios , quod Euchariſtiam in prandio vel poſt prandium celebrarent ; ſed neque injuſtam ineſſe cauſam credendi ; ſemel in anno , ipſo Euchariſticæ Inſtitutionis die offerri , & accipi poſſe corpus , & Sanguinem Jeſu Chriſti poſt cibum . Addit S. Doctor , propter balneum , quo fere omnes ea die utebantur , bis offerri Sancta Myſteria conſueviſſe , mane quidem pro prandentibus , qui jejunium ſimul , & balneum tolerare non poterant ; ſero autem pro jejunantibus . Erat ab initio pro Cathecumenis tantum hujus diei balneum , cum dedeceret , eos , qui vigilia Paſchatis offerendi erant ad fontes , ſitu ſcatere ac ſordibus , quas ex jejunio contrahe-

Digitized by Google

xerant Quadrageſimæ, quo tempore abſtinebant a balneis; Feriam autem elegerant, tamquam Feſtum, quo annua Domini cœna celebraretur, & ad imitationem Cathecumenorum plures lavabantur, & jejunium hodiernum ſolvebant: indulgentia iſta concedendi balneum iis, qui hodierna die non jejunabant, colligitur ex tertio Concilio Carthaginenſi, *can.* 29. per quod excipitur Feria hæc quinta ab inhibitione dicendi Miſſam, & communicandi poſt cibum, in honorem, & exemplum Dominicæ Cœnæ, cujus anniverſarium celebratur. Priſcillianiſtæ hodiernum ſolventes jejunium a Concilio Bracarenſi condemnati ſunt, *can.* 16. quo Presbyteri Miſſam dicere juſſi ſunt, & alii ad horam Nonam hodie communicare; itaque nonnihil de magni jejunii lege relaxatum eſt, cum anticipari prandium, veluti in parvis jejuniis, permitteretur. Robertus Pullus duodecimo ſæculo contra eos ſcripſit, qui hodierna die poſt lotionem pedum ſecunda vice comedebant. Concilium Aquiſgranenſe an. 817. *can.* 23. Abbati tantum permittit, ut vini calicem propriis manibus præbeat Religioſis, quibus pedes laviſſet. Hæc igitur relaxatio a Monachis profecta eſt; nam proceſſu temporis ad modicum vini acceſſere azymi, offæ, bellaria, liquoreſque in honorem Dominicæ cœnæ cum Diſcipulis peractæ. Quem tamen abuſum Petrus Venerabilis, & alii quamplurimi improbarunt.

CAPVT LX.

Quomodo Euchariſtia aſſervaretur in craſtinum.

ROmanus Amelii Ordo tradit, quod Veſperarum tempore Hoſtia in craſtinum aſſervanda in armariolo ſolemniter defertur, hoc eſt cum cruce, cereis, & incenſo: *Antecedentibus luminaribus, cruce, incenſo proceſſionaliter portat ad armariolum*: quare iſta Proceſſio antiquior eſt Pii V. æVo, neque ante eum mentio de illa facta eſt in antiquis Miſſalibus Romanis, quibus Pii juſſu inſerta eſt. Cum autem hoc fieret olim perquam ſimpliciter, in antiquis Udalrici conſuetudinibus l. 1. c. 12. habetur quod Feria quinta majoris Hebdomadæ, dum Veſperæ dicerentur in choro, Celebrans retro Altare reponebat Euchariſtiam, quæ communioni craſtinæ debebat inſervire, *Recondit. tur Dominicum corpus a Sacerdote retro Altare.* Idque fiebat fine proceſſione, aut pompa.

In antiquis uſibus Ciſtercienſium 1. par. c. 31. Feria quinta poſt communionem Religioſorum reſervatur in craſtinum communionis particula in Ciborio, quod ſuperiori Altaris parte ſuſpenditur, & die craſtina celebrans ex eodem ciborio particula accepta ſe ipſum communicat, & Miniſtros. De privatis Oratoriis nulla fit mentio. In ſtatutis Lanfranchi parari jubetur locus Euchariſtiæ deſtinatus: *Ad locum conſtitutum decentiſſime præparatum*: memoratur etiam Proceſſio ad locum repoſitionis paratum, & ornatum, *Interea præcedente Proceſſione . . . . incenſato ipſo loco, & ante repoſitionem, & poſt repoſitionem, ante quem locum lumen continue ardeat*; quæ quidem Proceſſio non erat niſi e Celebrante, Miniſtris, & Acolytis, qui luminaria, & incenſum deferebant; Clerus enim eo tempore remanebat in choro, *Interim Conventus ſedet in Choro*. In Ordinario Carthuſienſium c. 49. habetur, Euchariſtiam in eodem loco aſſervandam eſſe, ubi in majori Altari cuſtodiri ſolet, & prohibentur parari Sepulchra, & Altaria, ut Sæculares faciunt, Monachorum ſolitudini non convenientia: *Euchariſtia reponatur in loco conſueto majoris Altaris, prohibentes fieri pro ea reſervanda more ſecularium monumenta, vel alios apparatus noſtræ ſolitudini non convenientes*. Joannes Abrincenſis, qui an. 1079. mortuus eſt, in Libro de Officiis ait, Feria quinta in cœna Domini plures Hoſtias conſecrandas eſſe pro cleri, & Populi communione, earumque dimidium ſine vino reſervandum in craſtinum; hafque Hoſtias a Celebrante, & Miniſtris cum Proceſſione, hoc eſt cum cereis, & incenſo honorifice defe-

rendas ſuper quoddam Altare, ubi pretioſiſſimis linteis obtegendæ ſunt, & ante Altare lampas accendenda: *Ipſe Hoſtiæ a Sacerdote, & Miniſtris Altaris indutis cum Proceſſione, ſcilicet cum cereis, & incenſo ſuper quoddam Altare honorifice deportentur, ubi cum nitidiſſimis linteaminibus optime recondantur*. Cernimus autem, proceſſionem appellari inceſſum illum celebrantis, cui incenſum, & luminaria præcedant. In Miſſali Carnutenſi de Proceſſione Feriæ quintæ, aut ſextæ majoris hebdomadæ nulla fit mentio. Feria ſexta Diaconus poſt adorationem crucis affert calicem cum corpore Domini pridie conſecrato, & ponit ſuper Altare: *Affert Diaconus Calicem cum beſſerno corpore Domini, & ponat illud ſuper Altare*. Feria quinta Diaconus dat benedictionem choro, & Populo cum SS. Sacramento, antequam illud reponat in cornu Evangelii parato, ubi Euchariſtia reſervatur in craſtinum.

Romæ denuntiatur celebris contra Hæreticos Bulla, *in Cœna Domini* appellata; quod quidem a Bonifacio Papa VIII. fieri cœptum creditur, vel ſaltem ante Ordinem Romanum Cajetani nihil cernitur; alii autem Clementi V. tribuunt. Anno 1420. credit Spondanus a Martino V. contra Bohemos prima vice evulgatam fuiſſe.

CAPVT LXI.

De Cæremonia detegendi, & lavandi Altaria.

POſt Miſſam Feria quinta in cœna Domini denudantur Altaria; quod olim fiebat quotidie poſt Sacrificii celebrationem. Lugduni ſemper, peracta Miſſa, removetur mappa. Romæ denudatio iſta fit cum cæremonia a Miniſtris Altaris, qui ut expeditiores ſint, caſulam deponunt ac tunicam, Presbytero, & Diacono albam habentibus ac ſtolam, & Subdiacono albam; verum antehac Sacriſta ipſe hora opportuna Veſperarum vel cœnæ denudabat Altaria. In uſibus Ciſtercienſium c. 21. *Expleto pſalterum mandato, Sacriſta Altaria diſcooperiat*: apud Lanfranchum Sacriſta appellatur Secretarius, penes quem res ſacræ, aut ſecretæ deponuntur: *Dum fratres in Refectorio, Secretarii diſcooperiant omnia Altaria*. Deinceps vero huic cæremoniæ adjectæ ſunt preces, *Super veſtem meam miſerunt ſortem, . . . Diviſerunt veſtimenta mea . . . .* addituſque Pſalmus *Deus Deus meus reſpice . . . .* Ordo Romanus de Altarium denudatione tantum, non de lotione mentionem facit: *In Veſpera hujus diei nuda ſint Altaria, uſque in mane Sabbati*; de lotione etiam Altarium nulla mentio in Gelaſii, & S. Gregorii Sacramentariis. S. Iſidorus Hiſpalenſis primus omnium de lavandis Altaribus loquitur, *In Cœna Domini Altaria Templique parietes, & pavimenta lavantur*: idipſum aſſerit Rabanus. De Altarium denudatione loquitur etiam decimum ſeptimum Concilium Toletanum *can. 2. In Cœna Domini quando more ſolito Altaria debent deveſtiri*. S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus hom. 5. ait lavari hodierna die Altaria ad repræſentandam lotionem pedum, quos chriſtus lavit Apoſtolis, *Eodem die quo Dominus pedes Diſcipulorum lavit, Altaria Templique parietes lavantur, & vaſa purificantur*. Adventante Paſchate tota verrebatur ac mundabatur Eccleſia, lavabatur pavimentum, parietes, Altaria, & Vaſa Sacra. In nonnullis Eccleſiis aqua, & vinum, quæ Altarium lotioni inſervire debebant, benedicebantur; & Miniſtri aras lavabant *Albis induti, & nudis pedibus*: in nonnullis celebrans erat indutus caſula, Diaconus, & Subdiaconus tunicis violaceis, atque etiam aqua, & vinum thymiamate aliquo perfundebantur. Pariſiis aqua, & vinum in modum crucis verſari debent. De aqua, & vino pro lavandis Altaribus agit Rupertus l. 5. c. 31. In ſtatutis Lanfranchi lavantur Altaria feria ſexta a Sacriſta cum Presbyteris quibuſdam, qui nudis pedibus, & albis induti cantant Reſponſorium *Circumdederunt*. Nonnulla tradunt Ordinaria, aqua primum, deinde vino Altaria lavanda eſſe, & buxeo, vel roſeo ſtru-

Digitized by Google

fruticè fricanda. In Concordia S. Dunſtani aqua benedicta lavabantur Altaria: *Benedicta aqua Altaria lavantibus*. In aliis Ordinariis aqua, & vino lavabantur, & interea per Antiphonam, & Orationem fiebat commemoratio de Sancto, in cujus honorem erectum fuerat Altare, quod lavabatur: *Lavantur Altaria aqua, & vino, & interim dicatur Antiphona, & Oratio de Sancto, cujus eſt Altare, quod lavatur*: ut Pariſiis moris eſt.

Tribus hiſce diebus breves Horæ in choro non dicebantur, fortaſſe ut mundandæ Eccleſiæ Miniſtri vacare poſſent, qui Matutinum, Laudes, & Veſperas recitabant, quo tempore ceſſatur ab opere, & proinde cantabantur in choro hora conſueta, & liberaj quod deinceps in cæremoniam tranſiit; vel potius Horæ breves non cantantur tribus hiſce diebus, quia iis nondum inſertæ ſunt Antiphonæ, unde Pſalmi intonari ſolent. In pleriſque Ordinariis Monaſticis habetur, quod breves Horæ in Oratorio Infirmorum dicerentur, quia tunc Eccleſia mundabatur: *Eo quod interim mundaretur Eccleſia*.

CAPVT LXII.

De pedum lotione, & de Mandato.

ALtera erat hujuſce diei cæremonia, lotio pedum, quæ appellatur *Mandatum*, quod a Chriſto commendata ſit, *Mandatum dedi vobis*. Cum enim J. C. ævo nudis pedibus cum ſandaliis tantum ſive ſoleis incederent, ac pedes facillime deturparent, ante alia officia hoſpitibus præſtita lavabant pedes, quod eorum etiam laſſitudinem recreabat. Viduarum munia eſſe ait S. Paulus hoſpitalitatem exercere, & Fidelibus pedes abluere. Hanc autem cæremoniam lavandi pedes affirmat S. Auguſtinus epiſt. ad Januar. prætermitti tempore ſuo a pluribus conſuevisſe, veritis, ne genus quoddam Baptiſmi videretur: *Ne lotio videretur pertinere ad Baptiſmum*. Decimum ſeptimum Toletanum Concilium can. 3. eam Feria quinta præcipit celebrari: S. Bonifacius Moguntinus conſuluit antehac Zachariam Pontificem, utrum Sanctimonialibus liceret ſibi invicem lavare pedes, ſicut homines faciunt in Cœna Domini, aliiſque diebus: *Si liceat Sanctimoniales feminas, quemadmodum viri faciunt, ſibi pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in ceteris diebus*: & reſpondit Pontifex licere, præceptumque Chriſti, qui communis eſt. Dominus, non tam ad maſculos, quam ad feminas pertinere. In vita S. Berthæ Abbatiſſæ Ordinis Vallumbroſani apud Bolland. 24. Mart. legimus, eam Feria quinta Sanctimonialibus ſuis pedes lavare conſuevisſe.

Invectus eſt mos, duodecim pauperibus lavandi pedes, ad exemplum Jeſu Chriſti, qui duodecim Apoſtolis pedes lavit. Narbone quilibet canonicus duodecim pauperibus pedes lavat, quorum numerus ultra ducenteſimum fertur. Lauduni non pedes, ſed manus omnium canonicorum lavantur in capitulo. Pluribus in Monaſteriis immutatus eſt uſus lavandi pauperum pedes, lavanturque eorum ſtatuto numero manus ſingulis Quadrageſimæ diebus ante prandium. Cæremonia iſta *Mandatum* appellatur, quia prima Antiphona, quæ in ea cantatur, incipit per *Mandatum*; vigetque in Principum Aulis, in Capitulis, & in Monaſteriis; & Pontifices ipſi lavant adhuc duodecim pauperibus pedes, quibus eleemoſynas, & prandium etiam liberaliter elargiuntur. Aquiſgranenſe Concilium an. 817. can. 23. & 24. ut hujuſmodi prandia abrogaret, parum potus tantum permiſit Regularibus, quibus Abbas laviſſet pedes. Cardinalis Robertus Pullus Sentent. par. 8. & Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, eorum licentiam improbarunt, qui labente die poſt Mandatum ſecunda comedebant vice, eorumque etiam, qui Dominicam Cœnam honorare dictitantes jejunium ſolvebant. In quibuſdam Regularium Cœnobiis hoc fit ſolummodo in ſero, tempore collationis, ut Pariſiis

Digitized by Google

fiis in Eccleſia S. Victoris, ubi Matutini hora nequaquam anticipata eſt: ſit lotio pedum ad veſperam, & panis, & vinum quod poſtea dari ſolet, datur ad horam, qua fieri ſolet collatio. In quibus Eccleſiis anticipata eſt hora Tenebrarum, anticipata eſt etiam hora lotionis pedum, & collationis, quas ſtatim Tenebræ ſubſequuntur: & quibuſdam in locis Cœna fit in Eccleſia, vel in Sacriſtia, ibique offæ butyro illitæ diſtribuuntur, manducatur, & bibitur, ſolviturque jejunium.

In Africa lavabantur hodierna die Cathecumeni; in] Regione autem calida balneo per totam Quadrageſimam pœnitentiæ cauſſa privati cogebantur ad fontem lavari, ut ſordibus mundata corpora ad Baptiſmum afferrent: *Ut baptizandorum corpora*, teſte S. Auguſtino ep. 118. *per obſervationem Quadrageſimæ ſordidata cum offenſione ſenſus, ad fontem tractarentur, niſi aliquo die lavarentur, iſtum autem diem electum ad hoc, quo Cœnæ Domini anniverſarie celebratur*; Et ab eodem cæremonia lavandi pedes hodierna die ſuppreſſa traditur, atque illa retenta, qua baptizandorum capita lavantur.

CAP. LXIII.

De Officio Feriæ ſextæ in Paraſceve.

Dies iſta appellatur *Paraſceve*, hoc eſt præparatio, relatione habita ad Dominicam Paſchatis.

Communis Eccleſiæ ſententia eſt, Apoſtolos Myſteriorum, quorum teſtes fuerant, feſta inſtituentes unum præcepiſſe in honorem Dominicæ Paſſionis, ut obſervat S. Auguſtinus ep. 14. nov. edit. quod quidem factum licet auguſtiſſimum eſſet, precibus tamen, jejuniis, & mortificatione potius, quam lætitiæ ſignis celebrabatur. *Paſchatis* nomine hanc diem appellat Tertullianus, quod in ea Jeſus Chriſtus Paſcha noſtrum, & Agnus immolatus fuerit, mortemque Chriſti in Judæorum Paſchate figuratam reſpiciens affirmat, diem Paſchatis apud nos diem eſſe luctus, triſtitiæ, publicique jejunii, ac propterea in Fidelium cœtibus pacem oſculandam non præberi.

In pluribus Eccleſiis noctem precibus traducebant, ſicut in Natali & Epiphania, & ad Chriſti ſepulchrum vigilantes Nocturnum Officium ab hora noctis tertia incipiebant, teſte Gregorio Turonenſi l. 2. de glor. Mart. c. 5. qui hoc Officium ait in tenebris ſine lumine recitari conſueviſſe: *Sexta feria ante ſanctum Paſcha cum in vigiliis ſine lumine pervoctarent circa horam tertiam noctis, apparuit ante Altare parvum lumen . . .* Hinc *Tenebrarum* nomine Officium iſtud appellatum eſt; & ad eas tenebras repræſentandas, poſtquam cerei accenſi ſunt, paulatim extinguuntur, ut antiquus uſus hujus Officii in tenebris recitandi memoretur, quod propterea in tenebris terminatur.

Officium nocturnum & diurnum fit ſicut præcedenti die; non pulſantur campanæ a Feria quinta uſque ad Sabbatum Sanctum, veſtigium hoc antiquitatis ſervante Eccleſia, quæ duobus hiſce diebus Fideles convocat eodem modo, quo convocabat, antequam campanarum uſus inventus eſſet; quibus ſilentibus acerbiſſimus Eccleſiæ luctus ac triſtitia repræſentatur in morte Domini. In Ordine Romano Officium nocturnum media noctis hora deſignatur, per inſtrumentum ligneum dato ſigno.

Nocturnorum Pſalmi ſunt proprii, & ſelecti, & ad paſſionem & mortem Domini relationem habent; ad Laudes vero dicuntur Pſalmi de Feria. In pluribus Eccleſiis legebatur Paſſio ad Lectiones tertii Nocturni; in aliis, ut in antiquo Galliæ Sacramentario, ad ſingulas Officii horas tam nocturnas quam diurnas legebatur; quod & in Oriente in uſu erat, teſte Sozomeno l. 7. c. 19.

Romæ ſub lucis ortum totum Pſalterium recitabat Pontifex cum ſuis Sacerdotibus; quod videre eſt in Uſibus Ciſtercienſium, & in antiquis cluniacenſium conſuetudinibus.

Quoad Officium matutinum, in antiquis Pontificalibus legimus, nullo alio ornamento Epiſcopos hodierna die, quam

Digitized by Google

quam ſimplici holoſerica mitra fuiſſe inſignitos ; cum caſula rubea celebrare ſolitos ; in pluribus Eccleſiis Diaconum & Subdiaconum alba indutos eſſe ; nullum haberi paramentum ante Altare, quod ſuperius tantum mappa candida tegeretur ; Altaris Miniſtros nudis pedibus toti Officio intereſſe ; ad Altare accedentes ſe proſternere, ibique ſeptem Pſalmos Pœnitentiales recitare ; Lectiones, Tractus, Orationes, Paſſionem, aliaſque preces dici ſine lumine, ad exprimendas tenebras, quæ in Chriſti morte Terram obtexerant, vel Solis & Aſtrorum eclipſim, ut ait Rabanus l. 3. c. 37. & Altare paramento carere, ad nuditatem Chriſti in cruce pendentis exprimendam. Quibuſdam in Eccleſiis, veluti in Narbonenſi, ante Officium non prædicabatur, ſed poſt Paſſionem, quemadmodum prædicatur in Miſſa poſt Evangelium.

Pontifex antehac de ſuo Palatio cum Clero nudis pedibus procedebat ad Eccleſiam S. Crucis, recitando Pſalterium ; Euchariſtiam præcedentis diei in corporali cum burſa incluſam deferebat unus e Cardinalibus, quemadmodum in noſtris Proceſſionibus defert Evangelium Diaconus alba indutus & ſtola ; dicto *Pater noſter*, Pontifex ſumebat Euchariſtiam, & vinum pro ablutione: *Confirmat de vino in Calicem miſſo*, ut tradit Ordo Romanus Canonici Benedicti.

Hodiernum Officium partim mane, partim veſpere celebrabatur : mane fiebant Lectiones, preces, Sermo, adoratio Crucis, & Communio fiebat veſpere. Ita etiam ætate ſua factitatum refert pſeudo-Alcuinus : *Finitis orationibus omnes exeunt foras* : quod a Sacramentario S. Gregorii idipſum affirmantis deſumſiſſe videtur ; ad horam Tertiam, referente Alcuino, pro matutino Officio congregabantur, & quinta poſt meridiem hora pro Officio veſpertino.

Feria quinta reſervatur in craſtinum Euchariſtia, quia numquam hodierna die offertur Sacrificium : *Hoc biduo Sacramenta non celebrantur*, ut ajebat Innocentius I. ep. ad Decent. Itaque Romæ biduo ante Paſcha non celebrabatur ; eſtque veſtigium veteris diſciplinæ in diebus jejunii, quod etiamnum Mediolani ſervatur ſingulis ſextis Feriis, & in Oriente ſingulis Quadrageſimæ diebus : hodierna autem die non ſacrificatur ad exprimendum Eccleſiæ luctum in morte Domini.

In Sacramentario S. Gregorii Officium valde ſimile eſt illi, quod præſcribitur in Miſſali Romano ; prima Lectio, Canticum *Domine audivi*, ſecunda Lectio, Tractus *Deus laudem meam*, Paſſio ſecundum Joannem, Orationes ſolemnes, *Oremus, Dilectiſſimi* ; in Oratione pro Judæis non genuflectitur ; quæ quidem Oratio a tempore uſque Gregorii Turonenſis dicebatur in Gallia : *Sacerdote orante pro Judæis, ut converſis ad Dominum velamen ab eis litteræ rumperentur, quidam ex his ad S. Paſcha ut baptizarentur expetis* ; ait ille l. 5. Hiſt. c. 11. Hæc ut mane fiant, *hora Tertia* congregantur.

In Ordine Romano ſit Benedictio ignis ante Officium, quemadmodum Feria quinta, & Sabbato Sancto non fiebat prepter breves Horas, quæ dicebantur adhuc ſine lumine, quia dies erat, ſed propter Officium veſpertinum. Ritus hodierna die ſacrificium non offerendi communis eſt, inque omnibus Orientis & Occidentis Eccleſiis receptus ; ſed non ita recepta eſt communio Præſanctificatorum, adeo vetus in Eccleſia Latina ; vel ſaltem de ea mentionem non facit Innocentius I. De Innocentii I. Decretali mentionem faciunt Capitularia Caroli Magni l. 7. c. 333. & in Galliam tranſiſſe docent Romanæ Eccleſiæ uſum, biduo iſto ante Paſcha Sacrificium non offerendi : *Nec Miſſas in Paraſceve aut in Sabbato Sancto, vel divina Myſteria his duobus diebus celebrentur ; Canonibus quippe jubentibus, biduo iſto Sacramenta penitus non debent celebrari*. Quartum Concilium Toletanum anno 633. ait, quod in Hiſpania Feria ſexta Eccleſiæ fores clauderentur ; quod neque officium fieret, neque concio haberetur ; præcipitque congregari Populos, legique & explanari Paſſionem : *Ideoque oportet*

Digitized by Google

tet eodem die Mysteriorum Crucis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare; ut pœnitentiæ compunctione mundati venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis . . . Can. 6. Preces istæ Indulgentiæ fortasse erant, quas nos generalem Absolutionem vocamus. Quoniam vero Sacrificium non offerebatur, congregari Populus non satagebat; ideoque in Hispania non communicabatur in Paraſceve. Sextum decimum Concilium Toletanum designat etiam; nulli licuisse eo die Missam celebrare: *Excepto Dominicæ Passionis die, quando Altaria nudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solemnia celebrare* Can. 8. In Missali Gothico, quod in Gallia erat in usu, nullum aliud officium habetur in Paraſceve, quam distributio Dominicæ Passionis per omnes Horas diurnas, eaque legitur ſecundum quatuor Evangeliſtas: habentur etiam plures Orationes pro iſta & ſequenti die, *in Biduana*: differunt autem ab iis, quæ Romæ recitantur.

Undecimo ſæculo Humbertus Cardinalis diſputans adverſus Græcos, ac præ ceteris improbans Præſanctificatorum Miſſam, quam celebrant in Quadrageſima, affirmat, in Eccleſia Latina, quacumque hora dicatur Miſſa, ſemper perfecte dici; non reſervari partem aliquam oblatæ hoſtiæ in ſequentes dies, ut Miſſæ inſerviat imperfectæ; nec Apoſtolos hujuſmodi Miſſas celebraſſe: *Nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies sequentes agatur inde Missa imperfecta; nec Apostoli leguntur ex illo Mysterio quid reservasse.* Ex quo intelligimus, iſtius Cardinalis ævo Miſſam Paraſceves nondum fuiſſe in uſu in Eccleſia Latina; quæ undecimo quidem ſæculo introducta eſt, ſed fortaſſe nonniſi tempore Crucefignatorum; vel etiam dici poteſt, Miſſam Paraſceves numquam fuiſſe tamquam Miſſam conſideratam, ſed tamquam generalem Cleri & Populi communionem, quæ eo die in honorem Dominici Sacrificii peragebatur.

Ante Innocentium I. nullum exſtat teſtimonium, quo nullum in Occidente ſacrificium offerri in Paraſceve perhibeatur. Tertullianus, & S. Ambroſius, de Sacrificio diebus jejunii, vel ſtationis agentes, Feriam ſextam non exceperunt; nonniſi ad quartum ſæculum abſtineri biduo iſto cernimus a celebrando, ut ſcilicet Dominicæ mortis ac ſepulturæ tempus, luctuſque Eccleſiæ, ſilentio celebretur; deinceps vero, quemadmodum Græci faciunt ſingulis Quadrageſimæ diebus, Miſſa ſeu Communio ſine Sacrificio inſtituta eſt, quæ in Gelaſii & S. Gregorii Sacramentariis reperitur, licet additamenti loco interſertam omnes affirment; ad ſeptimum tamen ſæculum in Magiſtri Regula c. 53. deſignatur: *Ut in Cœna Domini Sacramenta Altaris in patenæ majore vitrea finiantur*, hoc eſt ſubpatina Hoſtiæ in Cœna Domini conſecratæ recondantur, ut ſequentis diei inſerviant communioni. Refertur etiam ab Ordine Romano, qui Caroli Magni tempore ad octavum ſæculum creditur inſtirutus, quo teſte poſt adorationem Crucis duo Sacerdotes ex iis, qui ad Altare aſſiſtebant Epiſcopo, ibant ad Sacriſtiam vel alium locum, ubi Chriſti corpus in heſterna Miſſa conſecratum reſervaverant, acceptumque reponebant ſuper Altare denudatum; tum celebrans particulam Hoſtiæ conſecratæ immittebat in Calicem, in quo vinum erat non conſecratum, & nihil dicendo communicabat; & poſtea Clerus pariter & Populus communicabant. Sæpius de iſtius qualitate vini diſputatum eſt, utrum conſecratum eſſet, an non, per immixtionem particulæ conſecratæ; quapropter dicendum eſt, ſanctificatum ſolummodo fuiſſe, factumque id ad repræſentandam perfectam Communionem, in qua, ſicut in convivio, abſque potu non comeditur. Hinc hujus Miſſæ uſus a ſeptimo uſque ſæculo ſervatus eſt.

Amalarius l. 1. c. 15. de Ordine Romano agens, ſe legiſſe ait, quod poſt ſalutationem vel adorationem Crucis duo Sacerdotes afferebant corpus Domi-

Digitized by Google

Domini, quod præcedenti die reſervaverant, ſimulque Calicem cum vino non conſecrato, quod tunc conſecrabatur, ut Populus communicaret, perque immiſſionem conſecratæ Hoſtiæ vini quoque fiebat conſecratio; quod ſibi mirum viſum eſt, utpote contrarium Innocentii I. diſpoſitioni, qua hoc biduo Sacramentum celebrari vetabatur; unde liquet, Amalarii ævo id Romæ moris fuiſſe, & ab Ordine Romano præſcriptum. Erat igitur inter Humbertum Cardinalem & Græcos diſputatio tantum de nomine, nam a Græcis appellabatur Miſſa Præſanctificatorum, quæ a Cardinali & Latinis Communio tantum nominabatur. Inquit etiam Amalarius, quod Romæ conſultus ab eo Archidiaconus circa Ordinis Romani communionem, in qua vinum ſanctificari dicebatur per immiſſionem panis conſecrati, reſpondit, quod in Eccleſia, ubi Pontifex adorabat Crucem, nemo communicabat: *Ubi Apoſtolicus ſalutat crucem, nemo communicat*. Itaque hodierna die in nullis Eccleſiis Romæ communio fiebat ad nonum ſæculum. Mediolani non fit hodie Communio, neque Miſſa Præſanctificatorum; in Gallia vero ad nonum ſæculum fiebat generalis Communio. Theodulpho Aurelianenſi referente c. 56. omnes ætate ſua triduo ante Paſcha communicabant: *In Cœna Domini, in Paraſceve, & in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis ab omnibus communicandum*. In Regula Magiſtri Septimo ſæculo exarata, ſicut etiam in antiquis Cluniacenſium Conſuetudinibus communio hodierna die & ſequenti præcipitur; præſcribitur pariter a Roberto Arbriſſellenſi in ſua Regula pro Ordine Fontebraldenſi, atque etiam ſervatur in Eccleſia Maſſilienſi S. Victoris, aliiſque Eccleſiis.

Advertendum quidem eſt, adjectum eſſe *Confiteor*, quod ad pedes Altaris dicitur, antequam vel poſtquam itum eſt ad accipiendum Sacramentum, ſimulque adjectam eſſe Orationem *In ſpiritu humilitatis*, trecentis abhinc vel quadringentis annis; exſtat ſolummodo Oratio Dominica *Pater noſter*, & *Libera nos* ad Communionem; elevatio quæ fit, dum dicitur *Sicut in Cœlo & in terra*, in pluribus Eccleſiis in uſu eſt, obſervaturque Lugduni quotidie, Romæ vero non item. De *Confiteor* loquitur Lanfranchus in ſuis Statutis: *Collocato ſuper Altare Chriſti corpore facta in Calice vini & aquæ commixtione, dicta a Sacerdote cum Diacono Confeſſione*.

Hodiernum Officium in antiquis Sacramentariis unum, & idem reperiri jam diximus; nec diſſimile extat apud Amalarium, a quo l. 1. c. 13. dies iſta *Paraſceve*, hoc eſt præparatio nuncupatur. Prima Lectio eſt immolatio Agni, qui Jeſum Chriſtum repræſentat, Agnum noſtrum Paſchalem hodie immolatum. Secunda Lectio eſt Oſee, *Venite revertamur*, Tractus *Qui habitat*, deinde Paſſio, Orationes ſolemnes, adoratio Crucis, licet ipſa non ſit vera Crux, in qua Chriſtus pependit, & Præſanctificatorum Communio.

In Ordine Romano Cajetani habetur Proceſſio ſolemnis, qua ad ſuſcipiendum SS. Sacramentum itur cum cruce, cereis, & incenſo; illudque Pontifex ipſe de armario ſuſcipit, ubi fuerat reconditum, affertque ad Altare Hoſtiam pretioſo holoſerico coopertam. Redeunte Proceſſione reponitur Crux ſuper Altare inter cereos, & lumina, Celebrans lavat manus, & Hoſtia conſecrata ſuper corporale poſita, aquam, & vinum immittit in Calicem, ut Sanguinem, & aquam e Chriſti latere hodie exeuntem repræſentet; incenſata Hoſtia, Celebrans dicit *In ſpiritu humilitatis*, poſtea *Orate fratres*, deinde *Per omnia ſæcula . . . . Præceptis ſalutaribus . . . . Pater noſter . . . . Libera nos*; Frangit Hoſtiam, & particulam pro conſecratione immittit in calicem, & ſolus Celebrans communicat. De elevatione Hoſtiæ ad illa verba *Sicut in cœlo, & in terra*, loquitur Ordo Romanus Amelii. Hodie Papa communicat, non in throno ſedens, ſed ad Altare, & ſtans, ad honorandam Jeſu Chriſti humiliationem; continuo dicuntur Veſperæ, tamquam Miſſæ inſer-

tæ,

tæ, & quamvis non cantentur, Papa, aut alius quispiam Celebrans dicit Orationem *Respice*. In thurificationibus servatur antiquus usus incensandi solummodo SS. Sacramentum, non vero Altare, Celebrantem, Clerum, aut Populum.

Omnes Divinorum Officiorum Scriptores eosdem designant ritus, qui hodie sunt in usu. Nudum erat Altare, quia pridie mappæ sublatæ fuerant, atque una tantum super illud reponebatur tempore Sacrificii. Ad Altare accedens se prosternebat Celebrans, ut plerumque moris erat, ante Altare, tamquam ante thronum divinæ Majestatis; osculabatur Altare, annuntiabat Diaconus *flectamus genua* singulis diebus, Dominicis exceptis; orationes solemnes seu Sacerdotales quotidie antehac dicebantur: quarum meminit S. Augustinus in Epistola ad Vitalem, Cælestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliarum, S. Prosper, S. Leo, aliique affirmantes, hujusmodi orationes ævo suo ubique terrarum dici consuevisse, tamquam Apostolica institutione præscriptas; a septimo tantum sæculo Liturgiæ abbreviandæ causa, Feriæ quartæ majoris hebdomadæ, & Feriæ sextæ Parasceves addictæ sunt, & postea Feriæ sextæ tantum assignatæ, quas in Missali Ambrosiano videre est. In pluribus Galliæ Ordinariis habetur una Oratio pro Rege; Mediolani Orationes istæ dicebantur post Vesperas; in quibusdam Ordinariis dicitur a Sacerdote *Oremus*, a Diacono *Flectamus genua*, neque dicitur *Levate*, nisi ante *Per Dominum nostrum Jesum Christum*; dein sequitur prædicatio, Lectiones, Tractus, Passio. In Ordine Romano Cajetani ad verba illa Passionis *Inclinato capite* Pontifex genuflectit cum aliqua pausa, & quisque alius similiter; ad Passionem neque lumina deferuntur, neque incensum, non dicitur *Dominus vobiscum*, incipitur statim *Passio Domini Nostri J. Christi secundum N.* & nihil respondetur; quando autem ventum est ad illa verba *Post hæc autem rogavit Pilatum*, Acolyti afferunt cereos, & incensum, ut fieri solet ad Evangelium, deinde Liber osculandus traditur celebranti; quod totum deinceps suppressum est, tamquam hodiernæ tristitiæ non conveniens. Affirmat idem Auctor, tempore adorationis Crucis deferri eam linteo obtectam, & tribus diversis vicibus detegi a celebrante sigillatim dicente *Ecce Lignum Crucis*. Non extat in Sacramentario S. Gregorii, quod ad verba illa *Ecce lignum* elevanda sit crux, vel monstranda solemniter populo, sed adjectum est postea; extat autem, quod præparatur Crux ante Altare, quæ a duobus defertur Acolytis, eamque Papa adorat, & osculatur, *Adoratam deosculatur Crucem*, deinde totus clerus, & populus. Post crucis adorationem duo Sacerdotes ad Sacristiam ibant, consecratam Hostiam accepturi; itaque officium hoc magis simplex olim erat, quam hodie. In Missa Ratoldi, qui est alter Ordo Romanus in Corbejensi Ecclesia usitatus, tres illæ in deferenda cruce processiones designantur; prima exeundo e Sacristia, secunda accedendo ad Altare, & tertia ad Altare ipsum, ubi crux detegitur. Interim cantatur *Agios o Theos*, & respondetur *Sanctus*. Dum crucem osculantur, dicitur Psalmus *Deus misereatur*, deinde *Beati immaculati*, *Pange lingua*; terque ad adorandam crucem se prosternunt.

Juxta S. Gregorii Sacramentarium crucis adoratio, cujus usus in Parasceve pervetustus est, & Communio fiebant vespere. S. Paulinus ep. 31. quotannis in urbe Jerusalem adorari crucem affirmat: *Episcopus Urbis hujus quotannis cum Paschæ Domini agitur, adorandum populo proponit, neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa Crux profertur*; erat certe Feria sexta Parasceves, *Dies qua Crucis mysterium celebratur*. Idem asserit S. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 4. Rusticus Diaconus, contra Hæreticos, Acephalos nuncupatos, scribens affirmat, usum prosternendi se ante crucem Jesu Christi in tota Ecclesia fuisse receptum: *Nam & clavos quibus confixus est, & lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat*.

Digitized by Google

rat. Concilium Pariſienſe I naginum cauſa habitum per totam Eccleſiam inclinari declarat ante Crucem Feria ſexta in Paraſceve : *Et ideo Sancta Mater Eccleſia toto orbe terrarum inter cetera innumera crucis Sacramenta decrevit licitum eſſe univerſis Catholicis ob amorem Paſſionis Chriſti, ubicumque eam viderint, inclinando ſi voluerint venerari, & inſuper die Sancto, quo Paſſio Domini in univerſo mundo ſpecialiter celebratur, cum omni devotione univerſum ordinem Sacerdotalem, ſeu cunctum populum adorare*. Jonas Aurelianenſis l. de cult. Imag. Crucis cultum probat per cæremoniam Paraſceves : *Ob recordationem S. Paſſionis annuatim in Sancto die Paraſceves, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam crucem Chriſti adorat, ideſt ſupplicando ſalutat, dicens : Ecce lignum Crucis . . . . Venite adoremus*. Vide, quam accurate de iſta adoratione Concilium Pariſienſe, & Jonas loquantur. Inclinationem vocat Concilium Pariſienſe, *Inclinando venerari* ; Jonas ſalutationem nominat, *Supplicando ſalutat* ; in Sacramentario S. Gregorii idipſum legitur : *Perfalutes populus crucem . . . . Salutante Pontifice vel populo Crucem . . . . qua ſalutata* . . . . idipſum plane apud Rabanum. S. Ambroſius de S. Helena loquens ait, ipſam in hoc ſacro ligno non lignum adoraſſe, quod idololatriæ crimen fuiſſet, ſed cœlorum Regem, qui in ligno pependerat : *Non lignum utique, quia hoc Gentilis eſſet error, ſed illum, qui pependit in ligno*. Exprobrabat chriſtianis Julianus, quod lignum crucis adorarent ; & S. Paulinus oſtendendam populo ait, ut adoretur, *Adorandam populo promis*. Quando quis ſe proſternit ante crucem, adorat Chriſtum in ligno, & ubi Chriſtus ſe humiliavit, veneratur inſtrumentum humiliationis ejus : *Quando crucem adoramus . . . . veneramur crucem, per quam redemti ſumus, & illum deprecamur qui redemit*, ait Pſeudo Alcuinus. Itaque verba, quæ diriguntur ad crucem, tamquam ad chriſtum diriguntur : *Domine Jeſu adoro te in cruce pendentem*. Antiphona, *Tuam crucem adoramus*, repetitur in vita Alcuini, qui an. 815. obiit ; cui morienti aſſiſtens S. Benedictus Anianenſis crucem porrigebat oſculandam dicens : *Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus paſſionem, miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis*. Igitur adoratio crucis Joroſolymis fieri cœpit, cujus Eccleſiæ ritum reliquæ imitatæ ſunt, ut arbitratur Amalarius l. 1. c. 14. qui excuſat adorantes crucem, quæ ad imaginem ligni veræ crucis facta eſt, propterea quod de ligno veræ crucis non ubique inveniri poteſt.

Petrus Cluniacenſis pati non poterat, argenteam crucem adhiberi, dum diceretur *Ecce lignum*, quare ligneam afferri præcipiebat. Nemauſenſe Concilium an. 1248. nonniſi a peccato liberum jubet accedere ad crucem adorandam in die Paraſceves : *Ad crucis oſculum in die Paraſceves nemo accedere debet, niſi immunis a peccato*.

Impropería *Populе meus*, & *Agios o Theos* extant in Concordia S. Dunſtani, & in ſtatutis Lanfranci : in Ordine Romano Cajetani *Populе meus* cantatur a duobus Presbyteris alba indutis prope crucem ; duo Diaconi alba pariter induti ante gradum Altaris dicunt *Agios*, & Chorus reſpondet *Sanctus* : Presbyteri *Quia eduxi* . . . . Diaconi *Agios* . . . . quod quidem Triſagion *Agios* ſeu *Sanctus* antiquiſſimum eſt in Eccleſia Græca, & repetitur in acclamationibus Concilii Chalcedonenſis Act. 1. & in omnibus Græcorum Liturgiis ; cum vero Gnaphæus Patriarcha Antiochenus ad Triſagion pravo conſilio adjunxiſſet *Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*, Concilium *in Trullo* can. 81. hanc precationem vetuit : cujus additio a Felice quoque III an. 466. improbata multis diſputationibus anſam præbuit. Hymnus iſte, in quo *Sanctus* ter repetitur, precatio eſt ſæpius in Officio Græcorum iterata ; ejuſque Auctores affirmant, inſtitutam fuiſſe ſub Theodoſio Juniore, & Proclo Patriarcha, occaſione terræmotus, qui Conſtantinopoli quatuor menſium ſpatio invaleſcens, hac precatione recitata, ceſſavit. Videtur iſte Hymnus ab illo originem ducere, quod apud Iſajam legitur c. 6. & in Apocalypſi c. 4 *Sanctus, Sanctus, Sanctus*,

Digitized by Google

Dominus Deus exercituum ; habeturque in Liturgiis S. Baſilii , & S. Jo: Chryſoſtomi . Liquet ex S. Jo: Damaſceno tempore Procli , Patriarchæ Conſtantinopolitani , hujuſmodi Doxologiæ formulam , *Sanctus Deus , Sanctus fortis , S. immortalis , miſerere nobis* , in Conſtantinopolitanam Eccleſiam introductam eſſe , & in Concilio Chalcedonenſi cantatam; Petrus Gnaphæus Patriarcha Antiochenus addi juſſit : *Qui crucifixus es pro nobis* ; qua fortaſſe additione factum eſt , ut in die Paraſceves caneretur .

Totum hodiernum Officium nudis pedibus dicebatur , ut ait Lanfranchus, *Officio intererunt nudis pedibus* ; quandoque intererat etiam populus ; nunc Diaconus ſine calceis cantat Paſſionem , & clerus quoque ſine calceis adorat crucem .

Rigidiora hodierna die jejunia , & aſperiora exercitia peragebantur ; quare Godefridum Abbatem uſque ad ſanguinem coram Capitulo ſe verberantem affirmat Petrus Bleſenſis , & in pluribus Monaſticis conſtitutionibus Regulares a Superiore ipſo plectebantur .

Pane, & aqua jejunabatur, ut, Ludovico Pio imperante , Concilium præcipit Aquiſgranenſe can. 8 *In Paraſceve nihil aliud , niſi panis , & aqua ſumatur* . Jejunari uſque ad Veſperam jubet Concilium quartum Toletanum , indignumque declarat communione Paſchali, qui ad horam nonam manducat .

Hodiernæ Veſperæ ſunt veluti in cœna Domini , & Veſperæ in Cœna Domini videntur primæ Veſperæ Paſſionis; quibus , quemadmodum Matutino, Pſalmi proprii inſerti ſunt. Hac die Veſperæ non canebantur , ut antiqua Eccleſiæ ſimplicitas in pſalmodia ſervaretur , *Subſilentio Veſperæ* , inquit Dunſtanus in ſua Concordia ., & Udalricus in conſuetudinibus .

In pluribus Ordinariis , & apud Jo: Abrincenſem legitur , quod hodierna die poſt Veſperas lavaretur crucifixus aqua , & vino , de quo biberent quicumque communicaverant . Poſt crucis adorationem in quodam Sepulchro recondebatur , & interim cantabatur *Sepulto Domino* .

Paſſionis Chriſti Myſterium pluribus Feſtis peculiaribus occaſionem dedit , quæ in noſtro Officio non ſunt admiſſa. Chriſti crux per hodiernum publicum cultum ſatis honoratur . Pariſiis initio Quadrageſimæ Feſtum peculiare Paſſionis Chriſti ſub titulo *Quinque Plagarum* vidimus celebrari ; quod quidem nihil aliud eſt, quam dies Paraſceves anticipare . In nonnullis locis exponuntur ampullæ , in quibus exiſtere dicitur Chriſti Sanguis . Honorari S. Sepulchrum poteſt , quod publicum eſt monumentum , adorari vera Crux , qualis a S. Helena inventa eſt , quoniam adeo authentica eſt inventio , ſemperque Eccleſiæ auctoritas amplexanda publicæ venerationis objectum proponentis .

CAPVT LXIV.

De Officio Sabbati Sancti .

MYſticam Jeſu Chriſti requiem in Sepulchro , deſcenſumque ad Inferos , tempus videlicet , quo ejus anima a corpore ſeparata fuit , ſeu myſterium Sepulturæ ejus hodierna die celebrat Eccleſia .. In Ordine Romano Officium nocturnum a media nocte incipiebat , totumque , ſicut præcedenti biduo , peragebatur . Ad Matutinum Pſalmi ſunt proprii ; ad Laudes Pſalmi , & Canticum Feriæ tertiæ , propterea quod ad exprimendam Dominicam Sepulturam aptiores viſi ſunt; Pariſiis dicitur Canticum Jonæ . Solus hic dies Miſſam non habet , ne Præſanctificatorum quidem . Romæ ſervatus eſt uſus , de quo loquitur Innocentius I. ex quo enim Officium nocturnum Paſchatis in diem præcedentem anticipatum eſt, tunc ſolummodo dici Miſſa cœpta fuit , quæ tota eſt de Vigilia ſeu nocte Paſchatis , eſſque inter vigilias Eccleſiæ maxime ſolemnis ; incipiebat autem poſt Nonam circa occaſum Solis , & durabat uſque ad auroram Paſchatis , nec umquam egredi licebat ab Eccleſia ; quilibet jejunus erat a die præcedenti , totum-

Digitized by Google

tumque illud ſpatium dabatur lectionibus, precibus, Inſtructionibus, Baptiſmo Cathecumenorum, & Sacrificio Miſſæ, quod per communionem Paſchalem adſtantium terminabatur. Hoc a Græcis etiamnum obſervatur, a quibus hoc ſolum Sabbatum per annum jejunio celebratur; præſcribiturque a Concilio in Trullo can. 89. *Dies ſalutiferæ Paſſionis in jejunio . . . . uſque ad mediam noctem magni Sabbati jejunare oportet*. Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 1. cap. 18. noctem precibus traduci, & poſt mediam tantum noctem comedi præcipiunt: *Sabbato uſque ad galli canum, jejunium producite pervigilantes*.

Hodierni Officii talis eſt ordo: ad horam tertiam vocabantur omnes baptizandi veſpere; vel meridie, ſi noctu tantum baptizandi erant; pro ultima vice catechizabantur, fiebatque ultimum Scrutinium; deinde eorum quiſque peculiariter ſignabatur ſigno crucis in fronte, eorum capiti manus imponebantur; facto ultimo exorciſmo, tangebantur illis aures, & nares cum ſaliva, dicendo *Ephpheta*, poſtea ungebantur exorcizato oleo, quod Catechumenorum oleum appellatur, ſuper pectus, & humeros, abrenuntiare Sathanæ, & pompis ejus jubebantur, & cuilibet interrogationi reſpondebant. Primo Eccleſiæ ævo totum corpus ungebatur: ſed quia hujuſmodi unctio non ſine periculo, fœminis præſertim, fieri viſa eſt, pectori tantum, & humeris fieri cœpit; inde profeſſionem fidei facere, & Symbolum recitare jubebantur; poſt hæc dimittebantur, ut ad Baptiſmi horam regrederentur. Juxta Ordinem Romanum non erat inchoandum Officium, niſi prima Stella apparuiſſet in cœlo: *Poſtea ingrediantur ad Veſperam; ut fuerit prima Stella in cælo viſa, ſonant ſigna*. Tota nocte durabat Officium, nec niſi poſt mediam noctem populus dimittebatur: *In vigilia Reſurrectionis D. ante mediam noctem non eſt dimittendus populus de Eccleſia, juxta Canonum Sanctiones*. Ante hoc tempus egredi Eccleſia vetabant canones, ut meminit S. Hieronymus ep. ad Lætam: *In die vigiliarum Paſchæ, ante noctis dimidium populos dimittere non licet*: verum paulatim Officium anticipatum eſt. Quod ægre ferens Concilium Rotomagenſe an. 1072. decrevit can. 22. ne ante Nonam incipiatur Officium, quia ad noctem pertinet Dominicæ Reſurrectionis: *Ut in Sabbato Paſchæ Officium ante Nonam non incipiatur; ad noctem enim Dominicæ Reſurrectionis reſpicit . . . .* & Feſta omnia a Veſperis incipiebant: hoc autem Officium, quia maximam noctis partem occupabat, Lectionibus, Precationibus, Tractibus, & canticis plenum eſt. Simplex erat magis in Sacramentario S. Gregorii, in quo nulla fit mentio de cerei Benedictione, ſed tantum dicitur, quod *horæ oſtava* conveniunt ad Eccleſiam, accenduntur duo luminaria in utraque parte Altaris, Pulpitum conſcendit Lector, Lectionem *In principio* recitat, deinde octo Lectiones totidemque Orationes, dicuntur Litaniæ, itur ad Fontes, duo luminaria accenſa præcedunt Pontificem, qui ad Fontes accedens aquam benedicit per orationem *Omnipotens . . . . Adeſto*, deinde Præfationem *Vere dignum . . . qui inviſibili potentia*: dividit propria manu aquam in modum crucis ad illa verba, *Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam*; ter ſignat ſigno crucis ad illa verba, *Unde benedicto ſit creaturæ aquæ per Deum vivum*; duos immergit in aquam allatos cereos, terque halat ſuper aquam dicens, *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti*; de chriſmate infundit, & baptizat infantes, a maſculis incipiendo, eoſque confirmat: inchoantur Litaniæ, & quando ad *Agnus Dei* ventum eſt, accenduntur cerei in Eccleſia, & duobus cereis præcedentibus Pontifex redit ad Altare; finitis Litaniis, incipit *Gloria in excelſis*, *Pax vobiſcum*, collecta *Deus qui hanc Sacratiſſimam noctem*, Epiſtola, deinde *Alleluja*, quod a Papa intonatur, & ſtatim Evangelium; non dicitur Offertorium, neque *Agnus Dei*, neque Antiphona communionis; Præfatio eſt, *In hac potiſſimum nocte glorioſius prædicare*;

ad *Communicantes* interſeritur, *& noſtem Sacratiſſimam celebrantes* . . . . ad precationem *Hanc oblationem* interſeritur *Pro his quos aqua, & Spiritu Sancto regenerare dignatus es*. De Sabbati Sancti Vigilia agit etiam Tertullianus l. ad Uxor. *Qui ſolemnibus Paſchæ obnoctantem ſecurus ſuſtinebis*. Interea omnes hujus Officii cæremonias percurramus.

CAPUT LXV.

De novo Igne.

PEr novum Ignem incipitur hodiernum Officium. Cum enim poſt Laudes plerumque omnia in Eccleſia luminaria extingueretur, utpote per diem ſupervacanea, novus ignis in ſero accendendus erat pro lampadibus, & cereis, qui ardere debebant ad Officium Veſperarum; quod cum ſingulis diebus fieret, propterea Officium Veſpertinum appellatum eſt *Lucernarium*, atque ita etiam a S. Hieronymo ep. ad Lætam appellatur, quod circa veſperam lampades accenderentur: *Aſſueſcat lucerna accenſa Sacrificium Veſpertinum*. De Officio Veſpertino, & de oratione dicenda in accendendis pro Officio lucernis, agit S. Baſilius de Spirit. S. c. 29. *Viſum eſt patribus noſtris Veſpertini luminis gratiam hanc quamquam ſilentio accipere*. Refert etiam laudem, quæ tunc S. Trinitati reddebatur: *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei*. Ad hujus conſuetudinis imitationem in Latinam Eccleſiam invectus eſt mos dicendi ad ignem novum *Lumen Chriſti*; ℟. *Deo gratias*; atque in honorem SS. Trinitatis accenditur ſtatim cereus, qui in tres dividitur ramos. In Breviario Mozarabico quotidie ante Veſperas benedicitur lumen, quod pro Veſperis dicendis accenditur. Apud S. Iſidorum, & alios, atque etiam apud Prudentium habetur Hymnus, qui precationis inſtar dicitur in accendendis cereis, cujus titulus eſt *Ad incenſum cerei Paſchalis*; ſed perperam: reſtitutus eſt verus titulus, *Ad incenſum lucernæ*: hoc autem Prudentii conſilio ſatis congruit, aut ſingulis diurnis horis proprium hymnum voluit aſſignare, in Poemate *Cathamerinon*; primus Hymnus eſt *Ad galli cantum*; ſecundus *Ad Matutinas*; tertius *Ante cibum*; quartus *Poſt cibum*; quintus ad veſperam ſeu ad occaſum Solis, *Ad incenſum lucernæ*; ſextus *Ante ſomnum*. Revera in Hymno iſto veſpertino deſcribit Prudentius ignem, qui eliciebatur e ſilice ad accendendas lampades; ſed nondum in uſu erat, ut lampades perpetuo arderent in Eccleſia; quare ne profanus afferretur ignis, e ſilice excutiebatur, & myſticæ quædam rationes adducebantur, ab eo deſumtæ, qui in Scripturis lux appellatur, & lapis angularis, & petra ſolida. Non igitur pro Sabbato Sancto fiebat antiquitus hæc cæremonia.

Hæc Romæ fiebat hoc triduo, & ſit adhuc in Eccleſia Remenſi, Rotomagenſi, & Cluniacenſi, eo quia lampades omnes poſt Laudes extinguuntur. Quibuſdam in Eccleſiis novus ignis non eliciebatur, ſed aliunde ſumebatur accenſus. Docet Joannes Abrincenſis, quod poſt extincta luminaria ad Laudes lumen non accenderetur uſque ad ignis novi Benedictionem: *Ex quo ultima candela ad Benedictum relinquitur, lumen in Eccleſia uſque poſt ignis benedictionem non accenditur*. Carthuſiani novum ignem non excutiunt Sabbato Sancto, quia Sacriſta lucernam accenſam in fine Officii recondit, qua in accendenda lampade utitur; neque benedicunt cereum Paſchalem. In Sacramentario S. Gregorii novi ignis nulla fit mentio, & Pontifex Zacharias in Reſponſione ad S. Bonifacium Moguntinum ait; Quoad ignem Paſchalem noſtra traditio eſt, quod in Cœna Domini, dum ſanctum Chriſma conficeratur, lampadum omnium congregetur oleum in tres magnas lampades, quæ in ſecreto quodam Eccleſiæ loco ad imitationem interioris Tabernaculi recondantur, ardeantque continuo, ita ut oleum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem; ſed traditionem non habemus de cryſtallis, de quibus loque-

loqueris. Erant autem ardentia ſpecula, ſeu lapides, unde novus ignis excutiebatur. Ex quo colligimus, præſentem Romanæ Eccleſiæ uſum excutiendi ignem, ad cereum Paſchalem accendendum, non admodum vetuſtum eſſe, neque Pontifici Zachariæ ſatis probari. Habetur autem in Ordine Romano Cajetani: *Ignis excutitur de cryſtallo ſive lapide & accenditur*; & referuntur tres Orationes, quæ in benedictione ignis dicebantur: aſpergitur aqua benedicta, tres accenduntur candelæ cannæ aut calamo ſuperimpoſitæ, dicitur-que *Lumen Chriſti*. R. *Deo gratias*. Epiſtola Bonifacii ad Pontificem Zachariam docemur, in quibuſdam Eccleſiis novum ignem accendi ſolere cum ſilice vel vitro ardenti. De novo igne, qui benedicebatur, loquitur Leo Papa IV. hom. de cur. Paſtor. *In Sabbato Paſchæ, extincto veteri, novus ignis benedicatur*. Idipſum tradit Ratherius Veronenſis, *Ep. Synod.* pro qua Benedictione in pluribus Pontificalibus unica tantum exſtabat Oratio.

CAPVT LXVI.

De Benedictione Cerei Paſchalis.

QUibus Eccleſia publice utitur, cereos quoque benedicere conſuevit: quæ Benedictio Sabbato Sancto majore cum celebritate fit, quia ignem & cereum hodie reſpicit tamquam imaginem J. Chriſti, qui lumen eſt mundi extinctum & ſuſcitatum.

De Cereo Paſchali nulla fit mentio in Sacramentario S. Gregorii, neque apud Carthuſianos, quemadmodum fit in Ordine Romano. Quarto Concilio Toletano docemur, licet quotidie pro Officio Veſperarum benedicerentur cerei, peculiarem tamen Sabbato Sancto benedictionem fieri illius cerei conſueviſſe, qui tota nocte debebat ardere; atque hujus cæremoniæ obſervationem in Hiſpania tantum obtinuiſſe; inquit enim can. 9. Si quis petat, cur iſta benedictio Sabbato Sancto fiat, reſpondendum eſſe, in honorem Dominicæ reſurrectionis: *Lucerna & cereus in pervigiliis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur; & cur a nobis benedicantur, inquirunt: propter glorioſum noctis ipſius Sacramentum ſolemniter hæc benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſancti luminis ſuſcipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur, dignum eſt ut propter unitatem pacis in Gallicanis Eccleſiis conſervetur*. De benedictione Cerei Paſchalis agit S. Iſidorus Hiſpalenſis, citaturque ab Elipando in Epiſtola ad Alcuinum: *Nam & ipſi canimus in vigilia Paſchæ beato Iſidoro docente, induit carnem, ſed non exuit majeſtatem; noſtram ſubſtantiam expetens, ſed propriam non relinquens*: quæ verba leguntur in Miſſali Mozarabico, ad Benedictionem Cerei Paſchalis.

Advertendum eſt etiam, quod una cum cereo benedicebatur lampas, qua cereus accendebatur, ut in citato quarto Concilio Toletano traditur: *Lucerna & cereus in pervigiliis Paſchæ*; & legitur etiam in Miſſali Mozarabico, ubi primo habetur, *Sic benedicto lucernæ*, in qua benedictione verba exſtant S. Iſidori; deinde, *Sequitur cerei benedictio* cum orationibus propriis.

In antiquo Pontificali Remenſi Sacerdos pergit retro Altare ad accipiendum lumen, quod reconditum fuerat in fine Laudum, & ſigno crucis ſignatum cereum accendit. In Miſſali Ratoldi Corbejenſis novum ignem accendi legimus, vel per cryſtallum ardentem, *Cum ampulla a Sole illuminatum*, vel per ſilicem, unde dicitur, *Sive a ſilice excuſſum*; deinde diſpoſitis in modum crucis ſuper cereum granis incenſi, inſcribitur annus Incarnationis, Indictio, & Epacta, & binæ litteræ A & B, cereuſque ante Epiſcopum defertur; inde Diaconus benedictionem petit a Celebrante, & benedicitur cereus & accenditur.

In Ordine Romano Pontifex egreſſus e Sacriſtia cereum in deſtinato loco accenſum ſigno crucis benedicit; deinde dicuntur ſeptem Pſalmi, & longa precatio

Digitized by Google

catio eumdem fere ſenſum habens ac *Exultet*. Diu quidem Romæ præmiſſa eſt cæremonia benedicendi cerei Paſchalis, cujus loco cera tantum benedicebatur, ex qua parvæ quædam Agnorum figuræ compactæ populo diſtribuebantur in Paſchate poſt Communionem. Cerei Paſchalis benedictio a Theodoro Papa reſtituta eſt; quem nonnulli etiam Auctorem putant illius cæremoniæ; ſed conſule Ennodium, qui longe ante Theodorum vixerat; Theodorus autem anno 642. Pontifex creatus eſt.

Amalarius *lib.* 1. *c.* 18. Micrologus *cap.* 5. & aliii inſtitutionem cerei Paſchalis Zozimo Papæ tribuunt anno 417. ſed nihil exſtat ante Ennodium ſexto ſæculo, & ante quartum Concilium Toletanum: vixerat Ennodius trecentis ferme annis ante S. Gregorium, nec poteſt certo ſciri, hujuſmodi inſtitutionem ante Theodorum Papam Romæ fuiſſe in uſu; cernitur illa quidem in Ordine Ambroſiano, in Liturgiis Gallicanis, & in Concilio quarto Toletano anni 633.

Pro hac benedictione quælibet Eccleſia propriam habebat orationem; *Exultet* Romæ dicitur, eſtque in Miſſali Ambroſiano, ſed orationis Auctor neſcitur, ex qua amplum ſolummodo apum ceram formantium elogium delectum eſt, a Virgilio, Plinio, aliiſque profanis Auctoribus petitum, earumque cum Sancta Virgine comparatio, ad ejus fœcunditatem puritatemque deſignandam, ſublata. A S. Hugone Abbate Cluniacenſi refert Udalricus expunctum fuiſſe locum illum, ubi peccatum Adæ dicitur neceſſarium & felix, quod Dominum meruerit habere Redemtorem: *O felix culpa, & quod Adæ peccatum neceſſarium eſt, ante hos annos D. Abbas fecit abradi, & ne amplius legeretur, interdixit.* Satis obſcura hæc precatio videtur.

Quæcumque cæremoniæ ad cerei benedictionem adhiberi ſolent, ad precationem iſtam interpretandam adhibentur. Incenſi grana cereo affiguntur, dicendo, *Incenſi hujus ſacrificium*, quamvis *incenſus* ſignificet accenſum cereum, non vero thus. Antebac cereus incenſabatur, ut videre eſt in Statutis Lanfranchi c. 62. Ad illa verba, *Quæ mutilans ignis accendit*, accenditur cereus. Cum dicitur, *Pretioſæ hujus lampadis*, quod ad cereum refertur, accenduntur lampades, & Acolytorum cereis quibus accendendis adhibetur cereus in tres ramos diviſus, ad exprimenda verba illa, *Diviſus in partes mutuati luminis detrimenta non novit*: tota nocte cereus ardet propter illa verba, *Flammas ejus Lucifer matutinus inveniat*; ardet etiam quibuſdam in Eccleſiis in Feſtis Paſchatis, quia dicitur *Indeficiens perſeveret*. Romæ extinguitur tantum ad Aſcenſionem, & Pariſiis poſt officium diei Pentecoſtes, qui temporis Paſchalis terminus eſt, & quinquageſimus dies poſt Paſcha.

Cereus iſte ab origine ſua columna erat cerea, in qua inſcribebatur, hoc eſt ſtylo quodam imprimebatur Officii ordo per totum annum uſque ad futurum Paſcha, unde annus incipiebat, & *Breve anni* appellabatur. Quod Breve aptius deinceps viſum eſt ſuper chartam inſcribi, affigique cereo, ut fit etiam hodie in Rotomagenſi & Cluniacenſi B. V. Eccleſia. Poſt impreſſionem inventam aptius quoque judicatum eſt libellum fieri diſtinctum, eumque nuncupari *Breve*. Romæ, ut liquet ex pervetuſto Ordine Romano, non deferebatur in Paſchate cereus, ſed in Natali, ut legitur apud Bedam I. de rat. temp. c. 45. & ratio erat, quia a Natali inchoabant annum, quemadmodum ex veterum Martyrologiorum diſpoſitione quiſque poteſt conjicere. Cereus iſte ſuper columnam in antiquioribus Romæ Eccleſiis collocatur; immo cereus ipſe columna erat, ut ex benedictione ipſa, quæ etiamnum in uſu eſt, colligitur. In quibuſdam Eccleſiis eſt trigintatrium librarum pondo in honorem triginta trium annorum Domini noſtri. Refert Beda, Monachos Romam a ſe miſſos cognoviſſe Natalis diem in novo cereo S. M. Majoris anno 701. Vide Papebrochium in menſe Majo, ubi ait; *Ratio Feſtorum pro anno ſequente inſcribebatur cereo toto iſto anno legendus.*

Apud Ennodium Epiſcopum Ticinenſem,

Digitized by Google

ſem, qui anno 521. obiit, duæ reperiuntur benedictiones cerei Paſchalis, diverſæ a precatione *Exultet*, quam nos dicimus: apud S. Gregorium non legitur *Exultet*, ſed in Ordine Romano: & in Miſſali Gallicano inſcripta eſt hoc titulo: *Benedictio cerei B. Auguſtini, quam cum adhuc Diaconus eſſet, edidit & cecinit:* quæ inſcriptio nullo nititur fundamento, neque poteſt precatio iſta S. Auguſtino, aut S. Leoni tribui, ut nonnulli dictitant.

Ad S. Auguſtinum quod attinet, Auctor fortaſſe judicatus eſt ex quodam textu, ubi ait de Civit. l. 15. c. 22. ſe carmina quædam in cerei laudem compoſuiſſe: *in laude quadam cerei breviter verſibus dixi*:

Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti:
Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.

Verum cum iſti verſus in precatione, quæ S. Auguſtino tribuitur, non reperiantur, nullo modo precationis Auctor S. Auguſtinus cenſendus eſt. Quoad verba illa *O felix culpa*, ea non leguntur in vulgato Ordine Romano, neque in Liturgia Gallicana, ubi *Exultet* deſignatur; ſed fortaſſe tempore S. Hugonis Cluniacenſis verba illa interſeri cœpta ſunt, & ab eodem ſuppreſſa.

Benedictio Cerei Paſchalis, quæ Romæ fit a Diacono, fiebat Ravennæ ab Epiſcopo, teſte S. Gregorio l. 9. ep. 26. qui ægroto permittit Epiſcopo Sacerdotes ſuos ſubſtituere: *Preces quæ ſuper cereum in Ravennati civitate dici ſolent a Sacerdotibus, per alium dicantur*.

Magna erat in cereum benedictum & ceram pietas, cujus ope a fulgure & tempeſtate, multiſque vitæ periculis erui ſe poſſe Fideles arbitrabantur; ut legimus apud Ennodium in prima Cerei Paſchalis Benedictione: *Ei ſi quis hinc ſumſerit adverſus flatus ventorum, ſpiritus procellarum, ſit illi ſingulare profugium*; & in ſecunda Benedictione, *Sumtum ex hoc contra procellas & omnes incurſus ſæ dimicare particulam*. Et reliquo cereo cereæ quædam figuræ effingebantur, in quibus imprimebatur agni forma, quæ vulgo appellatur *Agnus* e cera benedicta.

CAPVT LXVII.

De Lectionibus quæ Fontium Benedictionem præcedunt.

POſt cerei benedictionem dicuntur a Choro Lectiones prætermiſſæ Canticorum & Tractuum, vel dicuntur Orationes a Sacerdote ad Altare. Lectiones iſtæ ſunt Romæ duodecim numero, quæ, poſteaquam noctu non baptizatur amplius, & Baptiſmo Ordinatio ſubſtituta eſt, cum Ordinationis diebus duodecim habebantur Lectiones, Sabbato Sancto aſſignatæ ſunt; hæ duodecim Lectiones juxtam primam inſtitutionem ad Baptiſmum referuntur; Romæ quandoque Græce & Latine dictæ ſunt, quæ numero erant viginti quatuor; in pleriſque Eccleſiis Galliæ, quæ Romanum ritum receperunt, quatuor tantum ſunt Lectiones, ut liquet ex Amalario, Ruperto, Pſeudo-Alcuino, & Hugone a S. Victore. Sex memorat Belethus, quæ ævo ſuo dicebantur: Sacramentarium S. Gregorii octo deſignat: Gelaſianum decem: *Comes Hieronymi* duodecim, ſicut Ordo Romanus. In nonnullis Eccleſiis dici quatuordecim refert Durandus l. 6. c. 81.

Lectiones iſtæ diverſimode diſtributæ propriam habebant ſingulæ Præfationem, ut earum ſenſus populo exponeretur. Duodecim iſtæ Lectiones Græce & Latine leguntur in Ordine Romano Canonici Bened. Anaſtaſius Bibliothecarius ait, Benedictum III. Nicolai I. præceſſorem, reformaſſe Libros, Lectioneſque in vigilia Paſchatis & Pentecoſtes legendas præparaſſe: *Dignum volumen præparare ſtuduit, in quo Græcas & Latinas Lectiones, quas die Sabbato ſanctæ Paſchæ, ſimul & ſanctæ Pentecoſtes Subdiaconi legere ſoliti ſunt*. In quibuſdam veteribus Romanis Ordinibus quatuor tantum habentur Lectiones cum tribus Canticis; in Concordia S. Dunſtani tres tantum Lectiones exſtant; prima *In principio*: ſecunda *Factum eſt*

in

in vigilia : tertia *Hæc hæreditas*. Quatuor deſignantur ab Udalrico.

CAPVT LXVIII.

De Fontium Benedictione.

FInitis Lectionibus itur ad Benedictionem Fontium, ideſt aquæ, quæ Baptiſmo Catechumenorum inſervire debebat ; eundo canitur Reſponſorium *Sicut cervus*, quod a tempore uſque S. Auguſtini, ut ipſe teſtatur in pſal. 41. peruſitatum erat. Ibatur autem in Proceſſionis modum, & canebantur Litaniæ a tribus, aut quinque, aut ſeptem choris, juxta cœtus frequentiam, vel repetebantur ter, quinquies, aut ſepties a duobus choris, unde Litaniæ iſtæ trinæ, quinæ & ſeptenæ appellatæ ſunt apud Thomas. *Litania ſeptena cujus nomina Sanctorum & rogationes ſepties repetuntur.* Appellantur *Rogationes* preces illæ, quæ Invocationem Sanctorum in Litaniis ſubſequuntur, idque nomen remanſit tribus diebus ante Aſcenſionem, quia hoc triduo dicebantur : *Litania quina, quæ quinquies repetitur* ; *Trina quæ ter*. Apud Hugonem a S. Victore octies repetitur quælibet invocatio ad Fontes procedendo, quinquies cum acceditur, & ter cum reditur.

Antiquus eſt ritus benedicendi Fontis baptiſmalis, ut colligitur ex S Cypriano ep. 70. & S. Cyrillo Jeroſolymitano catech. 3. creditur que inſtitutionis eſſe Apoſtolicæ, ut docet S. Baſilius lib. de Spir. S. c. 27. Benedictio iſta ab initio ſimplex tantum precatio fuit cum ſigno Crucis, & reliquæ cæremoniæ hodie uſitatæ poſt precationis formulam inſtitutæ ſunt ad ejus ſenſum explanandum ; aqua crucis inſtar diviſa in quatuor mundi partes diſpergitur, in aquam immergitur cereus Paſchalis, inſufflatio ſeu halitus Celebrantis ter iteratur ; oleum cathecumenorum, & ſanctum Chriſma in modum crucis infunditur ; eſſque hujuſmodi precatio ab Amalario deſignata, & in Gelaſiano, & Gregoriano Sacramentario inſerta. Sacerdos tangit aquam dicens, *Hanc aquam regenerandis*, ut aquam oſtendat ; dividit in modum crucis, ut ſigno crucis eam benedicat ; ſuper aquam halat, ut Dæmones ejiciat verbis illis : *Procul hinc Spiritus immundus abſcedat* ; in quatuor ſpargit mundi partes dicens, *In quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit* ; alpirat dicens, *Benignus aſpira*, & dulciter halat, quia *Benignus* legitur ; immergit in aquam cereum ad illa verba, *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis* ; ſtillat in aquam cereum guttas in modum crucis propter illa verba, *Fœcundetur fons iſte in nomine Patris* . . . . alpirat, & halat ſuper aquam ad illa verba, *Spiritus Sancti*, quia *Spiritus* a *ſpirando* dictus ſignificat flatum, vertum, halitum ; dicens *Ut ſit unda purificans*, purificat aquam deſuper halans, & adjutans Dæmones per exorciſmum.

Antiquus eſt etiam ritus baptizandi in Paſchate, neque alio quam Paſchatis, & Pentecoſtes tempore conferebatur Baptiſmus, niſi neceſſitas poſtularet. In pluribus Eccleſiarum Ordinariis commendatur, ut ſerventur infantes aliqui baptizandi in vigilia horum Feſtorum, dum baptiſmalis Fontis benedictio peragitur, ut ſcilicet & præſentis Eccleſiæ exprimatur finis, & iſtius cæremoniæ deſignetur antiquitas. Id Romæ accuratiſſime fieri cernimus, & aliquis plerumque in talium Feſtorum vigilia baptizatur.

Solus Epiſcopus Baptiſmum adminiſtrabat, ut notat Paulinus in vita S. Ambroſii, legiturque etiam in vita S. Athanaſii, & S. Jo: Chryſoſtomi. Baptiſteria autem nonniſi in Cathedralibus extabant, quemadmodum Pariſiis S. Joannes Rotundus Baptiſterium erat Urbis, nec alibi baptizabatur ; in Diœceſi quoque Meldenſi nonniſi in Cathedrali per hebdomadam Paſchatis baptizatur. En igitur ordo conferendi Baptiſmi. Fontium benedictione peracta, cathecumeni accedere jubebantur ; repetebatur quod in Scrutiniis factum fuerat ; Patrini offerebant maſculos, Matrinæ feminas ; interrogabat Epiſcopus, quo nomine vocarentur

vel

vel in die nativitatis impoſito, vel octavo poſt nativitatem die, juxta veterem ritum; de omnibus fidei articulis interrogabantur, & reſpondebant: *Credo*; petebat Epiſcopus, an vellent baptizari, deinde unum, duos vel tres; ſi magnus foret numerus, baptizabat, & reliquos a Presbyteris vel Diaconis baptizari jubebat, ipſe interim ſe præparabat ad Miſſam; baptizabantur autem *Trina immerſione*. Si duo inerant alvei, ſeu fontes in Baptiſterio, feminæ a Matrinis ſuſceptæ, & a piis feminis exutæ baptizabantur ſeparatim a maſculis; ſin unus tantum fons inerat, poſt maſculos feminæ baptizabantur; aqua educti ſingul: baptizandi ab eodem Presbytero ungebantur S. Chriſmate in vertice capitis, crucis ſigno cum pollice facto; a Patrinis e Presbyteri manibus ſuſcepti linteo quodam cooperiebantur, dein veſte candida induebantur, quam ſæpius ab Epiſcopi manibus ſumebant Patrini, qui poſtea *chriſmale* iis imponebant, calanticam nempe ſeu tegmen lineum, quod modo veſtis, poſtquam baptizatis adempta eſt, locum tenet; deinde ante Epiſcopum diſponebantur, qui eis conferebat confirmationem, precatione ſuper eos facta, *Deus omniſcens, qui te regeneravit*.... quam elevata manu recitabat, invocanſque gratiam, & ſeptem S. Spiritus dona eos ungebat ſacro chriſmate in fronte, & ſigno crucis cum pollice ſignabat; deniquead Altare cum Litaniarum cantu perducebantur, ut ad Miſſam communicarent. Quando baptizabat Epiſcopus, omittebat ſacri chriſmatis unctionem in vertice jam a Presbytero factam; quando non aderat Epiſcopus, novi Baptizati veſte candida induti, & chriſmali caput obtecti, cereum manu geſtantes ibant a Fontibus ad Altare communionem accepturi; in reditu cantabantur Litaniæ, & ad *Agnus Dei* accendebantur cerei per totam Eccleſiam; ad Miſſam communicabantur novi Baptizati, etiam infantes, qui jejuni afferebantur, antequam ea die ubera ſuxiſſent.

In Eccleſiis, in quibus non conferebatur Baptiſmus, fiebat Aqua-benedicta, & facta aſperſione in Eccleſia, benedicebantur domus: *Ubi Baptiſmus non fit, aqua benedicatur*, & *ſpargatur in omni domo*. (Ord. Rom.)

Uſus diſtribuendi Populo Aquam benedictam in Fontibus, ut eam domum quiſque ſuam deferret, ante Chriſmatis infuſionem, apud Gregorium Turonenſem reperitur, & in capitularibus Caroli Magni; quæ quidem aqua ante Chriſmatis immixtionem ſumenda eſt, ut aſperſio in craſtinum fiat.

CAPVT LXIX.

De Baptiſmi adminiſtratione.

PHyſica prorſus origo eſt lavandi infantes in momento nativitatis ſuæ, ut carnis ſordes emundentur (S. Paul. 2. Cor. 7.) *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & Spiritus*. (1. Cor. 6.) *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis*; quapropter S. Petrus actiorem finem in Baptiſmo reſpiciendum docet, S. Petr. 2. 21. & Virg. Æneid. lib 9. *Natos ad flumina primum deferimus*; S Hieronymus in Ezechielem 16. ait: *Cruenta infantium corpora, ſtatim ut emiſſuntur ex utero, lavari ſolent*.

INSUFFLAT; S. *Auguſt. Tom. 5. Oper contr. Jul. c. 64.* inſufflatur ſuper infantes baptizandos, ut Princeps hujus mundi ejiciatur foras. Cæleſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ c. 12. ait: Ad fontem vitæ non proficiſcuntur, niſi poſtquam Miniſtri Eccleſiæ per exorciſmos, & inſufflationes ab iis imparum ſpiritum ejecerint. Per exorciſmos autem dicitur: *Exi, recede*, & ſpiritus immundus foras ejicitur.

MANUUM IMPOSITIONES. Impoſitio manuum eſt aliquem tangendo oſtendere, unde inquit S. Matthæus, quod Domino obtulerunt infantes, *Ut manus eis imponeret*, Matth. 19. S. Marcus inquit 10. 13. *Ut tangeret illos*; itidemque Lucas 18. *Ut eos tangeret*; ideoque imponuntur manus ſuper eos, qui benedicuntur, exorcizantur, confirmantur, ordinantur, & abſolvuntur, ut

exorcizandi, confirmandi, ordinandi perſonam illam fixa, firma, & ſenſibilis ſignificetur intentio.

SUSCEPTIO feminarum poſt partum; earum capiti ſtolæ fimbria, non manus imponitur, modeſtiæ cauſa, quod fit etiam in aliis caſibus, in quibus Evangelium legi ſolet.

EPHPHETA. Auctor Libri Sacramentorum, apud S. Ambroſium l. 1 c. 1. ait, Jeſum Chriſtum voluiſſe, ut homo eſset ille, cujus linguam ſaliva ſua tetigit, quia ſi mulier fuiſſet, indecorum aliquid ea actio præſetuliſſet. Legitur etiam, Dominum noſtrum poſt reſurrectionem ſuam Magdalenæ vetuiſſe, ne illum tangeret. Dicebatur *adaperire*; Inſtructiones omnes Quadrageſimæ hoc unum ſpectabant, ut cor, & ſpiritum Cathecumenorum aperirent, ne quis ignoraret quid interroganti reſpondendum eſſet; & S. Jo: Chryſoſtomus *Hom. 2. in 2. Cor.* orat pro cathecumenis, ut illis cordis aures aperiantur, quæ clauſæ ſunt, quia nondum de ineffabilibus Myſteriis audierunt loqui; atque etiam in Oratione pro iis in Paraſceve dicitur: *Ut Deus adaperiat aures præcordiorum veſtrorum*; itaque hujuſmodi verba *Ephpheta*, & *adaperire* eo tendebant ſolummodo, ut ſpiritualis ſurditas ſanaretur, & internæ cathecumenorum aures aperirentur.

S. Ambroſius, *Lib. de Myſteriis*, referens quod dicebatur *Ephpheta*, aurium tantum memorat tactum, de tactu narium non tam aperte loquens: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum, caplte quod vobis ſignificavimus cum apertionis celebramies myſterium dicebatur Ephpheta, quod eſt adaperire*. Attendite ergo, & bonum iſtum vitæ æternæ odorem reſpirate, quem vobis Sacramentorum virtus infundit, quemque nos deſignavimus per verbum *Ephpheta*, quod *adaperire* ſignificat. Bonus iſte odor narium tactum attraxiſſe poteſt; reperiturque in Libro Sacramentorum, qui S. Ambroſio tribuitur: *Aures tetigit Sacerdos, & nares*.

Præter unctionem ſalivæ ſumebatur etiam de luto, ad exemplum Chriſti, ut tradit Sacramentorum Libri Auctor, qui S. Ambroſio tribuitur, lib. 3. c. 2. *Quando dediſti nomen tuum tuiis luium, & liniit ſuper oculos tuos*; idem docet Haymo Albeſtadenſis in Sermone de tertiadecima Dominica poſt Pentecoſtem, & Leidradus Epiſcopus Lugdunenſis in Tractatu de Baptiſmo c. 2. hoc autem a Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ deſumtum eſt, quo die cæremonia aperiendi aures peragebatur, & legebatur Evangelium cœci nati, quando Jeſus Chriſtus lutum de ſputo fecit, & linivit oculos cœci.

Patrini, & Matrinæ *Pater*, & *Credo* recitare jubentur: hoc autem fit, quia tenebantur ipſi docere hæc novos baptizatos, ſtatimque Catechumenum in iis recitandis inſtruere; liquet enim precationes iſtas recitari antiquitus non conſueviſſe in adminiſtratione Baptiſmi, ſed profeſſionem Fidei tantum a Catechumenis fieri juſſam, ut fit etiam in præſens.

In Baptiſmo duo fiunt ſufflatus: exſufflatio, quæ fit in exorciſmo, exit ab ore compreſſis labiis, veluti cum lumen exſufflando extinguitur; inſufflatio autem fit halitum emittendo aperto ore, veluti cum manus inſufflando calefacimus. Exſufflatio fit ad ejiciendum, & propulſandum malum, inſufflatio ad infundendum bonum: Tertullianus *lib. 2. ad uxor. c. 5.* de flatu loquitur, quo Chriſtiani impurum aliquid, & immundum ejiciunt: *Dum aliquid immundum flatu expuit*; & in Tractatu de Idololatria c. 11. Chriſtianorum morem innuit, quo fumantia Paganorum Altaria exſufflant ac deſpuunt: *Quo ore Chriſtianus turarius, ſi per Templa tranſibit, fumantes aras deſpues, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos?*

Initio Eccleſiæ Exorciſmi erant in uſu; Joſeph *l. 8. Antiqu. c. 12.* frequentes fuiſſe ait, apud Judæos, qui exorciſmos a Salomone compoſitos ſe callere jactitabant: hoc liquet etiam ex Evangelio *Matth. 12. c. 27.* ubi Chriſtus Judæos inter-

Digitized by Google

interrogat: in quo nomine filii veſtri Dæmonia ejiciunt? Formulas quaſdam precum, & invocationis habebant ad ejiciendos Dæmones. *Act. 19. 13.* quidam ex Judæis Exorciſtis nomen Domini invocarunt ſuper Energumenos.

In Eccleſiæ quoque exordio exorcizare Paganos neceſſe erat, & adjurationes ſuper eos facere, quia Dæmoni ſe dederant, ab eoque plerumque poſſidebantur; quare qui Catechumenorum inſtructioni præerant, Exorciſtarum munere fungebantur. Deinceps vero ſolis Sacerdotibus exorcizare permiſſum eſt, quia raro accidit in præſens, ut reperiantur Energumeni, & perſæpe accidit, ut Dæmoniacæ poſſeſſionis nomine non pauci decipiantur.

BAPTIZARE, LAVARE. Eſſenii, qui Judæi erant reformati, reliquos advenientes Judæos baptizabant, Phariſæi vero Idololatras tantum; S. Joannes baptizabat omnes, qui pœnitentiam agere volebant. Tertullianus *Lib. de Bapt.* refert, quod per lavacrum Myſteriis Paganorum initiabantur: *Nationes ſacris quibuſdam, per lavacrum, initiantur Iſidis, aliculjus aut mythræ*; idipſum aſſerunt S. Juſtinus *Apol.* 1. S. Clemens Alexandrinus *Lib. Strom.* & S. Auguſtinus *Lib de Bapt.*

Lac, & mel Baptizatis offerebatur, tamquam infantibus modo-natis, *Quaſi modo geniti infantes*, ait S. Petrus, *rationabile lac concupiſcite*; quod in Occidente uſitatum erat. Tertullianus *de Corona militis c. 3. & in Lib. contra Marcian. c. 14. Nec aquam reprobavis creatoris qua ſuos abluit, nec oleum quo ſuos unxit, nec mellis, & lactis ſocietatem, quâ ſuos infantat.* Melle, & lacte nutriebantur infantes, *Butyrum, & mel comedet*, inquit Iſai. 17. v. 15. de Meſſia loquens; quod ſcilicet nutrietur iiſdem cibis, quibus infantes; ſuo quoque ævo in uſu fuiſſe, inquit S. Hieronymus, idque ad IX ſæculum factitatum cernimus. Apud Æthiopes offert illis Diaconus ſemper lac, & mel poſt Communionem dicens, *Lac, & mel immaculatum in regeneratione.*

EUCHARISTIA POST BAPTISMUM. Inquit S. Petrus; *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus*; quod videtur referri ad Euchariſtiam, quemadmodum id quod ait S. Paulus: *Guſtaverunt donum cœleſte*; eratque primorum temporum ritus ad Communionem dicendi, *Guſtate, quoniam ſuavis eſt Deus.*

Porrigebatur etiam vinum infantibus ad eos roborandos; ut meminit S. Hieronymus in c. 55. Iſaiæ, & S. Clemens Alexandrinus, *Lib. 1. Pædag. c. 6.*

UNCTIO VERTICALIS; nebat unctio per totum corpus Neophyti: quam duxiſſe originem, ait Tertullianus, a cæremonia unctionis Magni Sacerdotis, in qua oleum in capite Aaron deſcendit uſque in oram veſtimenti ejus: *Quod deſcendit in oram veſtimenti*: Pſ. 132. & in lib. de Reſur. c. 8. Tertullianus inquit, quod caro ungitur, ut anima conſecrata ſit, hoc eſt, eadem caro ungitur, quæ lota eſt; totum igitur corpus, a capite uſque ad pedes: & alibi inquit, *In nobis carnaliter currit unctio*, quæ per totam carnem diffundebatur. Ait etiam S. Ambroſius, *De Myſt. c. 6.* Unctionem, quæ in capite Neophyti fieret, a Propheta cognoſcendam eſſe, *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron*; quare unctio de capite in reliquas corporis partes diſpergebatur. In Libro Sacramentorum Neophytus tamquam Athleta conſiderabatur; qui quidem per totum corpus liniebatur oleo, ne quando ab aliis in certamine capi poſſet. Græci, ut S. Cyrillus Jeroſolymitanus tradit, ungere conſueverunt nares, frontem, aures, os, pectus, manus, & pedes.

Apud Judæos, & Orientales, poſt lavacrum, ne cutis per aquam rugas contraheret, olei unctio adhibebatur; quæ in Scripturis lavacro adjungitur: *Exech. 16. 9. Lavi te aqua, & unxi oleo.* Ruth. 3. *Lavare, & ungere*: 2. Reg. 12. *David lotus unctuſque eſt.* Judith. c. 10. *Lavit corpus ſuum, & unxit myro*; Suſanna, Dan. 13. lavari volens, oleum, & odoramenta juſſit afferri, *Oleum, & ſmigmata*; S. Jacobus Minor neque lavari, neque oleo liniri ſolitus dicitur. Eſſenios refert Philo poſt lavacrum ungi oleo ſeveri-

tatis causa non consueviſſe. Adeo erat unctio cum Baptiſmo conjuncta, ut Gentiles de Chriſtiano dicerent, *Procul abſit lotus & unctus*. Magnæ tamen hujuſmodi unctiones multis de causis propter feminas contractæ ſunt, modeſtia ſcilicet ſuadente, vel forſitan parſimonia, & olei aromatumque penuria: tandem totius corporis immerſioni infuſio aquæ ſuper caput ſubſtituta eſt, & ſola unctio in vertice adhibita, *ſicut unguentum in capite, quod deſcendit*.

Oleum, quo ungebantur poſt Baptiſmum, odore erat imbutum; balſamo utebantur Judæi poſt Circumciſionem; Romani balneo exeuntes ſuffito oleo liniebantur.

VESTIS CANDIDA. Non datur amplius infantibus, niſi ſimplex reticulum ſeu capitium lineum, aut laneum ad conſervandam unctionem chriſmatis in vertice capitis factam; capitium iſtud appellatur chriſmale, eſtque veſtigium albæ, ſeu ſubuculæ lineæ. Nudus exibat a fonte Neophytus, ejuſque corpus a Patrinis, vel Matrinis linteo obtegebatur. Jeſſes Ambianenſis linteum a chriſmali diſtinguit, quod velum myſticum vocat: in hodierno Rituali Romano dicitur de Baptiſmo adulti, quod e Fonte exeuntem Patrinus, & Matrina ſuſcipiunt de manibus Sacerdotis, & linteo cooperiunt: apud Victorem Vitenſem, Diaconus Elpidophoro, quem de Fonte ſuſceperat, linteamina oſtendens, quibus cinctus, & involutus fuerat, ajebat: *Hæc ſunt linteamina, quæ te immaculatum cinxerunt de fonte ſurgentem*: hæc autem vocabantur *Sabanum*, quod erat linteum manibus poſt lavacrum abſtergendis idoneum. Pippinus Paulo Pontificī *Sabanum* miſit, quo filia poſt Baptiſmum involuta fuerat.

Dum chriſmale imponitur, dicitur, *Accipe veſtem candidam*, perinde ac ſi daretur integra veſtis, quæ nihil aliud eſt quam capitium cooperiendo capiti inſerviens. Lanſpergius, *Dialog. de Monaſter. & Monach. c.* 3. morem etiam ſui temporis memorat veſtiendi infantem e Fonte exeuntem parva quadam ſubucula aut tunica (*Interula*) cui cruce ſignatus cucullus adjectus erat: & Rituale Romanum de chriſmale loquens, dari ſolitum ait *loco veſtis albæ*: quam veſtem, ſeu tunicam Neophyti tota hebdomada Paſchatis deferebant.

Veſtes ab Eccleſia parabantur, ſaltem pauperibus; & S. Gregorius Epiſcopo cuidam miſit, quanti hujuſmodi linteamina emenda eſſent.

Linea autem erat veſtis, non lanea, ut liquet ex S. Hieronymo ep. 128. ad Fabiolam, *Præceptis Dei lavandi ſumus, & cum parati ad indumentum Chriſti tunicas pellicias depoſuerimus, tunc indnemur veſte linea tota candida, ut de Baptiſmo conſurgentes*.

S. Gregorius lib. 5. ep. 3. feminæ cuidam baptizandæ veſtem candidam ſe miſiſſe affirmat: & Conſtantinum refert Euſebius, purpura depoſita poſt Baptiſmum, indutum veſtibus albis, quarum magnificentia ſuæ dignitati conveniret.

PATRINI, ET MATRINÆ. *Patrinus*, & *Matrina* Latine dicitur a corrupto vocabulo *Patricius*, & *Matricus*: erantque illi, qui patrem adhuc, & matrem habentes ad nuptiarum ceremoniam ducebant Sponſam, quam bini manu tenebant, tertius autem accenſo præbat cereo; in Baptiſmo vero hiſce nominibus appellabantur, qui baptizandum offerebant Ponti, vel deſcendentem, & exeuntem ſuſcipiebant; (hinc ſuſcipere jubentur hodie baptizatum etiam cum aqua infunditur;) quod vero e manibus ſuſcipiebant Epiſcopi, vocati ſunt *Suſceptores*; quod promittebant pro illis, & reſpondebant tamquam vades, *Sponſores*, *fideiuſſores* ſunt appellati: in certaminibus autem Patrini dicebantur, qui a certantibus comites eligerentur ac teſtes.

SAL IN OS Catechumeni; mos erat antiquis vix natos infantes purgandi ſale. *Ezech. 16. v. 4.* ait, *Quando nata es, in die ortus tui, non eſt preciſus umbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis*. Galeno, & Avicenna teſtibus, ſal reddit infantis cutem firmiorem, ac duriorem, *Lib. de ſanitate tuenda*.

S. Hie-

S. Hieronymus in Ezechielem, prudentum feminarum memorat uſum corpus infantum fricandi ſale, ut conſtricta cutis conſol.daretur.

Hanc Baptiſmi cæremoniam a Judæorum ritu deducere videtur Origenes, *Hom. 6. in Ezech.* Oportere ait, ut qui renaſcitur in Chriſto Jeſu, putum Sapientiæ lac concupiſcat, ſed prius ſale purgandus eſt, ne, quemadmodum Jeroſolymæ, exprobretur ei, quod ſale non ſit ſalitus, nec pannis involutus. S. quoque Auguſtinus *Lib. 1. Confeſſ.* ad hujuſmodi ritum ſale purgandi infantes in nativitate videtur alludere: *Audieram adhuc puer de vita æterna, & ſignabar ſigno crucis, & condiebar ejus ſale, jam inde ab utero matris meæ.*

Alii ſal dari affirmant in teſtimonium fidelitatis in Principem juratæ, ut docet Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis in Tractatu de Baptiſmo ad Carolum Magnum c. 1. juxta id quod Regi Artaxerxi dicunt cives Samariæ, *Eſdr. Lib. 1. c. 4.* ſe meminiſſe ſalis, quod in palatio Regis comederunt, *Memores ſumus ſalis quod in Palatio comedimus*, ſignificantes ſcilicet, ſe non oblitos eſſe juramenti de præſtanda Regi fidelitate, ut verba innuunt Leidradi: *Quem ritum a Gentilibus acceptum obſervant Catechumeni, cum Chriſto nomen dantes, fidelis etiam titulum ambiunt accipere.* Hoc refertur ad pactum illud ſalis, de quo fit mentio *Num. 18. v. 29. Pactum ſalis ſempiternum*, pactum perpetuo inviolabile.

Quædam Ritualia alium ſenſum tribuunt huic cœremoniæ, quod ſcilicet in os infantis ſal immittitur, ut infectione careat & malo odore: *Ut ex eo conditus careat fetore.*

Perſæpe dabatur ſal poſt Baptiſmum: apud Moſcovitas dari ſolet etiam ex aqua ſurgentibus, habeturque tamquam diſpoſitio ad Baptiſmum.

Apud Mahumetanos ſal etiam in os infantis immittitur, poſtquam Deo oblatus eſt.

UNCTIONES Baptiſmi. *Ezech. 16. v. 9. Et lavi te aqua* (inquit) *& unxi te oleo*; hoc eſt, ut ajunt Interpretes, ad emolliendam carnem. Horatius *Satyr. 6. lib. 1.* ait, *Ungor olivo, poſt ubi me feſſum ſol acrior ire lavatum admonuit.* Lucianus in quodam Dialogo, aliique profani Scriptores de uſu loquuntur ſe ungendi oleo ante & poſt lavacrum; balneum poros cutis aperiens per calorem, carnem diſponebat ad unctionem recipiendam, & oleum carnem penetrans prohibebat, ne quid nimia obeſſet humiditas.

Unctio iſta per totum fiebat corpus, a vertice capitis uſque ad plantam pedis; deinde ad pectus tantum & humeros reſtricta eſt, feminarum fortaſſe habita ratione. Moſchus *cap. 3.* Sacerdotem refert baptizandi munus deponere voluiſſe, quod non ſine periculo tentaretur, cum feminam ungeret, *Quoties mulierem inungeret, ſcandalizabatur*; ac propterea redacta eſt unctio ad ſolam frontem in confirmatione. Græci vero totum corpus ungendi ritum adhuc ſervant.

Immerſio autem ſuppreſſa eſt propter ægros, Infirmos, Clinicos, & forſaſſe propter feminas, aut homines ipſos, qui nuditatem ſuam nolebant oſtendere; quapropter raro Fontes in Eccleſia, ſed in locis remotis collocabantur. Græci calefieri jubent aquam antequam mergatur infans: idque a Latinis quandoque ſervatum fuiſſe nonnulli putant, credentes, caminum qui in Eccleſia Creolienſi cernitur, in Diœceſi Bellovacenſi, prope Fontes baptiſmales, & in Civitate Montis-Peſſulani, in Fontibus, ea de cauſſa exſtructum fuiſſe.

Baptizari Chriſtiani poterant cum veſtimentis, ut moris erat apud Judæos ratione Proſelytorum; aqua enim ſatis ſuperque penetrabat veſtes, qua fortaſſe ratione baptizabat S. Joannes. In Exodo c. 14. dicitur, quod Populus volens ſanctificari, ſua veſtimenta lavabat: forſitan, ut in Levitico legitur c. 15. dum veſtes lavaret, ſeipſum quoque lavabat, *lotis veſtibus & toto corpore, v. 13.*

E lavacro exeuntes recipiebant veſtimenta ſua; ut alludere videtur S. Paulus: *Expoliantes . . . . induentes*, expoliantes ſcilicet veſtimenta balneum ingreſſuri, induentes aut nova ſumentes e balneo egreſſi. Quem ritum ad mora-

moralitatem redigit S. Petrus : *Deponentes veſtes ſuas, deponentes omnem malitiam*. David, ut fertur, filii morte percepta, ad balneum profectus, unctus eſt & veſtem mutavit, ut Dominum adoraret : *Lotus unctuſque eſt, cumque mutaſſet veſtem*. Jacob purgari præcipiens propter idola, quæ de domo Laban abſtulerat Rachel, juſſit veſtimenta mutari Geneſ. 35. 2. *Mundamini ac mutate veſtimenta veſtra*. Rituale Romanum de adulto baptizato ait : Abſtergitur novus baptizatus linteo, deinde albis & novis veſtimentis induitur, *Novis & albis veſtibus*. Manuale Rotomagenſe anni 1640. inquit : Novus Baptizatus vetera veſtimenta deponens nova induit albi coloris, vel ſaltem ſolita veſtimenta obtegit veſte candida, e manibus Sacerdotis recepta.

CEREUS ACCENSUS. Cereus iſte lumen præſtabat Neophytis, ut a Pontibus irent ad Altare, quia nox erat, cum Miſſa celebraretur. Ait enim Amalarius ; *Propter noctem in qua celebramus Miſſam . . . ut illuſtretur lumine cereorum noſtrorum* ; ait etiam, quemadmodum Alcuinus, quod in Litaniis tantum ad *Agnus Dei* accenderetur. De iſtis cereis inquit S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 1. Qui cereos accendiſtis, qui Symbolum fidei ſunt, curate, ne lumen iſtud deficiat : & S. Gregorius Nazianzenus in Orat. de Baptiſ. *Lampades quas accendis* ; itemque Auctor *de Virgine lapſa*, qui S. Ambroſius exiſtimatur, *cap.* 9.

Cum novi Baptizati ſemper accenſum tenerent cereum per totam Miſſam, in qua prima vice communicabant, quia nox erat, quando illa Miſſa celebrabatur, hinc in plures Eccleſias invectus eſt uſus deferendi cereos ad primam Communionem.

Toto corpore expoliato nudi accedebant ad Baptiſmum : Facundus, *lib.* 1. *Lavacro regenerationis abluendi nihil ibi obeſſum, nihil abſconditum fuit, expoliato denique corpore, magnum illud fidei percepimus & ſervare ſpopondimus Sacramentum, & non ſola voce, verum etiam totius habitu corporis profitemur exuiſſe nos hominem veterem cum actibus ſuis.*

CAPUT LXX.

De Confirmatione.

APpellatur Confirmatio reſpectu Baptiſmi, quemadmodum & Euchariſtia, quia Baptiſmum ſtatim ſubſequebatur : *Deinde corpore & ſanguine Dominico, omne præcedens Sacramentum in Neophyto confirmatur*, ut inquit Rabanus *Lib.* 1. *Inſtit.* c. 29. Communio ſcilicet Baptiſmum, & manuum impoſitionem ſubſequens, utrumque Sacramentum confirmabat ; teſte Alcuino, infans ultimo loco corpore & ſanguine Dominico confirmatur. Ita Amalarius, *Bp. ad Carolum Magn.* Jeſſes Ambianenſis, Ivo Carnutenſis, & alii. Primis temporibus, ut ait Valafridus Strabo, *de Reb. Eccl.* c. 26. confirmabatur Baptiſmus per manuum impoſitionem. Joannes Papa VIII. de S. Chriſmate ſeu confirmatione agens ait : *Totius Chriſtianitatis ſalutem & perfectionem veram* ; appellatque Baptiſmum Chriſtianitatis, unde communis invaluit uſus, ut idem ſit Chriſtianum aliquem facere, ac ei Baptiſmum conferre.

Chriſmatis Unctio eſt repetitio Chriſmationis in Baptiſmo factæ in vertice capitis Baptizati : *Repetita Chriſmatio* ; ut ait Concilium primum Arauſicanum, *Can.* 2. Tertullianus inquit ; Aqua exeuntes unctionem recipimus, ſtatimque nobis imponitur manus cum benedictione & invocatione Spiritus S. Et alibi ; Lavatur caro, ungitur caro, ſigno crucis ſignatur caro, & cooperitur caro per manuum impoſitionem.

Itaque Confirmatio conferebatur ſtatim poſt Baptiſmum, teſte S. Cypriano *Ep. ad Jubaian.* S. Ambroſius *de Myſt.* c. 6. & 7. ait, quod e Fonte exeuntes ungebantur in capite Baptizati, qui poſtea veſtibus albis induti donum & virtutem S. Spiritus accipiebant. S. Auguſtinus *Serm.* 321. Baptizatus eſt, ſanctificatus eſt, unctus eſt, per manuum impoſitionem. Oratio *Omnipotens Sempiterne Deus*, quæ ad manuum impoſitio-

Digitized by Google

tionem dicitur, exſtat etiam in pluribus Ritualibus in continuatione cæremoniarum Baptiſmi; itaque repetitio eſt illius Orationis, quæ dicitur etiam in unctione Baptiſmi,

E diviſione Baptiſmi a Confirmatione oritur repetitio ejuſdem unctionis, ſeu duplex chriſmatio, ut obſervat Innocentius I *Ep. ad Decent.* Affirmat Beda, *Tract. 2 in Pſ. 26.* unctionem confirmationis eamdem eſſe cum unctione Baptiſmi, nec immerito ab Eccleſia disjunctam, & ſolis Epiſcopis reſervatam, quæ fit per manuum impoſitionem: *Illa unctio quæ per manuum impoſitionem ab Epiſcopis datur; quaſi alia a duabus prædictis* (nempe quæ præcedit, & quæ ſubſequitur Baptiſmum) *& vulgo Confirmatio dicitur; eadem eſt cum ſecunda.* Ivo Carnutenſis *Serm. de Bapt.* idipſum videtur aſſerere. Atque etiam Concilium Araufcanum unicam præſcribit Chriſmationem.

Græci, qui numquam Confirmationem a Baptiſmo ſegregarunt, unica utuntur chriſmatione, eſtque illa in præſens, quæ ſemper poſt Baptiſmum facta eſt. In Occidente prævaluit uſus Romanæ Eccleſiæ, ab Innocentio I. inſtitutus. Hoc unum reſtat unicæ chriſmationis veſtigium, quod Epiſcopi quando uno eodemque tempore Baptiſmum & confirmationem conferunt adultis, verticalem unctionem, ſi placet, omittunt, & unctionem in fronte faciunt, quæ magis habetur propria poſtquam impoſitioni manuum ſeu confirmationi juncta eſt; & Sacerdotes, quibus facultas imponendi manus data fuerat, impoſitionem manuum & unctionem in fronte, tamquam unam & eamdem actionem conjungebant

Unctio in fronte ab Epiſcoporum more deducta eſt, qui Baptizatorum frontem ſigno crucis ſignabant, & in eodem loco ungebant: *Caro ſignatur*, inquit Tertullianus, *Lib. de Reſur. & Lib. de Præſcr. c. 40. Signat illic in frontibus milites ſuos.* Pontius in vita S. Cypriani de Confeſſoribus loquitur duplici nota ſignatis; *Confeſſores frontium notaturam ſecunda inſcriptione ſignatos.* Itaque imponebantur manus, ſignum crucis faciendo in fronte baptizatorum; & propterea Confirmatio dicitur *Signaculum vitæ æternæ: ſignaculum doni Spiritus Sancti*, ut ajunt Græci, vel *Signum Chriſti*, ut inquit Sacramentarium Gelaſianum, aut *Signum vel ſignaculum crucis Chriſti*, ut ajunt Ritualia recentiora; itaque *ſignare, conſignare* ſumitur pro unctione Chriſmatis facienda, ſeu pro confirmando; hinc dicitur *Signo te ſigno crucis*; Tertullianus dixerat *Caro ungitur . . . Caro ſignatur*; Innocentius I. *ad Decens. Oleo ſignare*: Prudentius, *Poſt inſcripta oleo fronti ſignacula, per quæ unguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.* Primævo crucis ſigno adjuncta eſt chriſmatis unctio.

Manuum impoſitio per ſignum crucis fiebat; S. Auguſtinus *Serm. 19. de Sanctis*, & 118. *de Temp.* ait, quod gratia datur novis Baptizatis, quando per manuum impoſitionem ſigno crucis ſignantur. Tertullianus diſtinguit chriſmationem, ſignum crucis, & manuum impoſitionem: Ungitur caro, caro ſignatur, caro cooperitur per manuum impoſitionem.

Patrini & Matrinæ in Confirmatione locum habent, quia dabatur poſt Baptiſmum; erant autem eædem perſonæ, quæ novos Baptizatos e Fonte ſuſceperant, offerebantque Epiſcopo, ut Spiritum S. reciperent per manuum impoſitionem.

Confirmatio a Baptiſmo in Eccleſia Latina ſeparata eſt, quia Confirmatio reſervata eſt Epiſcopo, unde juxta S. Hieronymum mos erat Epiſcopo in vicos ſe conferre, ut manus illis imponeret, qui a Presbyteris vel Diaconis Baptiſmum accepiſſent. S. Gregorius *lib. 13. Ep. 18.* commendat Epiſcopis, ne Parochis nimio ſint oneri, cum data opera per Parochias proficiſcuntur ad conferendam confirmationem.

Ex hac Confirmationis dilatione invectus eſt uſus non confirmandi niſi ſeptimom vel octavum agentes annum; quæ dilatio etiam Scripturarum auctoritate firmata eſt, ubi dicitur, Samaritanos Spiritum S. non recepiſſe niſi poſtquam ad eos miſſi ſunt ab Apoſtolis S. Petrus & S. Joannes.

Sup-

Digitized by Google

Supprimi deberent Catechiſmi & Ritualia quædam, in quibus Epiſcopus dat alapam in confirmatione, & alapa iſta ſignificat, Confirmatum debere eſſe promptum ad omnia toleranda pro Chriſto. Scimus enim hoc nihil aliud eſſe quam pacis oſculum, quod dabatur in cujuſque Sacramenti adminiſtratione, dicendo, *Pax vobis*, & oſculo oris oſculum manus ſubſtitutum eſſe modeſtiæ cauſſa in Sacramento, quod tam maſculis quam feminis confertur, in quo Epiſcopus manum porrigit oſculandam, ut in aliis cæremoniis; nempe in Communione porrigit anulum; verum quia manus percuſſio ſuper genas, quamvis leviſſima, alapæ ictus videtur, idcirco appellata eſt *Alapa*: in antiquo Pontificali cenomanenſi legitur, quod Epiſcopus Pœnitentium genas plerumque oſcularetur dicens cuique, *Pax tecum*; ſed cum feminæ aderant, illis manum ſolummodo vel anulum oſculandum porrigebat, dicens ſimiliter *Pax tecum*.

Poſt Confirmationem Sacerdotes Epiſcoporum præcipiunt confirmatis, ut *Pater* dicant, & *Credo*, ſed vetus Rubrica præſcribebat, Patrinos & Matrinas admonere, ut ipſi Confirmatos preces iſtas docerent: *Docent eos Credo in Deum & Pater noſter, quoniam ad hoc ſunt obligati.*

De impoſitione manuum; mos erat Judæis impoſitione vel extenſione manuum ſuper aliquem precari. Magnus Sacerdos Onias manus ſuas extulit ſuper congregationem filiorum Iſrael ad benedicendum, *Eccleſ. v.* 50. *Manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael dare gloriam Deo*. Qui filios offerebant Chriſto, ut eos Deo commendaret, precabantur ut eos tangeret per manuum impoſitionem, *Matth. 9. v.* 13. itaque Chriſtus ritum ſervans & uſum, ſuper eos quos benedicebat, & pro quibus precabatur, imponebat manus; quod fecit etiam in cœlum aſcendens; quapropter recto tramite impoſitio manuum a Judæis tranſiit in Eccleſiam; quam ſervavere Apoſtoli in Diaconorum, & S. Pauli & S. Barnabæ ordinatione. S. Petrus & S. Joannes per impoſitionem manuum, & precationem ſuper Samaritanos Spiritum S. attraxerunt. Tertullianus lib. de Bapt. c. 7. ait, impoſitionem manuum, quæ Baptiſmum ſubſequitur, benedictioni, & S. Spiritus invocationi junctam, a Veteri Teſtamento originem ducere: *Sed & eſt hoc quoque de veteri Sacramento quo nepotes ſuos ex Joſeph, Ephraim & Manaſſe, Jacob capitibus impoſitis & intermutatis manibus benedixerit.*

De Chrismate. Auctor ſeptimi Libri, qui ſexto S. Optati additus eſt, inquit, *Oleum confectum quod Chriſma vocatur*; erat oleum ſuffitum, & multiplici aromatum odore perfuſum, hodie vero balſamo tantum perfunditur, quod cum maxime oleat, omni aromatum generi anteponitur; verum Paulus Papa III. & Pius IV. Miſſionariis earum regionum, in quibus balſamum non habetur, ſine ullo diſcrimine permiſere, ut alio aromatis genere uterentur. Balſamum præter odorem, reddit etiam minus liquidum oleum, nec veſtes inficit. Græci quibuſdam etiam liquoribus eorum chriſma permiſcent.

Commixtio iſta plurium aromatum cum oleo ſimplici a Judæis proficiſcitur, qui ut ſolidum magis liquorem facerent, puriorem exprimebant ſuccum, ut liquet ex thymiamate ſacræ Sacerdotum unctioni deſtinato, quod ex myrrha, cinnamomo, aliiſque aromaticis plantis conficiebatur, *Exod.* 30.

CAPVT LXXI.

De Miſſa & Veſperis Sabbati Sancti.

Miſſa, quæ dicebatur poſt Baptiſmum, non cenſebatur ad Officium Sabbati pertinere; erat enim Sacrificium pro Neophytis, quod adventante magno Paſchatis Feſto circa quartam noctis vigiliam peragebatur. Miſſa autem perquam ſolemnis erat præ ornamentis, præ cantu lætitiæ, decorationibus, illuminationibus, thurificationibus, campanarum ſonitu, aliiſque Fe-

Digitized by Google

Feſtivitatis & exultationis publicæ ſignis ; cantabatur *Alleluja* ; Evangelium de Reſurrectione ſecundum Matthæum, qui primus Evangeliſtarum eſt; die Paſchatis legitur S. Marcus, qui eſt ſecundus ; die ſequenti S. Lucas, qui tertius eſt.

Ex eo, quod omitti videtur in hac Miſſa, conſpicitur id, quod ei reliquum fuit, poſtquam noctis Officium ad Sabbatum anticipatum fuit. In Miſſa iſta omittitur Introitus (qui ſemper omittebatur, quando Miſſa immediate ſubſequebatur Officium) quoniam cœtus omnis in reditu a fontibus jam congregatus erat. Introitus autem in id ſolum inſtitutus erat, ut populos occuparet, dum celebrans veniebat ad Altare ; & quia de fontibus ad Altare tranſibat, dum canerentur Litaniæ vel *Kyrie*, ideo intonatur ſtatim *Gloria in excelſis* ; non dicitur *Flectamus genua* ad Collectam, quemadmodum dicitur in Orationibus, quæ Prophetias ſubſequuntur, quia lectiones iſtæ ad Quadrageſimam ſpectare cenſebantur, & Miſſa ad Feſtum Paſchatis pertinebat ; ac propterea omiſſis violaceis alba ſumuntur ornamenta. *Alleluja* eſt ante Tractum *Confitemini*, qui Pſalmus inter eos habebatur, qui ſemper ab *Alleluja* præcedebantur. Ex eo quod dicitur *Alleluja*, & illico Tractus, Petrus Damianus eorum opinionem refutat, qui ſolvere ſe poſſe jejunium credebant, poſtquam dictum erat *Alleluja*, affirmans l. 6. ep. 35. per ſubſequentem Tractum Miſſam pœnitentiæ deſignari : *Miſſa ſimul Quadrageſimalis eſſe videtur, atque Paſchalis, dum poſtquam Alleluja canitur, mox Tractus, qui Quadrageſimæ proprius eſt, adhibetur* ; verum obſervatio iſta non habet locum, niſi poſtquam hora & ordo hujus Miſſæ inverſus eſt. Non deferuntur luminaria ad Evangelium, quia Eccleſia toto Noctis Officio illuſtrata erat : non dicitur *Credo* ; & Romæ nonniſi ſero admodum cantari cœptum eſt ; Berno Augienſis a Benedicto VIII. præſcriptum ait anno 1014. ſuadente Henrico Imperatore. Non dicitur Offertorium, quia pluribus in locis, & Romæ præſertim ad Oblationem veniebant ſecreto ; in Africa cantabatur Pſalmus ; nunc autem, ut interea Populus occupetur, pulſantur Organa, vel Pſalmus canitur ; non datur illico oſculum pacis ; Romæ reſervabatur ad principium Matutini Paſchatis, ubi tum Populi conveniebant ad Eccleſiam, & antequam inchoaretur Officium, ſe ſe invicem amplexantes dicebant, *Surrexit Dominus : In ipſa nocte, Matutina luce rumpentes tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniant, & mutua charitate ſe invicem oſculantes, dicant, Surrexit Dominus.* Non dicitur *Agnus Dei*, quę nova eſt adjectio ; non dicitur Communio, quia antehac ſecreto communicabant, vel potius Communionis Pſalmus ſuppreſſus eſt, ut in ejus locum ſufficerentur Veſperæ, quæ quidem gratiarum Actio potius dicendæ ſunt, quam Officium Veſperarum ; potuiſſet adjungi *Magnificat* ad Miſſam, ut Gratiarum Actio continuaretur,

Ad hanc Miſſam novi Baptizati communicabant poſt Sacerdotem, & Clerum, & deinceps totus populus, hoc tamen diſcrimine, quod Romæ in calicem Sanguinis J. Chriſti, quem bibituri erant, infundebatur lac & mel, quod ſimul cum vino in Sacrificium offerebatur, dabaturque Neophytis, ut eos tamquam infantes deſignarent lacte & melle nutriendos : *Quaſi modo geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcite*, ait S. Petrus ; quod tamen cum ſanguine Chriſti miſcere indecorum viſum eſt, & a nono uſque ſæculo ſuppreſſum. In Africa concilium III. Carthaginenſe can. 24. permittens lac & mel Baptizatis porrigendum offerri ſuper Altare, ſejunctim benedici juſſit, & a corpore & ſanguine J. Chriſti diſtingui.

Quoad infantes ſugentes ubera, non dabatur illis Chriſti corpus, ſed ſanguis tantum, qui cum cochleari ſumtus e calice in eorum os infundebatur, deinde porrigebatur illis lac & mel ordinarium. Lac iſtud & mel benedicebantur Romæ in fine Canonis ; quæ benedictio exſtat in Ordine Romano, & in Miſſa Ratoldi : *Benedic Domine hanc creaturam lactis & mellis . . . Per quem hæc omnia creas . . .* In Præfatione Miſ-

Digitized by Google

ſæ ſignatur, quod Miſſa erat Reſurrectionis, *Hac poſiſſimum nocte ; in Communicantes, Hanc Sacratiſſimam noctem ;* nam antiquus retentus eſt uſus non celebrandi in Paraſceve, neque Sabbato Sancto, ad exprimendam Eccleſiæ triſtitiam in morte, & ſepultura Chriſti Domini : *Hoc biduo Sacramenta non celebrantur*, inquit Innocentius I. in Ep. ad Decent.

Uſus cantandi Romæ ſolemniter *Alleluja* habetur ex Sozomeno l. 8. c. 15. affirmante, quotannis die Paſchatis cum melodia cantari conſueviſſe *Alleluja* ; forſitan Romæ die tantum Paſchatis, vel Paſchali tempore cantabatur ; creditur que S. Gregorius cantari juſſiſſe in Dominicis per annum, ut ipſe ait l. 6. ep. 64. atque, ut innuit Amalarius l. 4. c. 33. In antiquis Ordinibus Romanis Pontifex intonabat *Alleluja*. In Ordine Amelii poſt Epiſtolam Subdiaconus profunde ſe inclinat ante Papam dicens, *Annuntio vobis gaudium magnum, videlicet Alleluja*, quod a Papa ter intonatur.

Omnes hujus diei cæremoniæ, quales a nobis ſervantur, referuntur ab Amalario l. 1. c. 18. quod cereus repræſenteret Chriſtum, quem figurabat columna ignis ante Iſraelitas incedens, quemadmodum cereus præcedit Catechumenos, cum baptizandi perducuntur ad Fontes ; quod Diaconus benedicat cereum, quod ea die ſingulare eſt, quia juxta Ordinem Romanum ad Archidiaconum ſpectat *Agnos Dei*, & cerei ceram benedicere : *Quod a Diacono benedicitur, morem ſequitur Romanorum, in quo Archidiaconus conficit Agnos* ; quod Lectiones Baptiſmum præcedentes erant Inſtructiones ad præparandos Catechumenos, exemplo S. Petri, qui inſtruebat antequam baptizaret ; refert etiam duodecim Lectiones, Tractus, Orationes, quales nos dicimus, & *Sicut cervus* procedendo ad Fontes ; itemque animadvertit, has duodecim Lectiones carere titulo, nec exprimi unde deſumtæ ſint, quod quidem myſticis de cauſſis factitatum deſignat. Cuilibet Neophyto e Fontibus exeunti datur cereus.

Hodiernæ Veſperæ perperam appellantur hoc nomine, quomodo enim recte appellari potuiſſent Veſperæ poſt mediam noctem, & quando nimis etiam tarda erat hora pro recitandis primis duobus Nocturnis Matutini ? Erat igitur gratiarum Actio pro novis Baptizatis, ut colligitur ex Pſalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, & *Magnificat*. Conſtitutiones Apoſtolicæ l. 7. c. 45. ſtatuunt, ut poſt Baptiſmum dicatur Pſalmus *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. Concilium II. Aquiſgranenſe anno 838. de his Veſperis can. 7. loquitur, tamquam de gratiarum Actione, quas Eccleſia Deo referebat pro filiis ſuis ad Feſtum Paſchatis perductis, atque etiam pro Neophytis ; quas quidem preces Veſperarum loco habendas docet, eaſque ſolemniter jubet celebrari : *Veſpertinales quoque preces in pervigilia Paſchæ melius celebrandæ ſunt propter lætitiam Reſurrectionis Domini, quam dimittendæ . . .* Cernimus etiam, quod in pleriſque Ordinariis Monaſticis, ubi Officium brevius erat quam in Cathedralibus & in Parochiis, dici jubebantur cum Antiphonis, Pſalmis, Hymno, & aliis precibus, quæ Feſtorum ſolemnitati ſunt annexæ ; & Udalricus ait, quod in Eccleſia Cluniacenſi Feſtum Paſchatis primas habebat Veſperas, & Matutinum cum tribus Nocturnis, quod etiamnum obſervatur in novo Breviario ejuſdem Ordinis. In Statutis Lanfranchi Capitulum eſt *Cum ſurrexiſti*, Hymnus *Ad cœnam agni*, Collecta *Deus qui hanc Sacratiſſimam noctem*. Apud Joannem Abrincenſem tres tantum Pſalmi dicebantur ad Completorium : Udalricus in Cluniacenſium conſuetudinibus ait, quod hodierna die Miſſæ privatæ celebrari quidem poterant poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis, ſed cerei non accendebantur, ſi celebrarentur antequam novi ignis Benedictio fieret. In Ulibus Ciſtercienſium celebrari prohibentur privatæ Miſſæ, & ſolummodo communicari permittitur. Inquit Micrologus c. 53. ætate ſua celebrari permiſſum eſſe poſt Fontium Benedictionem : *Poſt Baptiſmum poſſunt Presbyteri Miſſam, ſi neceſſe fuerit, privatim celebrare,*

Digitized by Google

brare, & incipere a Litaniis, hoc eſt a *Kyrie*.

Hinc colligitur, quod anticipatio prandii in diebus jejunii paulatim invexit anticipationem Officii publici non tam in Sabbato Sancto, quam in reliquis Quadrageſimæ diebus; verum Eccleſia nihil de veteris Officii ritu immutavit, eaſdemque ſervavit preces, quaſi Officium etiam hodie veſpertina hora recitaretur. In pleriſque Monaſteriis & Eccleſiis non inchoabatur niſi poſt horam ſextam veſpertinam, tempore Pii V. qui hunc uſum abolevit.

CAPUT LXXII.

Officium S. diei Paſchatis.

SAnctus dies Paſchatis apud Chriſtianos eſt Feſtum Feſtorum maximum; appellaturque magnus dies, *Megali imera*, ut ait S. Jo. 19. 31. *Magnus dies ille Sabbati*; & Tertullianus *l. 5. contra Marcian. Dies obſervatis, & tempora, & dies magnos*. Capitularia quoque l. 5. c. 71. præcipiunt, pœnitentes geſtare cilicium *Uſque ad magnum diem*, nempe Paſchatis. In Sacramentario S. Gregorii appellatur *Dominica Sancta*.

S. Ambroſius epiſt. 23. & Scripturis, & Traditione admoneri nos perhibet, ut accurate dies Feſtus Paſchatis deſignetur; idque tam neceſſarium judicatum fuiſſe a Concilio Nicæno, ut novemdecim annorum Cyclum fieri juſſerit eo conſilio, ut hac ratione omnibus in locis eadem nocte Sacrificium offerretur in honorem Reſurrectionis Jeſu Chriſti; ſuper hoc Epiſcopos Alexandrinos, & Romanos quaſdam Regulas conſtituiſſe; duo circa Paſchatis celebrationem obſervanda eſſe, quartamdecimam diem Lunæ, & menſem primum; hæc tempora ſignata fuiſſe in Veteri Teſtamento, & veterem Legem Chriſtum adimpleviſſe, cum celebraſſet Paſcha Feria quinta, quartadecima die Lunæ menſis Martii, cruci affixus fuiſſet quintadecima die, & reſurrexiſſet die Dominica ſubſequenti; itaque a Chriſtianis celebrandum eſſe Rurrectionis Feſtum Dominica poſt quartamdecimam Lunæ menſis Martii, qua jejunare amplius non permittitur; quando autem quartadecima Lunæ incidit in Dominicam, Paſchatis ſolemnitatem in Dominicam ſequentem transferendam eſſe, propterea quod nec jejunandum ſit in Dominica, nec jejunium ſolvendum quartadecima Lunæ, qua die J. Chriſtus captus eſt, ut crucifigeretur. Oſtendit S. Ambroſius, non neceſſe eſſe in menſe primo Reſurrectionis diem celebrari, dummodo in menſem primum incidat dies Paſſionis.

Hodiernus dies, inter reliquos excellentiſſimus, appellatur *Dies Domini*, vel *Dies Dominicus*. Huic omnes honores delati ſunt, qui Sabbato in Lege veteri deferebantur, conſecratuſque eſt ad celebrandum Reſurrectionis chriſti Myſterium; eique datum eſt proprium tempus ac peculiare quinquaginta dierum, quod Paſchale vocatur. A S. Gregorio Nazianzeno Orat. de Paſch. appellatur *Feſtivitas Feſtivitatum*, & *Solemnitas Solemnitatum*; S. Baſilius, & S. Leo ſerm. 4. œconomicam divini cultus, & Sacramentorum Eccleſiæ diſpoſitionem ab hoc feſto pendere ajunt, quia J. Chriſti Reſurrectio noſtræ Religionis eſt fundamentum: quare Romæ *Dominica Reſurrectionis* nuncupatur, hoc eſt dies quo Domini Reſurrectio celebratur, quæ quidem denominatio multo præſtantior eſt, quam ſi vocetur dies Paſchatis; ſiquidem Paſcha per ſe nonniſi tranſitum ſignificat: *Paſcha ideſt tranſitus* Exod. 12. Paſcha eſt tranſitus Domini.

Cum autem ex Actibus c. 20. v. 7. & ex Apocalypſi c. 1. v. 10. videantur Apoſtoli diem Dominicum inſtituiſſe, ipſi quoque Paſchatis, ſeu Reſurrectionis Feſtum inſtituiſſe dicendi ſunt, in cujus Myſterii honorem dies Dominicus celebratur.

Quoad diem ſtatutam Feſti Paſchatis, ex diſputationibus habitis tempore Aniceti, & Victoris Pontificum liquet, Romæ fuiſſe traditionem a SS. Petro, & Paulo profectam, quod ibi ſemper

in Dominica Paſcha celebratum fuerit. Harum diſputationum Hiſtoria pariter docemur, in Aſia traditionem fuiſſe, quæ a S. Jo: Evangeliſta, & a S. Philippo fluxiſſe credebatur, ut ſcilicet Paſcha celebraretur quartadecima Lunæ primi menſis, quacumque occurreret die, & celebraretur cum Judæis, & quadie Chriſtus mortuus eſt; verum poſt diuturnas diſputationes primis ſæculis habitas de die, qua Paſcha celebrandum foret, tandem communi conſenſu ſtatutum eſt, ut Romanus uſus ubique ſervaretur. Concilium I. Arelatenſe an. 314 *can.* 1. univerſis Chriſti fidelibus præſcripſit, ut Feſtum Paſchatis eadem die ubique terrarum celebrarent; ſtatuitque, ut Romanus Epiſcopus cunctis Eccleſiis quotannis ſcribens diem deſignaret; quod etiam in Concilio Nicæno an. 325 fieri conſueviſſe tradit. Orientales ſponderunt, ſe Romanum Ritum, & totius Occidentis ſervaturos; ne autem bis in anno, ut aliquando contingebat, Paſcha fieret, Paſchatis dies addicta eſt Dominicæ poſt quartamdecimam diem Lunæ primi menſis, quæ vernum Æquinoctium ſubſequebatur, propterea quod Jeſus Chriſtus reſurrexerat ea Dominica, quæ magis Judæorum Paſchati proxima eſt. Alexandrinis Epiſcopis præcepit Concilium, ut quotannis litteras huc illuc mitterent, quibus dies Paſchatis deſignaretur; quod quidem Feſtum die Epiphaniæ annuntiabatur, ut hodie etiam Pariſiis fieri ſolet.

Hodiernum Officium totum eſt de Reſurrectione; nihil dicitur de Baptizatis niſi in Canone Miſſæ, & poſt Veſperas in Proceſſione, quæ pro illis fit ad Fontes per totam hebdomadam. Quoniam in nocte Sabbati tarde admodum ab Eccleſia egrediebantur, redibant ad Eccleſiam ſub lucis ortum: *Eadem nocte ſanctæ ad vigiliam poſt gallorum cantum, matutina luce nunc ente tenebras*, ait Ordo Romanus apud Thomas. p. 30 nimis tarda erat hora prolongo Officio, & quia nox jam tranſierat, Nocturnis amplius non erat locus; quare unus tantum dicebatur Nocturnus, ſicut hodie dicitur per totam hebdomadam. Ceſſat ritus lugubris, quo præcedenti triduo dictum eſt Officium, ſed nonnihil tamen veteris ſimplicitatis retinetur; Hymni enim, & Capitula non dicuntur, neque Antiphonæ per Horas, ſed tantum *Alleluja*. Introeuntes in Eccleſiam ſeſe invicem ſalutabantur dicentes, *Surrexit Dominus*. Officium inchoabant per *Domine labia*, Pſalmum *Venite*, tres Pſalmos, & tres Lectiones. Gregorius VII. in Decreto per Gratianum de Conſecr. d. 5 c. 15. relato confirmat hunc ritum, quem ait antiquum eſſe: *In die Reſurrectionis uſque in Sabbatum in albis, & in die Penteceſtes uſque in Sabbatum ejuſdem tres Pſalmos tantum nocturnos, treſque Lectiones antiquo more cantamus, & legimus*. Unus tantum Nocturnus dicitur, quia ferme dies erat quando incipiebatur Officium noctis, eratque hora Laudum; nam, referente Amalario, moris erat Romæ, quando aderat Aurora, Lectiones, ſeu Officium abbreviare, vel eas omittere, & Laudes ſub lucis ortum inchoare: *Romana Eccleſia quancumque ordine, vel numero Lectionum viderit matutinum procedere, ut audivi, dimittit nocturnale Officium, & incipit matutinale*.

In Ordine Romano Canonici Benedicti, Invitatorium hodiernum erat tantum *Alleluia*; ad omnes Horas dicebatur *Hæc dies*; tres tantum Pſalmi, etiam ad Primam, & Oratio de Feſto, *Oratio dicti*. Apud Thomaſium p. 116. Invitatorium, & etiam Reſponſoria, a quatuor in choro cantantur cappa indutis; Lectiones quoque a cappa indutis dicuntur. Invitatorium eſt *Surrexit Dominus vere* . . . . Antiphonæ Matutini ſunt tria *Alleluia* ad primum Pſalmum, duo ad ſecundum, & tertium; poſtea *Hæc dies*; Presbyter cappa indutus incenſat Altare; ad Primam ſe invicem amplexantur dicendo, *Surrexit Dominus*, & reſpondetur *Et apparuit Simoni*. In alio Ordine reperiuntur Antiphonæ *Ego ſum qui ſum*, *Poſtulavi*, *Ego dormivi*, juxta veterem morem a Pſalmis deſumtæ; tria Reſponſoria ſunt *Angelus . . . . deſcendit*, *Angelus locutus eſt mulieribus* . . . . *Dum tranſiſſet Sabbatum*. *Te Deum*. Ab Amalario l. 4. c. 23.

4. c. 23. refertur Officium, quale nos dicimus; tres Pſalmi ad Matutinum cum tribus Antiphonis, *Hæc dies* per omnes Horas diurnas; Pſalmus *Confitemini* pro Graduali ad Miſſam, & ad Veſperas per hebdomadam; poſt *Hæc dies* Oratio per Horas ſine Capitulo, & Reſponſorio brevi.

In pleriſque Eccleſiis poſt Matutinum fiebat Officium de Sepulchro, eratque popularis repræſentatio eorum, quæ mulieres egerant ad Sepulchrum, & colloquii cum Angelis. Cum proceſſione ibatur ad locum, qui dicebatur Sepulchrum, ubi repræſentabantur mulieres ad Chriſti Sepulchrum præcedentes; tres ſeniores Clerici retro Altare Mariarum formam induebant, candido velo ſuper albam impoſito[1], & dum Chorus canebat *Victimæ Paſchali*, alter Chorus veniebat ad Altare, ubi erant Mariæ, & dicebat, *Dic nobis Maria*, & ipſæ reſpondebant *Sepulchrum Chriſti viventis*; poſtea ſubdit Chorus *Scimus Chriſtum*. Hoc autem videre eſt apud Joannem Abrincenſem, & in Ordinariis Rotomagenſi, Narbonenſi, Laudunenſi, Sueſſionenſi, atque etiam Pariſienſi, Bellovacenſi, & Cabilonenſi. Verum curioſitate, & riſu Populi factum eſt, ut hujuſmodi ſpectaculum ac cæremonia ſupprimeretur.

Ad Monachos quod attinet, ita apud eos diſponebatur Officium. Hildemarus in Regulam S. Benedicti ait, quod in Concilio Aquiſgranenſi voluere Epiſcopi Monachos obligare, ut per hebdomadam Paſchatis Officium S. Benedicti prætermittentes, Romanum Officium recitarent; verum Abbatibus acriter reſiſtentibus, Monachorum uſus non eſt immutatus; cernimus interea, S. Dunſtanum in Concordia præcepiſſe, ut per hos dies Romanus Ritus ſervaretur: *In hac die S. Paſchæ ſeptem Canonicæ Horæ a Monachis in Eccleſia Dei more Canonicorum propter auctoritatem S. Gregorii Papæ, qui ita ordinavit in Antiphonario, celebrandæ ſunt.* In vita S. Roberti, Caſæ Dei Abbatis, legimus, quod ipſe inſtituerit uſum dicendi in Paſchate, & Pentecoſte idem Officium, quod dicebat dum eſſet Canonicus, & quod antea diceretur noctu duodecim Lectiones. Apud Lanfranchum, Udalricum, & alios, dicuntur Pſalmi de Dominica confueti. Scripſit Rupertus l. 4. de Officiis adverſus Monachos, qui Proceſſiones in ſuis Eccleſiis faciunt, ut fiunt in Parochiis ad Fontes Baptiſmales, quique Officii ſui ordinem invertunt; novem ſeu duodecim de more Lectiones recitandas illis eſſe demonſtrat, & eſſe contra ordinem Eccleſiarum, velle in locis, ubi fontes non exiſtunt, id peragere, quod ad Baptiſmum tantum eorum, qui ad Fontes baptizabantur, inſtitutum eſſet.

Ab Amalario tamen docemur, ævo ſuo tres tantum Pſalmos, & tres Lectiones per hebdomadam Paſchatis a Monachis dici conſueviſſe, ut Romæ dicebantur: *Nobiſcum in omnibus totam Paſchæ hebdomadam per tres Lectiones, & tria Reſponſoria*; addit revera, quibuſdam in Eccleſiis dictos fuiſſe duodecim Pſalmos, & duodecim Lectiones tribus poſt Paſcha diebus, *In triduo*, atque, ut videtur, etiam die Paſchatis.

Hodie, & tota Paſchatis hebdomada vetus canendi ſimplicitas in Pſalmis, Horarum præſertim, retenta eſt; & totum antehac Officium eodem modo canebatur, ut liquet ex Udalrico in Conſuetudinibus Cluniacenſium l. 2. c. 25. qui de hoc conqueritur, & hujuſmodi cantum Feriis magis convenire affirmans, quam Paſchatis ſolemnitati, emendari ritum deſiderabat: *Hymnorum melodia qui cantantur in Paſchate, ita ſit plana, & in directum, quam ſi ad privatum diem pertinerent, & hoc emendari poſſet.*

Fit etiam in pluribus Eccleſiis, veluti Laudunenſi, Remenſi, Sueſſionenſi, Aurelianenſi, & aliis, Proceſſio SS. Sacramenti ante Matutinum; quod in uſu eſt etiam Pariſiis, in Sancto nempe Palatii Sacello, & in Parochia S. Rochi. Cernitur hæc Proceſſio in vita S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani ad decimum ſæculum; die enim Paſchatis poſt Primam ibatur in Eccleſiam S. Ambroſii, ibique celebrabatur miſſa de Trinitate, & inde redibat Proceſſio, corpuſq; D. N. cum Evangelio, cereis

accen-

Digitized by Google

accenſis, & incenſo deferebatur in Eccleſiam S. Jo: Baptiſtæ, ubi dicebatur Tertia, & inde ad Eccleſiam Cathedralem, ubi cantabatur Miſſa, & dabatur Communio curtis adſtantibus, qua peracta dabatur prandium Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, iiſque diſtribuebatur agni caro, & lardi fruſta, quæ in Miſſa benedicta fuerant. Lauduni Sabbato Sancto duæ Hoſtiæ conſecrantur, quarum altera in calicem immiſſa ponitur in loco, ubi eſt Sepulchrum cum multis luminibus præparatum. Die Paſchatis ante Matutinum fit Proceſſio ad hoc Sepulchrum, ubi Clerici abſconditi dicunt *Quem quæritis . . . .* & alter clericus ait, *Non eſt hic*, ſtatimque cantatur *Surrexit*, & Proſa *Victimæ*; adoratur SS. Sacramentum, & iterum defertur ſubter umbellam, atque dum Matutinum dicitur, Decanus privatam celebrat Miſſam, ut Sanctam Hoſtiam abſumat.

Quoad Miſſam, nihil differt ab ea, quam dicimus, juxta Sacramentarium S. Gregorii, excepta Proſa *Victimæ*, quæ recentior eſt, nec de ea vetus Auctor quiſquam meminit. Meminit autem Durandus l. 6. c. 87. collecta eſt *Deus qui hodierna . . . .* Præfatio *Te quidem omni tempore, ſed in hoc potiſſimum die, Communicantes, Et diem Sacratiſſimum celebrantes*, deinde *Hanc igitur . . . . Sed & pro iis quos ex aqua, & Spiritu Sancto regenerare*. In Miſſali Mozarabico prima Epiſtola eſt Apocalypſis, ſecunda Apoſtolorum, quod placet Concilio IV. Tolerano can. 16. *Ut Apocalypſis liber a Paſcha ad Penteceſtem Miſſarum tempore prædicitur*. In Miſſali Gothico Epiſtola eſt 1. ad Corinthios c. 15. *Notum facio vobis Evangelium, quod prædicavi*, Evangelium eſt S. Lucæ 24. *Una Sabbati valde diluculo*. Duę in eo habentur Miſſæ, prima de Feſto, *Miſſa prima in Feſto ſancto Paſchæ*, & ſecunda pro novis Baptizatis, quæ dicebatur quotidie per hebdomadam, *Miſſa matutinalis per totum Paſcha pro parvulis qui renati ſunt*. In Africa pro Epiſtola legebantur Actus Apoſtolorum, *Hodie incipit liber Actuum Apoſtolorum*, ait S. Auguſtinus Serm. 247. & pro Evangelio Hiſtoria Reſurrectionis ſecundum Matthæum, treſque reliqui Evangeliſtæ diebus ſequentibus legebantur: *Reſurrectio D. N. J. C. hodie recitata eſt, ſed de Libro Evangelii ſecundum Lucam, primo enim lecta eſt ſecundum Matthæum, heſterna die ſecundum Marcum, hodie ſecundum Lucam*: ex quo colligitur, duos poſt Paſcha dies fuiſſe Feſtos, incenſari ad quamlibet Lectionem conſueviſſe, Lectiones ſicut Miſſam dici cum incenſo, cantari primum Reſponſorium a quatuor cappa indutis, ſecundum a ſex, tertium ab octo.

In Miſſa Ratholdi Introitus eſt *Reſurrexi*, & reliqua ſicut apud nos; verum in fine Canonis benedicitur agnus, *Benedictio carnis . . . . Deus univerſæ carnis qui Noe, & filiis ejus . . .* deinde *Per quem hæc omnia bona creas . . .* In Ordine Romano extat hæc Benedictio carnis, & cerę ad conficiendos *Agnos*. Græci quoque benedicunt hodie carnem, caſeum, & ova, quia de iis comedere incipiunt.

Mediolani dicuntur duæ Miſſæ, prima *pro Baptizatis*, ſecunda de Reſurrectione, & ſic per totam Octavam.

Monachi omnes communicabant ad Miſſam in Monaſteriis, etiam Sacerdotes, atque una tantum hodie dicebatur Miſſa; quod ſervatur adhuc apud Carthuſianos in tribus ſolemnioribus Feſtis per annum. S. Hieronymus in Præfatione ad Regulam S. Pacomii ait, Monachos omnes diverſorum Monaſteriorum ad principale Cœnobium convenire ſolitos, ut Paſchatis Feſtum in commune celebrarent; qua de re extat Epiſtola S. Pacomii in cod. Regul. Hoc idem fiebat ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, nam principes, & nobiliores Civitatis in ſolemnioribus Feſtis ad Eccleſiam Cathedralem confluebant, ibique communicabant.

Concilium Lambetanum an. 1206. celebrari præcepit plures Miſſas in Paſchate, ſicut in die Natalis.

Introitus *Reſurrexi* Reſurrectionis Myſterio applicari nequit, niſi per quamdam allegoriam; ſed non raro ſatis eſſe creditur in pſalmo aliquo quidquam depre-

prehendere, quod ad Feſtum applicari ioquo modo poſſit.

Quoad Veſperas, juxta Ordinem amanum Thomaſii p. 17. univerſus lerus cappa indutus, præeunte cruce, icenſo, & cereo Paſchali, qui *Facula aptiſſmi* appellatur, procedit ante Cruifixum, cantans novies *Kyrie eleyſon*, t fit in Miſſa, deinde in chorum revertur dicturus pſalmos; Antiphonæ loo quater repetitur *Alleluia*, poſtea *ſignificat*; deinde cum proceſſione itur d Fontes S. Joannis Lateranenſis, canndo *Laudate pueri* . . . . cum una ntiphona, & Oratione; ad Fontes diitur *Vidi aquam* . . . . Pſalmus *In exiu*, *Magnificat*, & Oratio. Redeundo cantatur Reſponſorium, Proſa *Magnificat*, cum una Antiphona, & Oratione Miſſæ. Proceſſio iſta fiebat pro novis Baptizatis, qui in triumphum ducebantur ad Fontes; exeundo e Fontibus dicebatur *In exitu Iſrael de Ægypto*, ut ſcilicet indicaretur, novos iſtos Iſraelitas a peccati ſervitute liberatos eſſe; præcedebantur autem a cereo accenſo, qui refertur ad columnam ignis, quæ præcedebat Iſraelitas, quando de Ægypto egreſſi ſunt, vel etiam, cum dicerentur Veſperæ ad occaſum ſolis, cerei Paſchalis lumen non minus neceſſarium erat quam Sabbato Sancto, quando iſte cereus illuſtrandæ inferviebat nocti, ut Pontium Benedictio fieret.

In quibuſdam Eccleſiis veluti Pariſienſi, Rectores chori ſunt ſine cappis, alba tantum induti; quod vetus Cleri veſtimentum eſt: ex iſtis albis imminutis, facta ſunt ſuperpellicea, albæ vero nonniſi junioribus chori Clericis reliquæ fuere. Eas deferunt cantores in Paſchate ad novorum Baptizatorum imitationem, qui veſtes albas per totam hebdomadam deferebant.

Apud Joannem Abrincenſem anno 1070. ibatur ad Veſperas cum Proceſſione ante Crucifixum cum cruce, cereis, Evangeliorum Libro, Diacono & Subdiacono indutis, & incenſo, quemadmodum itur ad inchoandam Miſſam; ibique incipiebantur Veſperæ per *Kyrie*, & *Chriſte eleiſon*, quod ante Pſalmos novies cantabatur, ſicut in Miſſa. Hoc modo Veſperas incipiunt etiam num Carmelitæ, & poſtea Pſalmos decantant ſine *Deus in adjutorium*. Hoc etiam Romæ fieri ſolere jam retuli, quod Rupertus ſuo quoque ævo deſignat. Teſte Amalario l. 8 de divinis Officiis tres tantum Pſalmi Romæ dicebantur ad Veſperas, *Magnificat*, & duo alii Pſalmi per duas ſtationes ad Fontes & ad Crucifixum: *Notum eſt matrem noſtram Eccleſiam Romanam tres Pſalmos ante Hymnum Evangelicum, & poſt Hymnum duos per diverſa Altaria Pſalmos, ſapiſſime tamen ad Fontem & ad Crucem*. E ſingulis Hebdomadæ ſanctæ & diei Paſchatis Officiis colligitur, Gallicanos ritus Roma derivari, eoſdemque ipſos ſervatos fuiſſe, dum immutati ſunt poſt ultimam Breviarii Romani correctionem. S. Dunſtanus ad Veſperas tres deſignat Pſalmos, *Dixit*, *Confitebor*, *Beatus*, *Hæc dies*, *Alleluja*, Proſam *Magnificat*, & ubi exſiſtunt Fontes, *Laudate*, & *In exitu*.

CAPVT LXXIII.

De Officio Hebdomadæ Paſchatis, & de Tempore Paſchali.

AD Lectiones Paſchalis temporis quod attinet, die Paſchatis legitur Evangelium, quo tres mulieres nominantur, quæ ad monumentum venere cum aromatibus, ut J. Chriſti corpus inungerent, videlicet Maria Magdalena, ex qua Chriſtus ejecerat ſeptem Dæmonia, Maria mater Jacobi Minoris, & Salome uxor Zebedæi, & mater S. Jacobi & S. Joannis. Homilia S. Gregorii eſt Evangelii moralis explicatio.

Feria ſecunda Evangelium eſt de apparitione J. Chriſti ad duos Diſcipulos euntes in Caſtellum nomine Emmaus; quod poſtea factum eſt Urbs nomine Nicopolis, teſte S. Hieronymo. Homilia S. Gregorii declarat effectum panis a Domino benedicti, unde Diſcipuli cognoverunt eum.

In Homilia Feriæ tertiæ nonnulla videntur deſiderari, quæ in nova Operum S. Am-

Digitized by Google

S. Ambroſii editione ſuppleta ſunt. Pariſiis prætermiſſa eſt tertia Lectio, & ex duabus Breviarii Romani factæ ſunt tres; tertia autem hæc Lectio nullam ad Evangelium diei relationem habet.

In Homilia Feriæ quintæ S. Gregorius confundit Mariam Magdalenam cum muliere peccatrice. Hic textus Pariſiis prætermiſſus eſt, atque ejus loco continuatio legitur iſtius Homiliæ.

In prima Dominica legi incipiunt Actus Apoſtolorum. S. Auguſtinus uſum memorat legendi quotannis ſolemniter hunc Librum in Congregatione Fideſium, & lectionem inchoandi poſt Feſtum Paſchatis. Liber hic hiſtoriam continet Apoſtolorum ab Aſcenſione J. Chriſti uſque ad liberationem S. Pauli, quod eſt ſpatium triginta annorum. Creditur Theophilus, ad quem ſermo eſt, nomine appellativo, quo amicus Dei vel amans Deum ſignificatur, vocari potius, quam nomine proprio alicujus viri Antiocheni, qui per S. Paulum ad Chriſtum converſus fuerit, optaritque, a S. Luca narrari ſibi quæ ſciret de vita Chriſti, & Apoſtolorum. Liber iſte proprie eſt Evangelium J. Chriſti poſt reſurrectionem, Eccleſiam ſuam per Apoſtolos confirmantis. Dominica legitur ad primum Nocturnum S. Paulus de Reſurrectione loquens: ad ſecundum Nocturnum Sermo S. Auguſtini, qui hodiernæ feſtivitati, qua ſolemnitas Paſchalis concluditur, admodum convenit; loquitur ad novos Baptizatos: ad tertium Nocturnum S. Gregorius exponit, J. Chriſtum poſt reſurrectionem januis clauſis, tamquam corpus glorioſum, penetraſſe.

Dominica ſecunda Sermo S. Leonis de Reſurrectione Chriſti loquitur, & Homilia S. Gregorii de Chriſto bono Paſtore.

Dominica tertia incipit Liber Apocalypſis, qui multo ab hinc tempore poſt Paſcha legi ſolet; eſtque deſcriptio perſecutionum, quas paſſa eſt Eccleſia ſub Ethnicis Imperatoribus, & deinceps Eccleſiæ victricis & pacificæ; Antiquus dierum eſt Deus Pater, Agnus eſt Filius, Terra eſt Imperium Romanum, Beſtia ſeptem habens cornua, & Draco ſunt Imperatores perſequentes Eccleſiam, magna Meretrix in proſtitutione ſua, Babylon, eſt Roma Gentilis, numerus dierum ſeu annorum deſignat tempus perſecutionis, Babylonis & magnæ Meretricis lapſus lapſum Perſecutorum & Romæ Idolis ſervientis ſignificat; flagella, quibus Deus terram afflixit, ſunt calamitates, quibus Romanum imperium aſſictum fuit. Ad ſecundum Nocturnum Sermo S. Auguſtini de Chriſti reſurrectione agit; ad tertium Homilia ejuſdem S. Auguſtini hodiernum explicat Evangelium.

Dominica quarta legi incipiunt Epiſtolæ Catholicæ; prima eſt S. Jacobi, & reliquæ ſubſequuntur uſque ad Pentecoſten. Lectiones ſecundi & tertii Nocturni ſunt de bono patientiæ in tribulationibus.

Dominica quinta Sermo S. Ambroſii de fide reſurrectionis, & Homilia de petitione in nomine Domini.

In Aſcenſione Domini, S. Leo in ſecundo Nocturno, & S. Gregorius in tertio Myſterium explicant, atque etiam Feria ſexta & Sabbato; & poſt Octavam Aſcenſionis Sabbato in Vigilia Pentecoſtes, ad ſecundum Nocturnum S. Auguſtinus cuncta commemorat opera, per quæ Catechumeni probantur.

Animadverſione dignum eſt, quod ex Homiliis S. Gregorii in Evangelia Hebdomadæ Paſchatis liquet, Pontificem illum ſingulis illius hebdomadę diebus prædicare conſueviſſe; atque utinam in omnibus Eccleſiis per totam Paſchatis hebdomadam Officium ſolemne fieret, & concio haberetur, tum ut eorum, qui hac hebdomada ſuum Paſcha celebrant, pietati ſatisfieret, tum ut eorum, qui Paſcha ſuum celebrarunt, devotio confirmaretur. Qui prædicare ſatagunt in Quadrageſima, ut Fideles ad Paſcha præparent celebrandum, cur eos negligunt Dei verbo alere, qui Paſcha ſuum celebrarunt, propriis viribus poſt Communionem relinquentes eos, quorum fervorem deberent hebdomada iſta magis ac magis augere? imitanda eſſet Eccleſia, quæ toto hoc ſolemni tempore novos Baptizatos divinis Officiis & prædicatione exercebat, ut in

Digitized by Google

ait in gratia Communionis Paſchalis poſt Baptiſmum factæ confirmarentur. Medicorum non eſt, convaleſcentium corporum curam deſerere, ſed integræ eorum valetudini deſervire.

Eccleſiæ fuit præcipuæ curæ Feſtum Paſchatis amplificare, tamquam omnium Feſtorum maximum, magiſque ſolemne; & quemadmodum Judæorum Paſcha per integram hebdomadam protrahebatur, ita Chriſtianorum Feſtis Paſchalibus integra hebdomada ſeu octava aſſignari cœpta eſt; quod fundamento aititur duarum ſolemnitatum, quas in Paſchate celebramus, nempe Myſterium Reſurrectionis Chriſti, & Neophytorum Baptiſmum; hebdomada hæc eſt continuatio duplicis iſtius ſolemnitatis; duæ Miſſæ antehac qualibet die dicebantur, qui ritus Mediolani ſervatus eſt, ubi prima Miſſa dicitur primo mane pro novis Baptizatis, ſecunda ad Tertiam, in honorem Dominicæ Reſurrectionis. Romæ curatum eſt, ut duplex hujuſmodi ſcopus & in Officio & in Miſſa cujuslibet diei immiſcerentur.

Hebdomada iſta appellatur ab Amalario hebdomada Paſchalis: in Sacramentario Gelaſiano dicitur hebdomada alba, ſeu Feriæ *In albis*, ſicut etiam in Sacramentario S. Gregorii, propterea quod Baptizati per octo dies, quibus eorum Baptiſmi Feſtivitas perdurabat, veſtem albam deferebant.

S. Auguſtinus ep. 55. nov. edit. de iſta hebdomada loquitur tamquam de inſtitutione non minus veteri, quam Quadrageſima: *Ut quadraginta dies obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo roboravit; ſic etiam ut octo dies Neophytorum diſtinguantur a ceteris*. Vi igitur conſuetudinis, quæ quadraginta dierum ante Paſcha obſervationem inſtituit, potius quam vi legis effectum eſt, ut octo dies Neophytorum diſtinguerentur. Inquit etiam in Serm. Dom. in monte l. 1. quod in honorem regenerationis novi hominis Feriæ omnes iſtius Octavæ celebrabantur, hoc eſt tota hebdomada feſtiva erat: *Octavarum feriarum quas in regeneratione novi hominis celebramus*. S. Jo: Chryſoſtomus tom. 5. homil. de Reſurrect. ait, quod ſeptem hiſce diebus novi Baptizati convocabantur, & divinis inſtructionibus exercebantur, ut Baptiſmi gratia roborarentur: *Idcirco ſeptem dierum ſpatio collectam agimus, ac ſpiritalem menſam nobis apponimus, divinis eloquiis inſtruimus, & adverſus Diabolum armamus . . . . Idcirco ſeptem conſequentibus his diebus, concionum doctrinæ*: quapropter Evangelia etiam, & Miſſæ propriæ ſeptem dierum cuique aſſignatæ ſunt, ut ſingulis diebus concio haberi poſſit. Exſtat etiam Myſtagogicæ Catecheſes S. Cyrilli Joroſolymitani, quibus per hebdomadam Paſchatis exercebat eos, quos per totam inſtruxerat Quadrageſimam, ut ad Baptiſmum præpararet. S. Jo: Chryſoſtomus ſeptem hoſce dies ait eſſe, veluti Nuptiarum celebritatem, cui hoc idem Myſterium ſeptem concedit dies: *In nuptiis ad ſeptem dies Thalamo profiſtant*. In Officio lætabatur Eccleſia de eorum nova regeneratione; reſpiciebat eos, tamquam fluctibus diu multumque agitatos, feliciter portum tenere, & aquis Baptiſmi ablutos primum præferre candorem. Veſtibus albis per hoſces dies induebantur, cereos deferebant in manibus, pro iis fiebant proceſſiones Fontium, pro iis breviabatur Officium; ideoque tota hebdomada breve eſt, quia Officio Baptizati aderant: atque ut melius Feſtum Paſchatis, quod Baptizatorum Feſtum eſt, celebraretur, juſſa eſt tota hebdomada fieri feſtiva. Concilium II. Matiſconenſe anno 585. *Can.* 2. *Nullus his ſanctiſſimis ſex diebus ſervile opus audeat facere*; Moguntinum anno 813. *Simili modo totam illam hebdomadam obſervari decrevimus*; Meldenſe anno 845. *Can.* 77. anathematizat eos, qui octo dies Paſchatis non celebraverint: *Dies octo ſanctiPaſchatis feriatos eſſe decernimus . . . . quod ſi quis violaverit, excommunicetur*: Concilium *In Trullo* in Oriente, *Can.* 66. idipſum præſcribit: *Tota ſeptimana in Eccleſiis vacare fideles jugiter oportet*. Theodulphus Aurelia-

nenſis in ſuis Capitularibus, *Can.* 41. *Ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.* Hujuſmodi dies tamquam continuatio Feſtorum Paſchatis habebantur. Herardus Archiepiſcopus Turonenſis in Paſchate & Pentecoſte Feſtorum Octavam permittit: *De octo diebus Paſchæ, qualiter feriari debeant, & de Pentecoſte.* Feſtivos etiam eſſe intelligimus in capitularibus Caroli Magni, apud Amalarium, & Rabanum. Concilium Ingelheimenſe in Germania anno 949. Pentecoſtes quatuor tantum dies, Paſchatis vero hebdomadam totam præcipit celebrari: *Ut Paſchalis hebdomada feſtive tota celebretur, & in Pentecoſte ſecunda, tertia, & quarta feria.* Caput *Pronuntiandum* a Gratiano relatum diſt. 3. c. 1. de conſecr. octo dies decernit in ſolemnitate Paſchali: *Sanctum Paſcha cum tota hebdomada.* Ita etiam Gregorius IX. in Decretalibus. Undecimo ſæculo Feſta hæc ad tria redigi cœpta ſunt; decimo tertio ſæculo fere apud omnes invaluit uſus; denique ad ſecundam & tertiam Feriam ubique tedacta ſunt. Concilium Conſtantienſe tria tantum Feſta deſignat; in Statutis Collemiri Rotomagenſis Archiepiſcopi anno 1245. duo tantum Feſta fiebant in Paſchate. Pariſiis Officium Feriæ quartæ ſignatur duplex tam in hebdomada Paſchatis, quam Pentecoſtes, ut eam diem feſtivam antehac fuiſſe demonſtretur. Carthuſiani quoque tres dies Feſtos celebrant, nec celebrari permittunt Feſtum Annuntiationis, aut Dedicationem Eccleſiæ, aut Feſtum Patroni, niſi tribus poſtremis feriis hebdomadę Paſchatis.

Officium in Hebdomada Paſchatis idem eſt ac in die tam pro Nocturnis, quam pro Veſperis, & Proceſſione Fontium; in omnibus Miſſalibus habentur Miſſæ propriæ pro qualibet die Paſchalis hebdomadæ, ſed tam Miſſæ, quam Officium ad Baptizatos videntur valde referri; ſunt enim immixtio duarum Miſſarum, quæ quotidie dicebantur, altera de Reſurrectione, altera pro Baptizatis.

Videtur e pluribus Romanis Ordinibus quælibet hebdomadæ dies tres habuiſſe Pſalmos proprios ad Matutinum, qui Pſalmi erant ii, qui ſubſequebantur tres primos, qui dicti fuerant in Dominica. Feria ſecunda dicebatur *Cum invocarem, Verba, & Domine ne.* Feria tertia *Domine Deus. Domine Dominus. In Domino.* Feria quarta *Salvum me fac. Uſquequo. Dixit inſipiens.* Feria quinta *Domine quis. Conſerva Exaudi.* Feria ſexta *Cæli enarrant. Exaudiat. Domine in.* Sabbato *Dominus regit me. Domini eſt terra, & Judica*: ſed per Horas, Laudes, & Veſperas, ſicut in die Paſchatis. Poſt Pium V. tantum, ut ego arbitror, repetuntur per totam hebdomadam ad Matutinum iidem Pſalmi de Feſto, quemadmodum repetuntur ad Laudes & ad Veſperas.

Pſalmi dicebantur ſine Antiphonis cum tribus *Alleluja, Hæc dies*, tribus Lectionibus & totidem Reſponſoriis. Ut autem per ordinem quatuor Evangeliſtæ ſuper Reſurrectione legerentur, poſt lectum die Sabbati Evangelium S. Matthæi, die Dominico S. Marci, feria ſecunda S. Lucæ, in quartam & quintam feriam, Sabbatum, & Dominicam diſtributum fuerat Evangelium S. Joannis; feria tertia & ſexta carebant Evangeliis & Homiliis; quibus Pius V. proprias inferi juſſit Homilias, alteram a S. Ambroſio, alteram a S. Hieronymo excerptam; ſed reliquis diebus legitur tantum S. Gregorius, juxta morem legendi Romæ, quod fieri poteſt, hujus Papæ Homilias, præſertim in ſolemnioribus Feſtis, quod nonnili pergratum poterat eſſe Romanis, audire cupientibus quidquid antiquus eorum Paſtor majoribus ſuis prædicaſſet. Concilium Rotomagenſe anno 1050. *Can.* 17. & 19. præcipit novis Baptizatis, ut illis octo diebus, quibus albis veſtibus induebantur, cereum tantum offerrent ac linteum, quo Chriſmatis cauſſa caput operiebant, deferrentque per illos dies & albas, & cereos accenſos, in qua Eccleſia baptizati fuerant.

Neophyti communicabant etiam ſingulis diebus per hebdomadam Paſchatis undecimo ſæculo, ut innuit Pſeudo-Al-

Digitized by Google

Alcuinus, *Omni die in Octavas ad Miſſam veniant, & communicent, parentes vero oblationes pro ipſis faciant, ſimiliter & in Pentecoſte.* Patrini ibant ad Oblationem pro ipſis; & juxta eumdem Auctorem novi Baptizati veniebant quotidie ad Miſſam cum cereo accenſo.

Secundum Reſponſorium Matutini, *Iſti ſunt Agni novelli*, dicebatur etiam in oratione Sabbati hujus hebdomadæ ad benedicendas paſtas ſeu panes cereos, qui appellantur *Agnus Dei*, quos Papa benedicit, & Populo diſtribuit Dominica *In Albis*; de eo quod reſtabat Paſchalis Cerei conficiebantur *Agni Dei*. His panibus plerumque imprimitur figura agni. Originem habet hæc Cæremonia ab antiquo Eccleſiæ Romanæ ritu, quo Dominica *In albis* ſumebatur reſiduum Cerei Paſchalis Sabbato Sancto benedicti, & diſtribuebatur Populo minutatim; partem quiſque ſuam domi vel in agris comburebat, tamquam remedium contra Dæmonum præſtigia, & contra fulgura & tempeſtates. En igitur *Agnorum Dei* origo, quos Papa deinceps majori ſolemnitate benedixit; eos nempe feria tertia poſt Paſcha Pontificalibus ornamentis indutus Papa aſpergit Aqua benedicta, & benedicit, qui poſtea in pyxide aliqua reponuntur, & a Subdiacono ad Papam afferuntur in Miſſa Sabbati ſubſequentis. Dicto *Agnus Dei*, Pontifici offeruntur *Agni*, ter dicendo: *Iſti ſunt agni novelli qui annunciaverunt, Alleluja: modo venerunt ad fontes, repleti ſunt claritate, Alleluja.* Deinde a Papa diſtribuuntur Cardinalibus, Epiſcopis, & Presbyteris; cumque nonniſi ab iis, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati, tangi poſſint, panno holoſerico involvuntur Laicis diſtribuendi.

Sabbatum dicebatur *Infra albas*, ſeu *In albis deponendis*, quia eo die Baptizati veſtes albas deponebant; tota hebdomada Officiis matutinis & veſpertinis interfuerant, & Sabbato perducebantur ad Fontes; in Collectario Thomaſii pag. 18. habentur Orationes quæ dicebantur: veſtem autem albam nonniſi poſt Officium veſpertinum deponebant. Ad *Magnificat* Antiphona *Cum fero eſſes* exſtat apud Micrologum, *cap.* 54. una cum Pſalmis Sabbati ad Veſperas cum *Alleluja*.

Exſtant Sermones apud S. Auguſtinum, qui a Poſſidio inſcribuntur *De Octavis Infantium*, *Tractatus duo*que pro Octava Paſchatis, quæ a nobis dicitur *Dominica in albis*, eoque nomine vocata eſt, quia Baptizati veſtem depoſuerant, quam tota hebdomada geſtaverant tamquam ſignum innocentiæ, & ſpiritalis infantiæ per Baptiſmum renovatæ: *Paſchalis ſolemnitas hodierna feſtivitate concluditur, & ideo Neophytorum habitus commutatur, ita tamen quod candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur*, ait S. Auguſtinus. In Sacramentario S. Gregorii appellatur iſte dies, *Dominica Octava Paſchæ*. Apud Ritoldum legitur *Die Dominica poſt albas*. In Ambroſiano *Dominica in albis depoſitis*, poſtquam Baptizati albam veſtem depoſuerant. In Miſſali Gothico *Claſum Paſcha*, tamquam iſtius Octavæ concluſio. Appellatur hodie *Dominica in Quaſi modo*, quia Introitus per illa verba inchoatur.

In pleriſque Romanis Ordinibus hodiernum Officium tres habet Nocturnos de Dominica conſuetos; incipiebantur ad primum Nocturnum legi Actus Apoſtolorum, qui tempore Paſchali continuabantur juxta ordinem Romanum, ut teſtatur Micrologus: *In hac nocte Dominica nocturna, & novem Lectiones juxta Romanum ordinem*; declaratque c. 54. eos, qui a Paſchate uſque ad Pentecoſten tres tantum Pſalmos & tres Lectiones recitare volunt, a Papa diſpenſandos eſſe: *Sed quia quamplures, omnes dies hinc uſque ad Octavas Pentecoſtes cum tribus Pſalmis & Lectionibus obſervare volunt, ad auctoritatem Sedis Apoſtolicæ recurrendum . . . .* Memorat autem Decretum Gregorii VII. quo præcipitur, ut Officium incipiat a Veſperis Sabbati in conſuetum ordinem reſtitui, quod in Concilio generali præſcriptum fuerat; hujuſmodi Decretum referunt Gratianus de conſecr. diſt. 5. c. 15. & Radulphus Tungrenſis Propoſ. 10. *In die Reſurrectionis uſque in Sabbatum in albis*,

& in die Pentecoſtes uſque in Sabbatum ejuſdem , tres Pſalmos tantum nocturnos , treſque Lectiones antiquo more cantamus & legimus ; omnibus diebus aliis per totum annum , ſi feſtivitas eſt, novem Pſalmos & tres Lectiones recitamus ; in Dominicis diebus octodecim Pſalmos , excepto die Paſchæ & Pentecoſtes , & novem Lectiones dicimus . Illi autem qui in quotidianis diebus tres tantum Pſalmos , & tres Lectiones celebrare volunt , non ex regula ſanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia , hoc probantur facere . Improbat idem Radulphus eos , qui tres tantum Pſalmos & tres Lectiones recitant toto tempore Paſchali , auctoritate fretos Alcuini , præceptoris Caroli Magni , qui S. Bonifacio Moguntino deprecante , ira officium ordinaverat , probatumque fuerat in Concilio Moguntino . Quod tamen nullo niti fundamento contendit Radulfus ; ſiquidem Alcuinus ipſe officio Aſcenſionis novem Reſponſoria , novem Lectiones , & novem Pſalmos aſſignat . Unde colligitur , a Radulpho verum Alcuinum cum falſo confundi ; nam Officiorum liber Alcuini nomine inſcriptus , non eſt illius Alcuini , qui Caroli Magni florebat ævo , ſed Auctoris duodecimi ſæculi , qui eum citat . Itaque fieri poterat , ut ab ævo uſque Caroli Magni , tam in Germania quam in Gallia , Paſchalis hebdomadæ ritus ſervatus ſit tres tantum Pſalmos & tres Lectiones dicendi , nec improbarint Pontifices Eccleſias illis , quæ hujuſmodi morem ſubſequutæ ſunt . Legimus in Bulla Canonizationis S. Petri Martyris , Ordinis Prædicatorum , ab Innocentio Papa IV. permitti ejus Officium fieri cum tribus Pſalmis & tribus Lectionibus , quando ejus Feſtum poſt Paſcha occurrit in Eccleſiis , quæ hujuſmodi Officium facere conſueverunt ; alibi vero Feſtum fieri novem Lectionum : *Faciant Officium cum novem Lectionibus ; illi vero qui non conſueverunt Paſchali tempore feſtum cum novem Lectionibus celebrare . . . juxta morem & modum ſuum de Martyre agant .* Prædicatorum Ordo tres tantum Pſalmos & tres Lectiones recitat a Paſchate uſque ad Trinitatem ; Præmonſtratenſes vero tres iſtas Lectiones cum tribus Pſalmis dicunt in Dominicis tantum ab Octava Paſchatis uſque ad Aſcenſionem . Pariſiis & in plerisque Galliæ Eccleſiis tres tantum Pſalmi treſque Lectiones dicuntur a Paſchate uſque ad Trinitatem ; quod Romæ quoque in uſu erat , ſaltem in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis , ut narrat Canonicus Benedictus in Ordine Romano , *A Paſcha uſque ad vigiliam Aſcenſionis tres Pſalmi uniuſcujuſque nocturni ejuſdem feriæ , & tres Lectiones* ; ſed mos iſte , qui a Præmonſtratenſibus obſervatur , in Aſcenſione deſierat . Durandus a pluribus Eccleſiis ævo ſuo obſervari ait toto tempore Paſchali . Cui tempori hoc inerat proprium , ut tamquam peculiaris Chriſtianorum teſcivitas haberetur , cujus ſolemnitas , teſte Tertulliano lib. de Idolol. quinquaginta durareť dies , & ſingula ceterarum nationum Feſta ſuperaret : *Excerpe ſingulas ſolemnitates nationum , & in ordinem texe , Penteceſtem implere non poterunt* . Feſta Ethnicorum omnia unum Feſtum Pentecoſtes Chriſtianorum æquare non poterant . Apud Caſſianum legitur collat. 2. traditionis fuiſſe Apoſtolicæ , celebrandos eſſe ſolemniter & cum gaudio non modo quadraginta dies , quibus Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit , ſed etiam decem dies , quibus Diſcipuli in concilium convenere uſque ad deſcenſum Spiritus Sancti ; ne autem , ut ipſe ait , in ſolemnitatis lætitia fructum amitteremus abſtinentiæ Quadrageſimalis , hora tantum Nona iis diebus anticipata eſt , videlicet prandebatur ad Sextam , non vero ad Nonam ; ciborum qualitate & quantitate non immutata .

Auctor Sermonis , qui S. Ambroſio adſcribitur, inquit , quod per quinquaginta hoſce dies ſit a nobis continuum Feſtum , *Jugis & continuata Feſtivitas*. Non quod Chriſtiani per hoſce dies a conſuetis ceſſarent operibus , ſed eorum Feſtivitas erat convenire ad Eccleſiam , Sacrificio intereſſe , & de eo participi-

Digitized by Google

ticipes fieri, in quo conſiſtebat olim, quod nos appellamus *Feſtum agere*. Totum Paſchale tempus Octavam hebdomadarum appellat S. Ambroſius in c. 17. Luc. propterea quod ſeptem hebdomadæ ſunt dies quadraginta novem, & primus octavæ hebdomadæ dies eſt dies ipſe Pentecoſtes: *Ideo majores tradidere nobis Pentecoſtes omnes quinquaginta dies ut Paſcha celebrandas, quia Octavæ hebdomadis initium Pentecoſtem facis. Ecce per hos quinquaginta dies jejunium neſcit Eccleſia ſicut Dominica, qua Dominus reſurrexit, & ſunt omnes dies tamquam Dominica.* En igitur antiqua traditio quinquaginta hoſce dies celebrandi, ſicut celebratur Dominica, ideoque etiam Officium Officio Dominicæ ſimile eſt; dicitur *Alleluia*, non jejunatur, neque genuflectitur ad preces. Quem uſum tempore quoque ſuo obſervari conſueviſſe affirmat Tertullianus de coron. Milit. c. 1. *Die Dominico jejunium neſas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudemus.* S. Auguſtinus in ep. ad Januar. de *Alleluia* loquitur, quod in quibuſdam Eccleſiis nonnisi per hos quinquaginta dies cantaretur: *Ut Alleluia* per hos ſolos *quinquaginta dies in Eccleſia canitur, non uſquequaque obſervatur*; appellatque canticum gloriæ, quo imitatur in terris, quod Sancti dicunt in Cœlis.

Dominica de *Quaſi modo* ad primum Nocturnum legitur S. Paulus ſuper Reſurrectionis Myſterio: ad ſecundum Sermo S. Auguſtini, quo docemur, ea die in Africa Baptizatos depoſuiſſe veſtem candidam, atque etiam qua ſolemnitate hebdomada Paſchalis celebraretur.

Juxta Ordinem Romanum hodie auferebatur Cereus Paſchalis, qui ad Officia omnia a nocte uſque Paſchatis accenſus fuerat; deinceps remanſit uſque ad Aſcenſionem, accenſuſque eſt in Dominicis tantum in Miſſa, & Veſperis; in die vero Aſcenſionis abjicitur in fine Evangelii Miſſæ, ad repræſentandum Jeſum Chriſtum, qui ſe ab Apoſtolis ſuis ſeparat, dum aſcendit in cœlum. Hæc Rubrica poſt Pium V. ſolummodo exarata eſt. Juxta Micrologum c. 53. Pontifex cereum quemdam benedicebat, ex quo conficiebat *Agnos Dei*; erat autem reſiduum cereæ Paſchalis Cerei, qui per totam hebdomadam accenſus fuerat. Iſti *Agni* conficiebantur etiam e cera candidiſſima, cui miſcebatur reſiduum S. Chriſmatis prioris anni, & agni figura imprimebatur, alluſione ad Jeſum Chriſtum facta, qui Agnus Dei a S. Joanne appellatur.

Incipiebatur antehac in Dominica de *Quaſi modo* legi Apocalypſis, ut ait Micrologus c. 54. nunc vero transfertur in feriam ſecundam lectio Actuum Apoſtolorum, nempe Hiſtoria naſcentis Eccleſiæ. De uſu hunc librum legendi in Paſchate agit S. Auguſtinus.

Toto tempore Paſchali Officium ſimile eſt Officio Feſtorum; Laudes, Miſſa, & Horæ ſicut in Dominica, ad Matutinum tantum, & ad Veſperas dicuntur pſalmi de feria. Pſalmorum numerus ad Matutinum non ubique par; inter eos enim, qui tres tantum dicunt, Joannes Abrincenſis illos ita dividit, & præcipit, ut, cum octodecim habeantur in Dominica, novem tantum dicantur tempore Paſchali, & novem alii Dominica ſubſequenti, & ſic ſucceſſive, & alternatim cum novem Lectionibus; ut in feriis loco duodecim pſalmorum, ſex tantum una hebdomada, & ſex altera ſequenti dicantur, cum tribus *Gloria Patri*, una Antiphona, & tribus Lectionibus. In Diœceſi Silvanectenſi dicuntur novem pſalmi, & novem Lectiones in Dominicis, in Feriis vero tres tantum pſalmi, & tres lectiones.

Non habebant olim commune de Sanctis tempore Paſchali, niſi conſuetum, ſive Officium de Apoſtolis, ſive de uno aut pluribus Martyribus celebraretur, ut advertit Micrologus c. 55. *Sciendum eſt, quod antiqui de Sanctis communiter in Paſchalibus cantare ſolebant; unde & adhuc nunc de uno, quæ ad plures pertinent, cantatur, ut Alleluia, gaudete.* Non habebatur antehac commune unius Martyris, quemadmodum non habetur commune unius Apoſtoli.

Toto tempore Paſchali Laudes dicuntur de Dominica, tamquam ſi dies

ſin-

Digitized by Google

ſinguli Feſti eſſent, ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* habentur Antiphonæ propriæ, & dicitur *Gloria in excelſis* ad Miſſam. Extat etiam in Ordinariis commemoratio de Cruce, ſeu de Jeſu Chriſto crucifixo in Officio Paſchali: *Crucem Sanctam ſubiit* legitur apud Canonicum Benedictum. Reſponſoria trium priorum hebdomadarum ſunt Reſurrectionis propria. Dominica tertia legi incipitur Apocalypſis, & deinceps Epiſtolæ Catholicæ uſque ad Pentecoſtem. Inter quas prima eſt Epiſtola S. Jacobi, non quod ante Epiſtolas S. Petri ſcripta fuerit, ſed quod veterum catalogorum ordo ſervatus ſit, ut videre eſt apud S. Cyrillum Jeroſolymitanum, Euſebium, & Concilium Laodicenum. A S. Auguſtino Apocalypſis poſt Actus Apoſtolorum ponitur, ſed Epiſtolæ S. Pauli, & Epiſtolæ Catholicæ ante Actus collocantur. In Breviario autem Apocalypſis ante Epiſtolas Catholicas poſita eſt, quia fortaſſe talis ordo eſt arbitrarius; cernitur etiam apud Canonicum Benedictum, quod legebatur Apocalypſis a feria ſecunda poſt Dominicam de *Quaſi modo* uſque ad Dominicam quartam, quo die incipiebantur legi Actus Apoſtolorum, quod ſervabatur etiam tempore Micrologi, ut ſupra dictum eſt, ita ut per emendationem Pii V. Actus præceſſerint Apocalypſim uſque ad Aſcenſionem, & duo iſti Libri ſucceſſivo ordine Romæ perlegantur.

Quoad Officium nocturnum tempore Paſchali, in Decreto, quod Gregorio VII. adſcribitur adverſus eos, qui tres tantum pſalmos eo tempore recitant, dicitur hoc Romæ non invaluiſſe, niſi poſteaquam S. Sedes a Germanis fuit occupata; ex quo colligitur, in Germania, atque etiam in Gallia, & alibi tres tantum Pſalmos ac tres Lectiones dici conſueviſſe, uſumque Romam invectum eſſe; & a Gregorio VII. poſtea abrogatum, & alterum reſtitutum. A Succeſſoribus tamen antiquus ceterarum Eccleſiarum uſus non eſt immutatus.

Ad diem Paſchatis quod attinet, non tantus fuiſſet in Eccleſia diſputandi locus, ſi Feſtum hoc mobile certæ, & ſtatutæ diei fuiſſet addictum, puta Dominicæ primæ menſis Aprilis, in quacumque Lunæ diem incidiſſet; hoc modo præcepta fuiſſet contentionis occaſio; quamvis enim accidiſſet aliquando, ut Judæorum ſolemnitatem, qui quarta-decima die Lunæ menſis Martii ſuum Paſcha celebrant, etiam Paſcha noſtrum incideret; quid hoc rei eſſet? Numquid Paſcha noſtrum non fuiſſet vi objecti ſui ſatis ſuperque diſtinctum? Paſcha noſtrum ſemper eſſet Paſcha Chriſtianorum, qui ea die celebrant Jeſu Chriſti Reſurrectionem, non tranſitum maris rubri, non liberationem a perſecutione Pharaonis, quæ figura erat Dominicæ redemptionis; quemadmodum in Oriente, qui Sabbatum colebant eo fine, ut requiem honorarent Creatoris Dei, qui tali die ab opere creationis Mundi ceſſaverat, numquid Judaizare ſe arbitrabantur? S. Paulus, qui Jeroſolymis adfuit Feſto Pentecoſtes Judæorum, cenſebaturne judaizare? Annon illi veniebat in mentem Pentecoſtes Chriſtianorum, & cultus, quo Spiritus Sancti deſcenſus celebratur? Qui Romæ diem Natalis ad 25. Decembris deſtinarunt, qui dies erat ab Ethnicis in honorem orientis Solis conſecratus; & diem Epiphaniæ ad 6. Januarii, ut ria Jeſu Chriſti Myſteria colerent, quo die a Romanis tres Auguſti Triumphi celebrabantur, idcirco Ethnicorum cultum reſtituere cenſendi ſunt? Annon potius profano cultui ſancta Myſteria ſubſtituere? De his vide quæ diximus in die Natalis, & in die Epiphaniæ.

In Reſponſorio primo Dominicæ quartæ loco dicendi *Si oblitus fuero*, dici poſſet, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, alleluia: Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini, alleluia. ℣. Si oblitus fuero tui Jeruſalem, adhæreat lingua faucibus meis*, vel etiam *Propter Domum Domini Dei noſtri quæſivi bona tibi. Illuc enim aſcenderunt.*

CA-

CAPVT LXXIV.

De Rogationibus, ſeu tribus diebus Aſcenſionem præcedentibus, de Proceſſionibus, & Stationibus.

Dies Supplicationum, ſeu Rogationum publicarum, quę Feſtum Aſcenſionis præcedunt, principium habuerunt in Gallia. Sidonius Apollinaris l. 5. ep. 14. ait, quod ante S. Mamerti Epiſcopi Viennenſis ævum parum fervide celebrarentur, parum frequenter, nec ſtatis diebus: *Vagæ, tepentes, infrequenteſque Supplicationes*; quod pauci jejunarent; rogarentque pro terræ frugibus impetrandis: *Sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut ſerenitatem deprecaturæ*; quod vero a S. Mamerto ferventiores alię inſtitutę fuerint, in quibus jejunaretur, oraretur, & plangeretur, *Invenit, invexit, inſtituit, in quibus jejunatur, oratur, pſallitur, & fletur*. En Rogationum inſtituendarum occaſio.

Cum, Deo permittente, Vienna Allobrogum terræ motibus, incendiis, aliiſque publicis calamitatibus deſolata eſſet, ac incendio potiſſimum, quo nocte Paſchatis an. 469. Palatium deflagravit, S. Mamertus tum Urbis Epiſcopus, Dei iram fervidis precibus placare ſatagens, ad hoc elegit tres dies, qui præcedunt Aſcenſionem. Sanctum hunc morem ſtatim ferme Epiſcopi Galliæ amplexati ſunt, ita ut S. Avitus Viennenſis, & S. Cæſarius Arelatenſis dicerent ævo ſuo Rogationes fere ubique terrarum fuiſſe receptas, videlicet circa finem quinti ſæculi, quod intelligi ſaltem poteſt de Galliarum Eccleſiis, & finitimarum Provinciarum, quamvis, ut obſervat S. Avitus homil. de Rog. non idem omnibus tempus iidemque dies illico probarentur; eas primum Epiſcopi, in ſua quiſque Eccleſia, ſtatuere quotannis pro temporum opportunitate celebrandas; verum S. Mamerti famam reveriti non multo poſt ad triduum ante Aſcenſionem deſtinarunt. Ait etiam Gregorius Turonenſis l. 2. hiſt. c. 34. licet S. Mamertus eas Urbi ſuæ tantum indixiſſet, ab aliis tamen Epiſcopis ad ejus exemplum propriis Eccleſiis fuiſſe indictas: *Appropinquante Aſcenſione indixit populis ſuis ieiunium, orandi modum . . . . per cunctas Provincias diſperſa fama facti, cunctos Sacerdotes imitari commonuit*. Ibat S. Mamertus in proceſſionem cum populo ſuo, orans, & viſitans loca ſacra, & angulos Urbis ſuæ, *Procedens Pontifex cum Populo ſuo, loca ſacra circumiret*. Quas Sidonius appellat *Supplicationes*, Gregorius Turonenſis vocat *orandi modum*, & S. Germanus Pariſienſis, ut in ejus vita refert Fortunatus, appellabat ubique Litanias: *Dum tempore Litaniarum . . . . ad Miſſam cum Populo progreditur in Proceſſu*. De his Rogationibus agitur apud S. Cæſarium Arelatenſem hom. 33. qui Concilio Agathenſi præfuit an. 506. Concilium I. Aurelianenſe an. 511. can. 27. Rogationes expreſſe decrevit cum jejunio: *Rogationes, ideſt Litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari, cum triduano ieiunio*; ante aſcenſionem celebrandas eſſe decrevit: Concilium Gerundenſe an. 517. commendat eos in Hiſpania, aſſignatque Rogationibus Feriam quintam, ſextam, & Sabbatum poſt Pentecoſtem; Moguntinum an. 813. declarat, Litanias idem Græce ſignificare, ac Latine Rogationes aut Preces, præcepitque, Chriſtianos hoc triduo nudis pedibus, cinere, & cilicio indutos procedere: *Litaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latine dicuntur Rogationes, placuit ut Litania maior a cunctis Chriſtianis tribus diebus diſcalceati, cinere, & cilicio induti, niſi infirmitas impedieris, obſervanda ſit*.

Fatetur tamen Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis II. Pontificem iſtum Romæ celebrandas conſtituiſſe, poſtquam Carolus Magnus obſervari juſſiſſet in Gallia Litanias Romanas, quæ in Feſto S. Marci recitantur: *Iſte Pon-*

tifex

tifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrarentur. Utrum autem iſte Pontifex jejunare hoc triduo præceperit, ſilentio præterit; nullumque Romæ reperitur jejunii veſtigium ante octavum ſæculum; itaque quod in Sacramentario S. Gregorii deſignatur, mera eſt additio. Leo III. Pontifex creatus an. 791. Litanias admiſit, præcepitque feria ſecunda collectam ad S. Mariam Majorem ſeu ad Præſepe, ubi Pontifex, Clerus, & populus in unum congregabantur, profecturi cantantes pſalmos, & Hymnos ad S. Joannem Lateranenſem, quæ Baſilica Conſtantini appellabatur: Feria tertia conveniebant in Eccleſiam S. Sabinæ proceſſuri ad Eccleſiam S. Pauli: Feria quarta diſcedentes ab Eccleſia S. Crucis in Jeruſalem procedebant ad Eccleſiam S. Laurentii extra-muros.

Tres iſti dies primitus fuere in Gallia feſtivi, ut liquet ex Concilio I. Aurelianenſi, ex Capitularibus Caroli Magni, & ex capite *Pronuntiandum*, quod Burchardus, Ivo Carnutenſis, & Gratianus perperam adſcribunt Concilio Lugdunenſi, quod eſt incognitum, eſſque Haitonis Epiſcopi Baſileenſis, qui tempore vivebat Caroli Magni, & Ludovici Pii; inhibitiones autem abſtinendi hoc triduo ab operibus paulo poſt fuere reſtrictæ ad Proceſſiones tantum, & Officium, quibus completis permiſſum fuit precationi, & abſtinentiæ manuum opera conjungere, potius quam otio, & voluptatibus operam dare; ſed Romæ numquam dies iſti fuere feſtivi; in Concilio tantum Trevirenſi an. 1549. commendatur, ut habeantur ſemi-feſtivi, qualis eſt Feria quarta Cinerum, & triduum ante Paſcha.

Jejunium in Rogationibus a prima earum inſtitutione præſcriptum eſt, quamvis eſſet tempus Paſchale; quod confirmatum fuit a Concilio I. Aurelianenſi an. 511. & a II. Turonenſi an. 566. Cum Rogationes inſtitutæ fuerint ad Dei iram placandam, & arcendam vindictam, ut hujuſmodi malis remedium quæreret, judicavit Gallicana Eccleſia, poſſe, & debere Fideles eximi a generali lege non jejunandi tempore Paſchali; quod deinceps redactum eſt ad abſtinentiam carnis, quæ hodie ſubſiſtit; jejunabatur etiam tempore Amalarii, qui l. 1. c. 17. conqueritur tamquam de uſu non recepto temporibus S. Ambroſii, S. Hieronymi, & S. Auguſtini, qui inhibitionem jejunandi quinquaginta dies poſt Paſcha, abſque ulla exceptione, tamquam legem memorant univerſalem. Contra Amalarium ſcripſit Agobardus, rem inauditam contendens eſſe in Eccleſia, Litanias vel Rogationes celebrari ſine jejunio, quod dici non debet, niſi de uſu Eccleſiarum Galliæ. Rabanus etiam l. 2. c. 20. triduihujus jejunium æquum eſſe confirmat. Concilium Colonienſe an. 1536. jejunii, & Rogationum, quæ fiunt ante Aſcenſionem, rationem hanc affert, quod ſcilicet, cum Feſtum hoc in Vernum incidat tempus, quo plerumque bellum geritur, & fructus terræ florentes periculo ſunt obnoxii, per hujuſmodi pœnitentiam ac preces, Dei ira placanda eſt, & ſuper terræ fruges benedictio petenda; ac proinde iſtis diebus Proceſſiones campeſtres inſtitutæ ſunt: Litaniæ perſæpe appellantur Stationes, quibus ſignificatur locus, in quem Fideles conveniebant, ut publice deprecarentur, quemadmodum militari more appellantur *Stationes* conventus Militum in loco ſtantium, & excubias agentium ad nutum Imperatoris; non ſecus in Eccleſia ibatur, & ſtabatur ad nutum Epiſcopi. Stationes iſtæ antehac non fiebant ſine Sermone, ut liquet ex S. Leone, & ex Homiliis S. Gregorii, neque ſine Miſſa, ut videre eſt in Sacramentario S. Gregorii: initio cujuſque Miſſæ ſignatur locus, ubi Statio facienda eſt. Tertullianus lib. de Orat. de iſtis Stationibus agit diebus jejunii, quibus jejunium ſervabatur, preceſque dicebantur uſque ad finem Stationis. Creditur S. Gregorius incepiſſe Stationes decernere pro Dominicis, ac diebus ſolemnibus. Stationem indicere in aliqua Eccleſia, erat in eam transferre Cathedram Epiſcopalem; numquam ferme indicebatur Statio ad Monachorum Monaſteria, ſed ad alias Eccleſias; & quibus diebus Statio in illis Eccleſiis

non

non habebatur, fiebat Officium a Clericis vel Monachis finitimis, ſed ſine ſolemni conventu Populi; hujuſmodi conventus fiebat tantum in Feſtis coram Epiſcopo, vel Epiſcopi locum tenente. In Feſtis Sanctorum Scatio indicebatur in eorum Eccleſiis, & ſi quis Sanctus duas haberet in Urbe Eccleſias, duæ quoque fiebant Stationes, ut patet ex Kalendariis Romanis in Feſto S. Laurentii, quo die duæ ſtationes habentur, altera ad Eccleſiam, ubi corpus, altera ad majorem Eccleſiam. Stationis Indictio fiebat per Notarium, qui præcedenti Feſto annuntiabat locum, quo Populus deberet convenire, & Eccleſiam, ad quam in proceſſione cum Epiſcopo & Clero deberet progredi; exſtant veſtigia Stationis Romæ, atque etiam in Gallia, in Concilio IV. Aurelianenſi anno 541. *Can.* 3. ubi præcipua Feſta celebrari præcipiuntur coram Epiſcopo in loco, ubi Conventus ſeu Congregatio facienda eſt. Gregorius Turonenſis ait, S. Perpetuum Turonenſem Archiepiſcopum Stationes in pluribus Eccleſiis Turonenſibus indixiſſe, quod *Stationis* nomen in Concilio Pontigonenſi an. 876. reperitur. Pariſiis in majoribus Proceſſionibus Eccleſiæ Cathedrali ſubjectæ eo conveniunt, & procedunt ſimul ad Stationem; in Rogationibus, Parochiæ ſubjectæ Priori S. Martini a Campis ad eam Eccleſiam conveniunt, procedunteque ſimul ad Stationem ad Miſſam celebrandam. In Univerſitate, Facultates omnes conveniunt in Eccleſiam Maturinorum cum Rectore, procedunrque ad ſtationalem Eccleſiam a Rectore inditam, ibique dicitur Miſſa. In magna Presbyterorum & incolarum Pariſienſium Confraternitate Clerus & Populi conveniunt in Eccleſiam Magdalenæ in Urbe, & procedunt ad Miſſam dicendam in Eccleſia ſtationali.

En Proceſſionum ordo in Rogationibus Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis. Feria ſecunda Clerus iſtius Eccleſiæ una cum quatuor Collegiatis ipſi ſubjectis incipit procedere ad Pontem *au Change* vulgo dictum, ibique ante Imaginem B. Virginis, quæ ſuper portam exſtat domorum ſuper illum Pontem exſtructarum, a parte Orientis, Hebdomadarius, præeunte, qui luſtralem geſtat hydriam, domum illam ingreſſus per feneſtram benedicit fluvium: *Fluvium Sequanam aqua benedicta aſpergit, formans ſignum crucis*; ait Cæremoniale Pariſienſe; Interim cantatur Antiphona *Exaudi Domine. ℣. Oſtende nobis, Oratio Deus qui culpas delinquentium* . . . Inde proceditur ad Cœmeterium SS. Innocentium, ibique cantatur *Miſerere* & *De profundis* cum precibus & Orationibus pro Defunctis: dein pergitur ad faciendam ſtationem in Eccleſia Sepulchri; e qua egrediendo incipitur Pſalterium per *Domine labia mea* . . . . & *Deus in adjutorium*, & continuatur uſque ad Montmartem, ubi celebratur Miſſa Stationis; & redeuntes proſequuntur Pſalterium uſque ad S. Lazarum, ubi fit altera Statio; ex hac Eccleſia ad alteram Stationem faciendam procedunt ad S. Laurentium, unde exeuntes incipiunt Litanias; alteram Stationem facturi procedunt ad S. Martinum; alteram deinde ad S. Medericum. In his omnibus Eccleſiis dicitur Antiphona, Verſiculus, & Oratio de Patrono ſeu Titulari.

Feria tertia incipitur per Stationem ante Imaginem B. Virginis, quæ exſtat ad portam Hoſpitalis ſuper parvum Pontem; inde ad alteram Stationem faciendam pergunt ad portam Eccleſiæ S. Benedicti, deinceps ad portam Eccleſiæ S. Stephani a Gradibus; inde ad Miſſam celebrandam procedunt ad Deiparam a Campis; & redeuntes procedunt ad Stationem ad portam Eccleſiæ S. Coſmi.

Feria quarta primum procedunt ad faciendam ſtationem ad portam Eccleſiæ S. Victoris; inde ad S. Marcellum, ubi ſtatio fit in Choro Eccleſiæ; deinde veniunt ad dicendam Miſſam ad S. Genovefam.

In Ordine Romano Canonici Benedicti, anno circiter 1240. exarato, legitur, quod Eccleſiæ Patriarchales cum ſuis Crucibus conveniebant in Eccleſiam Salvatoris, vel S. Joannis Lateranenſis; quod Pontifex cum Cardinalibus aliiſque Miniſtris Pontificalibus indutus ornamentis Reſponſorium cantat

& Collectam ; Archidiaconus dicit *Procedamus in pace*, & fit Proceſſio per partes Urbis ; identidem ſiſtitur, ut Pontifex quieſcat & aſſideat, unde invecta ſunt Sedilia, quæ in Feſto Corporis Chriſti adhibentur, & quæ ſubſiſtunt etiamnum Pariſiis in Rogationibus ad portam Eccleſiarum, ubi Cathedralis Eccleſia ſtationem facit, quando non intrat in Eccleſiam ; ibi quemadmodum Romæ, paratur locus, ubi conſiſtit Proceſſio, & Romæ paratur Pontifici ſella ad recliuandum. Interim cantatur Litania, & Pontifex dicit Collectam ſive Orationem. Litania iſta appellatur *Sepiſormis*, quia in ſeptem urbis regionibus ad eam canendam ſiſtitur.

S. Carolus Rogationes, quas in Eccleſia ſua reperit in uſu eſſe hebdomada poſt Aſcenſionem, & cum jejunio, confirmavit in ſuis Statutis ; eas inchoabat ante lucem per Benedictionem cinerum, & protrahebat uſque ad tertiam ſeu quartam horam pomeridianam, habebatque quotidie concionem, qua Populum hortabatur ad pœnitentiam, ibi Miſſam cantabat, ibi ſolo pane & aqua jejunabat, nec quemquam Eccleſiaſticum a tam ſancta cæremonia abeſſe patiebatur. Ita autem in Miſſali Mediolanenſi ſunt ordinatæ. Clerus & Populus poſteaquam convenerant in Eccleſiam Cathedralem, Archiepiſcopus ſive Pœnitentiarius, facta cinerum Benedictione, eas imponit capiti uniuſcujuſque, dicens *Memento quia cinis*, & reſpondetur *Memor ero*. Prima die fit Statio ad duodecim Eccleſias, & in ſingulis poſt Litanias & Orationes legitur Lectio unius Prophetæ cum Reſponſorio, & Diaconus legit Evangelium ; lectiones autem tam Prophetarum quam Evangeliſtarum in qualibet Eccleſia ſunt diverſæ. Secunda die proceditur ad novem Eccleſias, & tertia die ad ſeptem. Jejunium hiſce diebus Mediolani ſervatum eſt juxta primam inſtitutionem, & juxta Decretum primi Concilii Aurelianenſis ; jejunabatur etiam Romæ, cum Rogationes fuerunt receptæ. Amalarius, ut vidimus, jejunari ætate ſua conſueviſſe affirmat, quamvis eſſet tempus Paſchale. In Sacramentario S. Gregorii prima dies appellatur *Feria ſecunda in Litania majore*, tamquam ſi uno tantum die jejunandum fuiſſet ; itaque nonniſi Officium Feriæ ſecundæ jejunium ſentit. Legimus in multis Ordinariis, quod ii, qui ad Proceſſiones prodibant, intererant jejuni, nec comedebant, niſi poſt reditum, & ſemper tarde, quia Proceſſiones ſero terminabantur. Hujuſmodi jejunia ad abſtinentiam tantum redacta ſunt ; & Stephanus Poncherius, Pariſienſis Epiſcopus, in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus anni 1500. Canonem renovans primi Concilii Aurelianenſis, nonniſi abſtinentiam commendat.

In iſtis Rogationibus & Proceſſionibus cantabatur *Kyrie eleiſon*, ac propterea preces incipientes per *Kyrie* Litaniarum nomine ſunt appellatæ, ut videre eſt apud Gregorium Turonenſem l. 10. c. 1. de Litania loquentem, quæ Romæ a S. Gregorio Papa inſtituta fuerat : *Kyrie eleiſon per plateas Urbis cantabat* ; an etiam adderet invocationem Sanctorum, nihil dicit. In pervetuſto Rituali Romano legitur, quod in Litaniis *Kyrie* tantum diceretur, & centies repeteretur abſque ulla invocatione Sanctorum, *Dicunt centies Kyrie eleiſon, centies Chriſte eleiſon, item centies Kyrie eleiſon* ; & Valafridus Strabo *cap.* 28. ait, Litanias invocationem potius divinæ miſericordiæ, quam Sanctorum invocationem continere : *Notandum, Litanias dici non tantum recitationem nominum, quæ Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, ſed etiam cunctas quæ in ſupplicationibus fiunt Rogationes appellari*. Rabanus ad eam Litaniarum formulam videtur alludere, cum loco dicendi *Ora pro nobis*, dicebatur *Tu illum adjuva*. Uſus invocandi Sanctos in Proceſſionibus reperitur apud Victorem Vitenſem *Lib.* 3. ubi in calamitatibus publicis, & Vandalorum perſecutionibus invocabantur Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & reliqui omnes Sancti, ſicuti nos facimus, *Deprecamur, Patriarchæ orate, ſancti Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores noſtri, præcipue tu, beate Petre . . . tu, ſancte Paule . . . ingemiſcite Sancti ſimul pro nobis*. Lauduni in

in Proceſſionibus Rogationum dicitur potiſſimum *Miſerere*, *miſerere populo tuo quem redemiſti . . . . Suſcipe orationem noſtram . . . Exaudi de ſancto voces noſtras*, *Sancte Sanctorum Deus*, *miſerere nobis*.

Exſtat Proceſſionum noſtrarum repræſentatio in Vita S. Porphyrii, Gazæ Epiſcopi in Paleſtina, qui obiit anno 430. ubi dicitur, quod iſte Sanctus Populum ſuum in unam Eccleſiam convocatum progredi juberet ad alteram, Pſalmos cantantem; quem ſubſequebatur Librum geſtans Evangeliorum, comitante Clero & miniſtris, qui procedebant bini, quo ordine J. Chriſtus Diſcipulos ſuos proſequebatur; quod Populum Crux præcederet, & ad quemlibet Pſalmorum Verſiculum decantatum reſponderetur, *Veniſte exultemus Domino. Cum Hymnis, præcedente Cruce ad Eccleſiam cum Clero & Populo proceſſiſſe*. Beda in Vita S. Cuthberti, de Proceſſione Rogationum loquens, Reliquiarum meminit, quæ in Proceſſione deferebantur, quod in omnibus cernitur Ordinariis. Lanfranchus quoque Crucem memorat, Aquam benedictam, Librum Evangeliorum, & reliquias in Proceſſione delatas, quemadmodum etiam Udalricus.

Monachorum plerique baculos in proceſſione geſtabant, quia nudis pedibus incedebant, ſicuti Concilium præcipit Moguntinum ſupra relatum; poſtea vero, licet calceati procedant, baculorum, vel ſaltem virgarum uſum ſervavere, ut videre eſt Pariſiis in proceſſione S. Martini a Campis, favore ſenum & infirmorum. In quibuſdam Eccleſiis remanſit antiquus uſus, ut qui reliquias deferunt, nudis incedant pedibus. Vexillum quod geſtatur hodie, eſt quædam contracta ſpecies veteris rotundi tentorii, quod ante Proceſſiones deferebatur, ut a pluvia, ſi quando deflueret, Clerus protegeretur. Quinque etiamnum præcipuæ Eccleſiæ Collegiatæ ſuum quæque deferunt ante proceſſiones, duo vero Eccleſia S. Joannis Lateranenſis, tamquam Cathedralis, cujus proceſſionibus major adeſt perſonarum numerus, qui a ſuperveniente pluvia tutandus eſt.

Nulla Litaniarum aut Rogationum fit mentio in Ordinario Carthuſianorum, in quorum Breviario Officium hujus tridui eſt veluti Officium de Feria tempore Paſchali; quod fortaſſe ſtrictiorem obſervantiam & clauſuram profeſſi a proceſſionibus abſtinerent.

Proceſſionum ordo deſcribitur a Lanfrancho in ſuis Statutis, & ab Udalrico in Conſuetudinibus Cluniacenſium. Vexilla præcedebant, deinde ad tintinnabuli ſonitum alter Clericus geſtabat Aquam benedictam, alter Crucem; Subdiaconus indutus alba cum textu Evangeliorum, Juniores Clerici, & poſtea Clerus procedebant; Miſſa Stationis erat *Exaudivit*; in qua fiebat Commemoratio de Patrono Eccleſiæ Stationis; deferentes reliquias nudis incedebant pedibus; in reditu dicebatur *Sancte Sanctorum Deus*, *miſerere nobis*. Magnam diei partem proceſſiones iſtæ occupabant, ac ſaltem ſex horarum ſpatium, ut liquet ex Sermone S. Cæſarii Arelatenſis, qui de Rogationibus loquitur, *Qui in iſtis ſex horis de Conventu Eccleſiæ non ſubducit ſe, magnum remedium animæ ſuæ noſcitur providere*.

In pluribus Eccleſiis incipiebatur per benedictionem, & impoſitionem cinerum, ſicuti prima die Quadrageſimæ, ut videre eſt in antiquis Ordinariis Turonenſibus, Salisburgenſibus, Vienenſibus, & Silvanectenſibus; quod Mediolani adhuc in uſu eſt: in Ordinario vero Præmonſtratenſium incipitur per benedictionem & aſperſionem Aquæ benedictæ.

Præter Concilium Moguntinum, quod nudis pedibus adeſſe præcipit proceſſionibus, idipſum de Carolo Magno Imperatore refert Monachus Sangallenſis; & Theodorus Lector apud Surium 19. Nov. inquit, Imperatorem quoque Marcianum proceſſioni nudis pedibus interfuiſſe; idipſum legitur de S. Eliſabeth Hungariæ Regina in ejus Vita. Lanfranchus in Statutis, *Sect.* 5. de baculis loquitur, quos in proceſſionibus ad ſe ſuſtentandos geſtabant: *Tribuant fratribus baculos præparatos ad ſe ſuſtentandos*.

Græci neque Litanias habent, neque

Digitized by Google

proceſſiones, neque jejunia a Paſchate ad Pentecoſten.

Romæ antehac habebatur Officium proprium pro qualibet die Rogationum, & reperitur adhuc in Collectario ſeu Orationum Collectione Thomaſii pag. 19. ubi eædem cernuntur Collectæ ſeu Congregationes, eædemque Stationes, ac apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & Orationes, quæ ad Collectam & ad Stationem qualibet die dicebantur, liquet eſſe diverſas, unde conjectare etiam licet, diverſas quoque fuiſſe Epiſtolas & Evangelia. In Vigilia Aſcenſionis Miſſa differt a Miſſa Stationis; de uſu autem non faciendi Officium de Rogationibus, niſi Feria ſecunda, repetendi Officium de Dominica Feria tertia, & faciendi Officium de Vigilia Aſcenſionis Feria quarta tantum, videndus eſt *Comes Hieronymi*.

Stationis Miſſa, qualis a nobis dicitur, refertur ab Amalario; Officium Vigiliæ Aſcenſionis antiquius eſt Romę, quam Officium Rogationum, ſignaturque cum novem Lectionibus in Ordine Hitorpii; ſed videtur advertere, quod erat Officium idem noctis & Feſti Aſcenſionis, non vero diei præcedentis; eſtque magis veriſimile, quod ea die repeteretur, quemadmodum Feria quarta repetitur Officium Dominicæ, & quod Pius V. inſeri juſſerit Homiliam cum Evangelio; verum totum Officium nihil exprimit abſtinentiæ, & vigiliæ nihil, eſtque Feriæ ſimilę Paſchalis temporis. De hac vigilia loquitur *Comes Hieronymi*, atque etiam Micrologus *cap.* 40. Uſus eſt, quod ſi occurreret Feſtum novem Lectionum, tres Miſſæ dicerentur; prima de Feſto, poſt Tertiam; ſecunda de Vigilia, poſt Sextam; & tertia de Rogationibus, poſt Nonam. Ex Micrologo *cap.* 55. liquet, quod in quibuſdam locis Vigilia iſta jejunaretur.

CAPVT LXXV.

De Officio diei Aſcenſionis.

INter Feſta ab Apoſtolis inſtituta ſemper Aſcenſio numerata eſt, ut affirmat S. Auguſtinus Ep. 118. qui ubique terrarum celebrari Aſcenſionem ait: *Sicut quod Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio & adventus de Cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur, quod ſervatur ab univerſa quocumque ſe diffundit Eccleſia.* De hoc Feſto Conſtitutiones Apoſtolicæ inquiunt l. 8. c. 3. *Die Aſſumtionis vacent.* Exſtat apud S. Joannem Chryſoſtomum Sermo, quem in die hujus Feſti habuit in Urbe Antiochia. Quandoque hoc Feſtum appellabatur *Quadrageſima*; ut ſcilicet ſignificaretur, celebrari illud quadraginta poſt Paſcha diebus; quem diem Feriam quintam fuiſſe liquet, cum dies Reſurrectionis occurreret in Dominica, licet S. Jo: Chryſoſtomus hom. 3. in Act. affirmare videatur, J. Chriſtum die Sabbati in Cœlum aſcendiſſe; quod, quo nitatur fundamento, dici non poteſt. A S. Gregorio Nyſſeno in Ser. 3. de Reſurr. ubi de hoc Feſto agit, appellatur *Epiſomene*, hoc eſt dies ſalutis. Inter ar. Homilias, quas S. Jo: Chryſoſtomus prædicavit Antiochiæ anno 388. una inſcribitur: Pro Dominica de *Epiſomene*: eratque vel pro Dominica Aſcenſionem præcedente, vel pro ipſo Aſcenſionis die.

Ex Ordine Romano Canonici Benedicti liquet, Feſtum hoc non ſecus ac ſolemniora anni Feſta celebrari conſuevisſe: Pontifex cum Cardinalibus & Epiſcopis primis præerat Veſperis; ſurgebatur media nocte pro Officio nocturno; ad quemlibet Nocturnum incenſabantur Altaria; tres primæ Lectiones erant Actuum Apoſtolorum, quinque ſequentes e Sermone alicujus Patris de Feſto, & nona Lectio de Homilia in Evangelium: Feſtum hoc habebat pluſquam octavam, durabat enim decem dies uſque ad Pentecoſten, & ſingulis diebus ad

ad Nocturnum dicebantur tres Pſalmi, tres Lectiones, & tria Reſponſoria; fuiſſe videtur Officium parvum nocturnum, Officio de Feria adjunctum, ut Officium ſeu Commemoratio de Aſcenſione fieret per decem hos dies; quod eo magis videtur verisimile, quia ante Pium V. dies Octavæ erat tantum ſemiduplex, & dies omnes infra Octavam non habebant Officium de Feſto, cujus Commemoratio tantum cernitur, & parvum Officium trium Lectionum.

Pius V. præcepit extingui Cereum Paſchalem ad Evangelium hujus diei. Amalarius de ord. Antiph. c. 56. Officium Feſti hujus deſcribens, idem eſſe ait, ac Officium, quod nos dicimus, quoad antiphonas, Pſalmos, & Lectiones. Feſti hujus Octava in nullo pervetuſto Libro reperitur; de eo agit Radulphus Tungrenſis Prop. 19. & in omnibus Romanis Ordinibus Dominica ſubſequens inſcribitur *Dominica poſt Aſcenſionem*, non vero *Infra Octavam*. Feſtum hoc appellatur *Aſcenſa Domini* in Sacramentario S. Gregorii; S. Paulinus Natal. 9. S. Fel. in majorum Feſtorum numerum Aſcenſionem non refert, ſed ſolummodo Natalis diem, Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes. De Aſcenſione extat Sermo S. Aviti Vienenſis, & Hymnus Ennodii. Hymnus *Jeſu noſtra redemptio* eſt S. Bernardi.

Hujus diei Officium fere ſemper ubique idem, fuit ac hodie eſt; Alcuinus lib. 1. in Libris adverſus Elipandum, collectam citat, quæ a nobis dicitur, *Concede ut qui unigenitum ad Cœlos aſcendiſſe . . . .* In *Aſcenſione Domini*. In Epiſtola a Cuthberto Angliæ Monacho ſcripta de morte Bedæ, legitur, eum obiiſſe recitando Antiphonam *O Rex gloriæ*, quæ eſt ad Veſperas. *Cantabat Antiphonas ſecundum noſtram conſuetudinem, & ſui, quarum una eſt, O Rex gloriæ . . . . & cum veniſſet ad illa verba, nos orphanos, emiſit ſpiritum*. In Miſſali Gothico prima Epiſtola Miſſæ ab Actibus deſumta eſt: *Primum quidem Sermonem*: ſecunda ab Epiſtola ad Epheſios c. 4. v. 1. *Obſecro vinctus in Domino*. Evangelium e pluribus locis conflatum eſt S. Joannis 13. v. 33. uſque ad 35. 14. v. 1. uſque ad 14. & S. Lucæ 24. v. 47. uſque ad 52. & terminatur per illa verba, *Laudantes, & benedicentes Deum*. In Miſſali Mozarabico prima Lectio eſt Apocalypſis c. 4. *Ego Joannes fui in ſpiritu, & vidi*; ſecunda Actuum, *Primum quidem Sermonem*; Evangelium S. Joannis c. 16. *Vado ad eum qui miſit me*.

Gregorius Turonenſis l. 5. hiſt. c. 11. de S. Avito Iaquens Arvernæ Epiſcopo, mentionem facit Proceſſionis, quæ hoc die fit in honorem triumphi J. C. qui de terra ad cœlum aſcendit, *Die autem beato quo Dominus ad Cœlos* poſt redemptum hominem aſcendit gloriosus, *cum Sacerdos de Eccleſia ad Baſilicam pſallendo procederet*. Honorius Auguſtodunenſis lib. 3. Lanfranchus ſect. 1. Rupertus lib. 10. de ſolemni hodierna Proceſſione loquentes, repræſentari per eam aſſerunt Jeſu Chriſti reditum ad Patrem, & Clerum cum Sanctorum Reliquiis, tamquam comitem triumphi, præcedere.

In nonnullis Ordinariis magna cum ſolemnitate dicitur Nona, qua ea hora creditur Chriſtus in cœlum aſcendiſſe; Celebrans adeſt cappa indutus; incenſum adhibetur, & cantatur Proſa, ad Chriſti triumphum celebrandum, & dicitur collecta *Da, quæſumus, tuorum membra fidelium ſubſequi, quo caput principiumque præceſſit*.

Cum nonnulli Paſchale tempus terminari in Aſcenſione contenderent, Concilium Eliberitanum can. 2. præcepit, ut non modo quadraginta dies, ſed quinquaginta perduraret, *Non quadrageſimam, niſi quinquageſimam*.

Dominica infra Octavam fiebat antehac Officium totum de Dominica, & nihil de Aſcenſione; poſtquam vero Feſto huic Octava ſolemnis aſſignata eſt, fit Officium de Aſcenſione uſque ad Lectiones tertii Nocturni, unde incipit Officium de Dominica; Laudes uſque ad Capitulum ſunt de Feſto, quemadmodum Hymnus, reliqua de Dominica, cum commemoratione Octavæ, quod ſervatur etiam in Veſperis. Eſt duplex Officium in unum redactum, quod partim de Octava eſt, partim de Dominica. Romæ Dominica iſta appellabatur *Dominica Roſarum*, quia ea die incipiebant

Roſæ

Roſæ floreſcere, & per Eccleſiam ubi ſtatio erat, ſpargebantur.

Dies Octavæ, quæ ante Pium V. erat tantum ſemiduplex, carebat Officio proprio, quapropter repetebatur Officium de Feſto; deinceps vero tribus Nocturnis lectiones propriæ ſunt aſſignatæ. Feria ſexta, & Sabbato fit continuatio de Octava Aſcenſionis, tamquam ſi Feſtum hoc decem dies duraret. Durandus l. 6. c. 105. advertit, ævo ſuo Officium de Feria tantum fieri conſueviſſe, & in quibuſdam Eccleſiis omitti *Te Deum*, tamquam ſi eſſent hujuſmodi dies extra tempus Paſchale. Extant Eccleſiæ, in quibus dicitur tantum Officium de Feria cum Oratione Dominicæ, ſed non omittitur *Te Deum* ad Matutinum, propter tempus Paſchale. Amalarius Antiph. c. 54. loquitur de commemoratione, ſeu Officio Aſcenſionis per decem dies.

CAPVT LXXVI.

De Vigilia Pentecoſtes.

PEntecoſten cum Paſchate ſi quis comparet, horum Feſtorum inveniet non diſſimilem fuiſſe Vigiliam; jejunabatur enim Sabbato, vigilabatur, & orabatur tota nocte in Eccleſia. Audi S. Ambroſium ita loquentem in Pſ. 109. *Pentecoſtes diem non minore lætitia celebramus, quam Sanctum Paſcha . . . . Tunc enim, ſicut modo jejunavimus Sabbato, vigilias celebravimus, & lætitia plane ſimili; nunc enim ab Inferis reſurgentem ſuſcepimus Salvatorem, modo autem Spiritum Sanctum expectamus e Cœlis.* Hic locus citatus eſt a Gratiano *Diſt. 76. c. 9.*

Licet obtinuerit conſuetudo vim legis obtinens per quinquaginta dies non jejunandi, in Vigilia tamen Pentecoſtes ubique fere jejunari cernimus. Eſſetne jejunium liberum, vel ex devotione inſtitutum, an eſſet tantum pro Cathecumenis, & pro iis qui nocte baptizandi erant, non tam facile judicari poteſt. Inquit Glaber l. 3. c. 3. quod anno circiter 1000. habita ſunt Concilia in Gallia, & in Italia, in quibus libera jejunandi, vel non jejunandi facultas data eſt ab Aſcenſione uſque ad Pentecoſten, excepta hujus Feſti vigilia, in qua jejunium præſcribebatur, *Excepto Sabbato Pentecoſtes*; quo ſolvendi jejunium non erat eadem facultas. Ordo Romanus non ſecus, ac S. Ambroſius, ait, quod jejunatur ſicut in Paſchate, & fit Officium, ſicut in Sabbato Sancto: *Sabbato in Vigiliis Pentecoſtes omnes jejunium faciunt, & omne Divinum Officium vel Ordinem, tam Lectiones, quam Baptiſmum ſicut in Sabbato Sancto Vigiliarum Paſchæ.* In Miſſali Gothico nulla extat Miſſa propria de die 2. erat fortaſſe ſicut in Paſchate. Exſtat autem in Miſſali Mozarabico, & Officium incipit ad Nonam, ut in diebus jejunii. Capitularia Caroli Magni jejunium hac die præſcribunt l. 6. c. 188. *Ut admoniens Presbyteri eodem modo adveſperaſcente Sabbato Sanctum Paſcha celebretur, & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ut Sabbato Paſchæ, & jejunium, & Miſſam, & Baptiſmum.* S. Bonifacius Moguntinus idipſum præcipit in ſuis ſtatutis ſtat. 34. *Ut Sabbato Pentecoſtes ſicut Sabbato S. Paſchæ omnes jejunent, & ad Eccleſiam hora nona conveniant.* Bochelius in compilatione conſtitutionum Synodalium Epiſcoporum Galliæ p. 606. Vigiliam Pentecoſtes tamquam diem jejunii deſignat: præſcribiturque jejunium etiam in concilio Oxonienſi an. 1222. attamen in quibuſdam Galliæ Eccleſiis, veluti in Carnutenſi, iſta die non jejunatur. Liquet ex Tertulliano de coron. Milit. c. 3. S. Hieronymo ep. ad Lucin. S. Auguſtino ep. ad Caſul. & S. Leone ſerm. 1. de jejun. Pentec. quod antiquitus non jejunaretur per integros quinquaginta dies; ſed poſtquam in Gallia mos invaluit jejunandi in Rogationibus, iſtius quoque Vigiliæ jejunio ſenſim aſſuevere. Hittorpius in ſuo Ordine Romano ait, quod hujuſmodi jejunium per totum orbem ſervaretur, quod certe ab XI. ſæculo factum eſt. Vide Micrologum c. 55. & Durandum l. 6. c. 106. In Gallia perpaucæ tantum Eccleſiæ antiquum ſervavere morem non jejunandi hac die, quod

Digitized by Google

quod pertineat illa ad tempus Paſchale; qua de cauſa nec Græci jejunant in hac Vigilia.

Officium eſt tamquam continuatio Octavæ Aſcenſionis; in Lectionibus ſecundi Nocturni cernimus omnes Baptiſmi cæremonias a S. Auguſtino deſcriptas: admittebantur Catechumeni in Eccleſiam, & ſigno crucis ſignabantur: eratque totum catechumenatus tempus tamquam tempus eorum conceptionis ſpiritualis in ſinu matris Eccleſiæ, quæ per illud tempus illos præparabat ad divinam Baptiſmi regenerationem: deſcribit eorum exercitia, frequentes Exorciſmos, Preces, Cantica, Inſufflationes, cilicium, proſtrationes corporis, & pedum nuditatem; quod Symbolum acciperent, & Symboli ſententiis imbuerentur; quod renuntiare juberentur Diabolo, & pompis ejus, & quod renuntiare pompis Diaboli nihil aliud eſſet, quam ſpectaculis, & profanis illecebris renuntiare. Totum Officium habetur potius tamquam feria ultima iſtius hebdomadæ, quam veluti præparatio quædam ad Pentecoſten. Homilia in Evangelium Miſſæ dicitur ſolummodo poſt Pium V. Habebatur etiam antehac Miſſa propria, a Miſſa noctis diverſa; Evangelium erat de panis multiplicatione; Miſſa erat de pœnitentia, & jejunio, quæ tamquam propria de Vigilia Pentecoſtes, & tamquam conſummatio temporis Paſchalis habebatur; & in Sacramentario, quod Gelaſio tribuitur, ad ſecundam Miſſam pro Vigilia Pentecoſtes exprimitur jejunium, quod hac die ſervabatur, ut ſe quiſque ad Feſtum craſtinum præpararet: *Da nobis . . . . novam ſui Paracleti ſpiritalis diſciplinam, ut mentes noſtræ ſacro purificatæ jejunio, cunctis reddantur eius muneribus aptiores.*

Quoad Officium Veſpertinum, inquit Amalarius l. 4. c. 28. quod ad horam Nonam inchoabatur, ad imitationem Cornelii, qui precabatur hora Nona, ut ſe ad accipiendum Spiritum Sanctum præpararet: *Orans erat hora Nona* Act. 8. Hoc Officium Officio Vigiliæ Paſchatis erat omnino ſimile, excepta cerei benedictione, quæ hic omittebatur. Quoad Lectiones, in quibuſdam Ordinibus Romanis duodecimi ſæculi leguntur ſex Lectiones, quæ Græce, & Latine dicebantur, & duodenarium complebant numerum; apud Pſeudo-Alcuinum, alioſque vetuſtiores, qualis eſt *Comes Hieronymi*, & in Sacramentariis Gelaſii, & S. Gregorii quatuor tantum reperiuntur; neque vero duodecim dicebantur niſi in diebus Ordinationis, quod numquam factum eſt in Vigilia Pentecoſtes. In Collectario Thomaſii inchoatur Officium per Litaniam ſeptenariam, quæ ſepties recitabatur, deinde ſequitur prima Lectio *in principio*; ſecunda *Tentavit Deus Abraham*; quæ duæ Lectiones ſunt Geneſis; tertia eſt Exodi, *Factum eſt*, cum cantico *Cantemus Domino*; quarta eſt Deuteronomii, *Scripſit Moyſes Canticum hoc*, cum cantico *Attende Cœlum*; quinta eſt Iſaiæ, *Apprehendent ſeptem mulieres*, cum cantico *Vinea facta eſt*; ſexta Jeremiæ, *Audi Iſrael mandata*; poſtea *Sicut cervus deſiderat ad fontes*, & ſtatim Litaniæ, quæ repetuntur quinquies, Benedictio Pontium, Baptiſmus competentium, & Confirmatio, quam accipiebant ab Epiſcopo, deinde Litania, quæ ter repetitur, poſtea Miſſa, & Neophytorum Communio; omnibus his Lectionibus interjectæ ſunt collectæ, Orationes, Tractus, & cantica, ut in Vigilia Paſchatis; Miſſa inchoatur ſine Introitu, quia totum ſimul conjunctum eſt; Miſſæ privatæ non carent Introitu, quia cum ſint ſeparatæ ab Officio, non eamdem habent cauſam omittendi Introitum, qui privatis Miſſis a Pio V. aſſignatus eſt; non dicitur *Flectamus genua* ad Orationes Prophetiarum, quemadmodum dicitur Sabbato S. ratione temporis Paſchalis.

Amalarii ævo quatuor tantum dicebantur Lectiones, *In principio. Tentavit Deus*, qua finita dicebatur *Deus qui in ſinu Abrahæ*; tertia Lectio *Attende Cœlum*, & canticum Moyſis *Attendite*, & deinde quarta, *Sicut cervus*. In Ordinario Carthuſianorum, & Grandimontenſium inchoatur Officium per *Confitor* ad pedes Altaris, antequam legantur Lectiones; quæ Miſſæ ſunt inter-

terſertæ, ut in Sabbatis Quatuor Temporum. In Sacramentario S. Gregorii, ad Miſſam ſignatur Præfatio diverſa a Præfatione dici; ad *Communicantes* legitur *Diem Sacratiſſimum Pentecoſtes prævenientes*; in quibuſdam Manuſcriptis legitur *celebrantes*, quia Miſſa iſta non dicebatur in Vigilia, ut a nobis fit, ſed nocte ipſa Pentecoſtes; atque etiam in Benedictione ſolemni, quæ eſt ante *Agnus Dei*, legitur *Benedicat vos omnipotens Deus ob cujus Paracleti Spiritus adventum mentes veſtras jejunii obſervantia præparatis, & præſentem diem ſolemnibus laudibus honoratis. Amen.* Ibi de Solemnitate hujus diei ſermo eſt, & jejunium etiam, quod eam præcedebat, deſignatur.

Omni tempore in Pentecoſte baptizatum eſt, teſte Tertulliano lib. de Bapt. *Diem Baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, exinde Pentecoſtes*: quod a S. Leone etiam affirmatur Ep. 4. & 8. Fortunatus l. 5. Car. 4. Baptiſmum refert, quem S. Avitus Epiſcopus Claromontanus, Judæis hac die adminiſtravit: *Ecce dies advenit, quo Spiritus clarus ab alto miſſus . . . . Abluitur Judæus odor Baptiſmate divo; & nova progenies reddita fertur aquis*: & S. Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium adverſus Joannem Jeroſolymitanum inquit: *Nos ſcindimus Eccleſiam, qui ante paucos menſes circa dies Pentecoſtes quadraginta diverſæ ætatis, & ſexus, Presbyteris tuis obtulimus baptizandos*. Conſtantinus in Pentecoſte baptizatus fuit, teſte Euſebio in ejus vita l. 4. c. 6. & in Gallia Childebertus Sigiberti filius, *Baptiſmum in die Pentecoſtes accepit*, inquit Gregorius Turonenſis.

CAPVT LXXVII.

De Officio diei Pentecoſtes.

Officium Pentecoſtes Officio Paſchatis ſimile eſt; Deus enim duo hæc Feſta præcepit populo ſuo, tamquam ſignativa Paſchatis, & Pentecoſtes Chriſtianorum, quorum primi ad Judæorum normam dirigebant duplicis hujus Feſti celebrationem; in utroque enim objectum tantummodo immutatum eſt. Advertit S. Auguſtinus l. 10. de civit. tempore ſuo fere omnium fuiſſe conſenſum, quod Spiritus S. in die Dominica deſcendiſſet; itaque quinquaginta dies ſupputandi ſunt non a die, quo Chriſtus mortuus eſt, ſed a die quo reſurrexit, & non a Feria ſexta, ut videtur S. Lucas innuere, dicens, fuiſſe hoc tamquam complementum ſeptem hebdomadarum poſt Paſcha, ſeu tempus Pentecoſtes, *Cum complerentur dies Pentecoſtes*, ſive ut appellant alii, quinquageſimum poſt Paſcha diem; nonnulli ſibi perſuadentes, Spiritus S. deſcenſum in diem Pentecoſtes Judæorum, nempe in Feriam ſextam incidiſſe, diem illum appellare malunt Dominicam octavam poſt Paſcha; vel etiam dicunt, quinquaginta dies non incipere niſi ſecundo die Azymorum, quo ſerebatur hordeum, & grana offerenda in quinquageſimum diem ſubſequentem; quapropter quo anno mortuus eſt Chriſtus, cum dies ſecundus Azymorum incideret in Sabbatum, quo nec laborare, nec ſeterre licebat, & transferendus eſſet in craſtinum, qui dies erat Jeſu Chriſti reſurrectionis, ſupputatis ſeptem hebdomadis a die tertio Azymorum, quinquageſimus dies incidebat in craſtinum Sabbatum proximum; itaque Spiritus Sanctus deſcendit in die Dominico.

Adeo ſolemnis Apoſtolis fuerat Spiritus S. deſcenſus, ut ſolemne etiam Feſtum voluerint inſtituere; erat hoc Eccleſiæ primordium, nativitas, fundatio, & dedicatio; quamvis autem conſtet, cæremoniis tantum ſecreta Myſteria concomitantibus, & conſuetis laudum canticis Feſtum hoc ab Apoſtolis fuiſſe celebratum, S. Lucas Act. 20. memorat S. Paulum feſtinantem, ut diei Pentecoſtes intereſſet Jeroſolymæ, quod non de Chriſtianorum, ſed de Judæorum Pentecoſte intelligendum eſt, ut ſcilicet Apoſtolus occaſione multitudinis, quæ Jeroſolymam ad hoc Feſtum confluebat, nonnullos poſſet ad Chriſtum convertere. Omni tamen tempore

Digitized by Google

re reperitur Feſtum hoc Jeroſolymis celebratum: & S. Cyrillus Jeroſolymitanus Cath. 6. memorat etiam Eccleſiam in eodem loco extructam, ubi Spiritus S. ſuper Apoſtolos deſcenderat, quæ ſuo quoque ævo ſubſiſtebat, & S. Epiphanius de Ponder. c. 14. ab hac Eccleſia ait, Romanos abſtinuiſſe, cum eam urbem ſub Tito depopulati ſunt. Pentecoſtem Feſtorum omnium maximum appellare non dubitavit Euſebius de vita Conſtant. l. 4. c. 64. *Dit quam ſi quis omnium Feſtivitatem maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit*; eſt enim conſummatio Myſteriorum omnium noſtræ Religionis, & ad Spiritum Sanctum nobis dandum omnia concurrunt; proinde Pentecoſtes a Conciliis Feſto Paſchatis aſſimilatur: *Pentecoſtes ſimiliter, ut in Paſcha*. Officium eodem modo diſpoſitum eſt. Propter novos Baptizatos putavit Amalarius, unum tantum Nocturnum cum tribus pſalmis dici ſolere hac die, & per totam hebdomadam: *Propter Baptiſmatis Sacramenta, numero trium Pſalmorum complemus Noſturnalia Officia per octo dies hebdomadis Pentecoſtes*; eſtque inſtar nocturni Officii, cui tres tantum inſunt pſalmi ad Veſperas, & Completorium in pluribus Eccleſiis.

In antiqua diſtributione pſalmorum, quæ Romæ vigebat, prout a Thomaſio pag. 30. exhibetur, legitur, quod juxta veterem Romæ uſum, *juxta antiquiorem ritum*, dicebatur nocte Officium Dominicæ, *ad vigilias ut in ceteris Dominicis*; ſed juxta ritum recentiorem, *juxta poſteriorem*, non multo poſt tempore, dicebantur iſta nocte duo Officia; primum ſine Invitatorio cum Pſalmis *Magnus Dominus. Exſurgat Deus. Domine quid. Benedic anima mea*; & in ſecundo Officio dicebatur Invitatorium *Venite*, & unum tantum Nocturnum cum tribus primis pſalmis *Beatus vir. Quare fremuerunt. Domine quid*; ad Laudes, & ad Veſperas dicebatur, *Ut in ceteris Dominicis*. Nullo alio myſterio breviabatur nocturnum Officium, niſi propter temporis brevitatem, quod remanebat ex noctis vigilia, quæ in baptizandis Catechumenis inſumebatur, neque incongruum viſum eſt hanc Officii abbreviationem per totam hebdomadam continuare, non modo in honorem Feſti, cujus hebdomada continuatio erat ſolemnitatis, & quilibet dies feſtus erat, habebaturque tamquam dies Dominicus; verum etiam ne fatigarentur novi Baptizati, qui per totam hebdomadam Officiis intererant. Inquit Amalarius in prolog. de ordin. Antiph. ætate ſua in Feſto Pentecoſtes novem Lectiones dici conſueviſſe.

S. Ambroſio adſcribitur Hymnus *Veni Creator*, atque etiam Hymnus Matutini, & Laudum. In vita S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis apud Bolland. 24. April. legitur, ab eo juſſum fuiſſe cantari ad Tertiam Hymnum *Veni Creator*. Antiphonæ ad Matutinum ab ipſis pſalmis, qui dicuntur, deſumtæ ſunt, excepta prima; Reſponſoria ſunt de Scriptura; ſicut etiam Antiphonæ ad Laudes.

Amalarius l. 4. c. 27. de Ordin. Antiph. tres Antiphonas ad Matutinum refert, *Factus eſt repente. Confirma hoc. Emiſſe Spiritum*; verum in ſuo Antiphonario ait, quod diceretur ſolummodo in Eccleſia Mediomatricenſi, Romæ vero Pſalmi de Dominica conſueti; quod ſæpius ab eo repetitum legimus. Secundum Reſponſorium Feriæ ſecundæ ſententiam continet prædicabilem, *Ignis divinus, non comburens*.

Ad Miſſam animadverſione digna videtur Proſa *Veni Sancte Spiritus*, quæ Romæ noviter introducta eſt, licet antiquiſſima ſit quatuor Proſarum, quæ noviſſimis temporibus conſervatæ ſunt, nempe *Victimæ* in Paſchate, *Lauda Sion* in Feſto Corporis Chriſti, & *Dies iræ* in officio Defunctorum. A pleriſque *Veni Sancte* adſcribitur Roberto Galliæ Regi, qui undecimo regnabat ſæculo; ab aliis Hermanno Contracto, Germaniæ Monacho, qui obiit an. 1054. ſed non ſatis valido nituntur fundamento. Proſa iſta veroſimilius creditur ab Innocentio III. compoſita, ab eodemque juſſa Miſſali interſeri, cum in ejus operibus reperiatur. Quoad Hymnum *Veni Creator*, non videtur ille quidem S. Ambroſii ſtylum

præferre, cujus Poesis videtur durior, & affectibus non adeo referta.

CAPVT LXXIX.

De Officio Hebdomadæ Pentecostes.

PEntecostes ab initio terminabat tempus Paschale, cujus terminus erat quinquagesimus dies; postea vero occasione novorum Baptizatorum, qui ad Officium per totam hebdomadam ducebantur, ut fiebat in Paschate, Festo Pentecostes Octava assignata est, ut videre est apud Amalarium l. 4. c. 29. *De Octavis Pentecostes*, qui id factum esse ait in honorem septem donorum Spiritus S. Concilium Moguntinum an. 813. *can.* 36. vetat ista hebdomada genua flectere, & jejunare; idque propter Octavæ solemnitatem: *Ut in hebdomada Pentecostes genua non flectantur, & non jejunetur.* Græci carent hac Octava, & tota solemnitas quinquagesimo die clauditur, quod in Occidente servatum fuit usque ad Bedæ ævum, annum scilicet 720. qui primus omnium de Octava Pentecostes egit, & tunc Paschale tempus sex dies ultra veterem terminum prorogatum est. S. Leo in primo Sermone de Pentecoste, de jejunio loquitur Quatuor Temporum, quod Pentecostem subsequebatur; elapso Paschali tempore repetebatur jejunium, nec amplius festivum tempus, & solemne habebatur. S. Isidorus Hispalensis Offic. l. 1. c. 63. jejunari ait post Pentecostem, ut verbum Christi adimpleatur, qui jejunandum esse prædixit post reditum Sponsi in sinum Patris. Concilium Gerundense an 517. trium dierum tantum abstinentiam commendat in hac hebdomada, nempe Feria quinta, & duabus sequentibus: *Ut expleta solemnitate Pentecostes, in sequenti septimana, a quinta feria in Sabbatum per hoc triduum abstinentia celebretur.* Concilium Salegunstadiense an 1022. Quatuor Tempora mensis Junii hebdomadæ Pentecostes assignavit; atque ut solemnitatem hujus Octavæ una cum jejunio servaret, genua flectere in ea vetuit, Dalmaticis uti statuit in Missa; & *Alleluia* cantari in officio: *In ipsa hebdomada solemnis Pentecostes, & tunc propter solemnitatem Spiritus Sancti Diaconi Dalmaticis induantur, & alleluia cantetur, & flectamus genua non dicatur:* quod servatur etiam ad hanc diem. Micrologus cap. 7. a Gregorio VII. addictatuisse affirmat hebdomadæ Pentecostes Quatuor Tempora mensis Junii; & istud jejunium tunc temporis appellatum fuit jejunium solemnitatis, & lætitiæ, propterea quod officium festivum esset, neque dicitur *Flectamus genua*, sed continuatur *Alleluia*, quemadmodum tempore Paschali.

Postquam Festo Pentecostes integra hebdomada assignata est, disputatum fuit, utrum illi octavus quoque dies assignandus esset, qui primi diei solemnitati responderet; & juxta ritum nostrum non est assignatus; Officium enim diei, & temporis Paschalis terminatur Sabbato ad Nonam, *Post Nonam terminatur tempus Paschale*; quare sicut officium Paschatis terminatur ad Nonam Sabbati, atque etiam sicut octava originem ducit a consuetudine Judæorum, qui celebrabant Pascha, Dedicationem, aliasque Solemnitates per septem tantum dies, ita iis expletis, alterum officium substituebatur; deinceps vero Festis, quæ octavis non carent, octavus dies substitutus est: sed Pascha, & Pentecostes in antiqua septem dierum consuetudine remanserunt, neque fit officium Paschatis Dominica subsequenti: tunc enim incipit tempus Paschale; quemadmodum neque Dominica post Pentecosten fit commemoratio de Spiritu S. quia hoc Mysterium tunc habetur tamquam completum; quod quidem statuitur in Decretalibus extra de officiis, ubi extat Decretum Cœlestini III. affirmantis, Pentecostem esse sine octava, *Quod caret Octavis*. S. Dunstanus in Concordia, non secus ac Amalarius, ait, Pentecostem durare septem dies, in honorem septem donorum Spiritus S. & carere octava; verumtamen in quibusdam Auctoribus quædam reperiuntur

octa-

octavæ vestigia; Benedictus XII. in Dominica maluit officium de octava Pentecostes celebrari, quam de Trinitate; Lanfranchus in statutis præscribit Missam saltem de Spiritu Sancto dici, quæ est illa de Pentecoste, *Spiritus*... Radulphus Tungrensis c. 60. qui circa finem vixit decimi quarti sæculi, testatur, quod paulo ante ætatem suam Romæ non celebrabatur octava Pentecostes, neque Festum Trinitatis; quod legebatur hac Dominica Liber Regum; verum in Germania, quod in nonnullis Ecclesiis octava Pentecostes celebraretur.

Capitularia Herardi Turonensis l. 2. c. 35. & alia Aquisgranensi Concilio an. 816. cohærentia totam hebdomadam festivam esse decernunt; verum continuatio ista festorum sub initium 9. sæculi instituta, post dimidium decimi contracta fuit, & tunc Quatuor Tempora substituta: unde apparuit differentia inter Pascha tis Festum, & Pentecostes; Festum enim Paschatis, quemadmodum apud Judæos tota perdurabat hebdomada, & Festum Pentecostes, quod primitiarum, frugum, & messis festum est, terminabatur illo ipso die; Scriptura enim Exod 23. Levit. 23. Deut. 16. integram concedit hebdomadam solummodo festo Paschatis, & Tabernaculorum, festa vero Pentecostes, & Tubarum uno die terminabantur; ac propterea Pentecostes tandiu in Ecclesia carnerat octava, & quamvis baptizaretur, ut in Paschate, longe minor erat Baptizatorum numerus; & in Concilio Ingelheimensi an. 948. Paschatis hebdomada integra festiva relicta est, & hebdomada Pentecostes ad tres priores dies redacta, nempe feriam secundam, tertiam, & quartam; quartam autem Gregorius IX. an. 1227. Romæ sustulit *Decret. c. conquestus de Feriis*. In Gallia feria quarta festive celebrata est usque ad an. 1524. per statuta Stephani Poncheri Episcopi Parisiensis, & in aliis Diœcesibus, in quibus festivitas de præcepto erat.

Igitur quo tempore Gregorius VIII. Quatuor Tempora mensis Junii assignavit hebdomadæ Pentecostes, tunc Pentecostes Romæ habebat octavam. Urbanus II. Decretum renovavit Gregorii VII. an. 1097. in Concilio Claromontano; quod deinceps communiter observatum est. Liquet ex Dialogis Egberti, Archiepiscopi Eboracensis an. 747. quod Quatuor Tempora huic hebdomadæ assignata fuerant a S. Gregorio, ut in Antiphonario per Augustinum Angliæ Apostolum delignabatur: *Hoc autem ieiunium B. Gregorius per præfatum (Augustinum) in Antiphonario suo, & Missali in prima hebdomada post Pentecosten celebrandum destinavit*.

Postquam festo Pentecostes festiva hebdomada assignata est, & Quatuor Tempora adjecta, tunc duo Officia conjungi necesse fuit, nempe Officium de octava, & Officium de jejunio; quod præbuit occasionem istius hebdomadæ Evangelia, quæ Pentecostes solemnitati parum videntur convenire; quando enim huic festo assignari octava cœpta est, tunc singulis hebdomadæ diebus Officium repetebatur, sicut in die; fuit hic primus octavarum fcopus, ut scilicet unius festi solemnitas continuaretur, & per integram repeteretur hebdomadam, per ejusdem Officii, ejusdemque ritus repetitionem; remansit ritus duobus primis diebus post Pascha, & post Pentecostem, qui sunt primæ classis, ut dies ipse festi, atque idem Officium in omnibus partibus remansit feriæ quintæ infra hebdomadam Pentecostes, quæ nondum habet Orationem ac Missam propriam; deinceps cuilibet diei assignatum est Evangelium, cujus occasione Pius V. Homilias legi jussit ad Matutinum. Quando igitur Quatuor Tempora mensis Junii hebdomadæ Pentecostes destinata sunt, ad Missam lectæ sunt Evangelia huic triduo jejunii assignata, & ad Matutinum lectæ sunt Homiliæ: reliquæ Officii partes sunt, sicut in die festi: & ne Officium dissimile sit, cuilibet diei distribuitur Evangelium, Antiphonæ ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, & Collectæ propriæ. S. Augustini Homiliæ, quæ quarta, & quinta feria leguntur, Parisiis sunt celeberrimæ; prima est de modo gratiæ nos trahentis amore, & voluptate: secunda quomodo Christiana Religio miraculorum virtute firmata sit, quorum

Digitized by Google

omnium illud est maximum, mundum nempe universum Apostolicæ prædicationi credidisse, & Christi Fidem fuisse amplexatum.

Officium Sabbati est pro Ordinatione, quæ Quatuor Temporibus annexa est; modus autem conjungendi cum jejunio solemnitatem octavæ, & supprimendi quidquid in Officio lugubre est, præscribitur in Concilio Salegustadensi anno 1022.

Micrologus c. 58. de Missa jejunii agens, quæ dicebatur in quatuor Temporibus, diversam esse, ait, a Missa octavæ, eosque improbat, qui *Gloria in excelsis* dicebant, quia cum hæc Missa dicatur post sextam, omittendum est *Gloria* .... & in diebus jejunii sola feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto dicitur *Gloria in excelsis* in Missa post Sextam. Memorat etiam usum plurimorum ætate sua dicentium duas Missas in Feriis Quatuor Temporum, alteram post Tertiam de octava, alteram de jejunio post Sextam, ut fit, inquit, in Festis S. Matthæi, & S. Thomæ, quando incidunt in Quatuor Tempora.

CAPVT LXXIX.

De Ordinatione.

INcipiamus a Tonsura. Clericorum corona mystice quidem habetur pro Symbolo spinææ coronæ, quæ Christi capiti infixa fuit; est autem signum, quo Clerici, & Ordinibus initiati distinguuntur.

Cum S. Augustinus ad Proculejanum scribens ait, Episcopos Donatistas jurare per Catholicorum Episcoporum coronam, non est intelligendus de corona aliqua, aut capillorum circulo seu tonsura, quæ clericalis corona appellatur, sed tamquam si diceretur; Per Vestram Sanctitatem, Vestram Reverentiam, Vestram Majestatem, Vestram Celsitudinem.

Verum distinguenda est Tonsura a Corona, licet hodie confundantur, dicaturque tonsuram facere pro faciendæ coronæ, quæ dicitur corona Presbyteri, Diaconi, &c. Preces ajunt solummodo, *Oremus. Ad deponendum comas. Præsta .... comas capitum deposuimus.*

Primis sæculis Christiani omnes tam Laici, quam Clerici more Romanorum tondebant comas. S. Paulus 1. Cor. 11. 14 a natura ipsa doceri nos ait, ignominiosum esse homini comam nutrire: *Ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi.* Naturæ autem nomine usum intelligit tunc temporis Romanis probatum breves deferendi capillos. Anno 454. ab Urbe condita hujusmodi morem institutum fuisse tradit Plinius: exinde fortasse tonsuræ institutio S. Petro tributa est, quod Romæ inceperit usus, & a primis Christianis receptus fuerit. Amalarius, *lib. 1. de Eccl. Offic. c. 5.* & S. Hieronymus in Ezech 44. tamquam Barbaros habet, & extraneos Laicos ipsos, qui longos gestabant capillos: Apostolicæ Constitutiones hortantur Fideles omnes ad capillorum modestiam: *Nec capillum nutrient, nec pexus, nec comatus*, lib. 1. c. 3. & exinde capillatura hominum appellata est *Cæsaries*, a verbo *cædere*, quia ut breviores capilli fierent, identidem cædebantur, & fœminarum capillatura appellabatur *Coma*. Prudentius *de Coron. Hymn. 3.* de S. Cypriano loquens, post suam conversionem capillos sibi præcidisse ait: *Deflua cæsaries compescitur ad breves capillos*; idipsum dicitur de S. Honorato Lerinensi: *Rediguntur ad breves capillos luxuriantes comæ.* Heraclius Imperator septimo sæculo renunciatus tonderi sibi capillos jussit: *Extemplo comas retundit, ac mentum rasit, qui est Imperatorum habitus*; Imperatorum istemos est. Idipsum dicitur de Friderico I. ad duodecimum sæculum: *Aures vix superincentibus crinibus operiuntur, tonsore, pro reverentia Imperii, pilos capitis, & generum assidua successione secante*; inquit Auctor in ejus vita.

Gallis, & Barbaris Romanum Imperium quarto sæculo devastantibus, Laicorum plerique nutriere comas, ad imitationem eorum populorum, comam nutrien-

nutrientium ; ſed Clerici fere omnes Romani , Monachi , & Laicorum plerique modeſtiores comam compeſcere non deſtiterunt , atque immodeſtos improbarunt Clericos , qui Barbarorum morem imitarentur. Concilium IV. Carthaginenſe quarto ſæculo habitum clericis vetat comam nutrire ; Agathenſe ſexto ſæculo præcipit capillos tondere ; & Bracarenſe tertio ſæculo ſtatuit , ne clerici longiores deferant comas tamquam Ethnici. Plerique Laici compeſcere comas conſueverunt, Helvetii præſertim , uſuſque invaluit in Gallia ſub Franciſco I. vigebatque Henrici IV. ævo ; ut liquet ex equo æneo , ex pictis tabulis & figuris ; nec longiorum capillorum invectus eſt mos , niſi ſub initium regni Ludovici XIII. S. Ludovicus , noſtrique Reges , quorum Numiſmata apparent & Imagines , breves deferebant capillos . Laicis demum comam nutrientibus , clericis & Monachis præſcriptum fuit , ut comam præciderent , quare a Laicis fuere diſtincti ; & hoc occaſionem præbuit clericalis tonſuræ clericis , & monachalis Monachis deſtinandæ ; & exinde uſus ab utriſque receptus eſt capillos tondendi , quemadmodum olim in Eccleſiæ naſcentis exordio tondebantur . In quibuſdam locis comam tondere commendatum eſt etiam Laicis . Concilium Romanum anno 1096. *Can. 6. Nullus homo comam nutriat, ſed ſit tonſus ſicut decet Chriſtianum*; Concilium Londinenſe duodecimo ſæculo habitum , *Can. 23. Ut crinibi ſic tondeantur , ut pars aurium appareat , & oculi non tegantur* : de Laicis loquitur . In vita S. Godefridi , Epiſcopi Ambianenſis undecimo ſæculo , recuſaſſe fertur oblationem Roberti , Belgici Comitis , & Aulicorum ejus , quia capillos haberent longos .

Capilli autem in inferiori parte tondebantur in formam rotundam , etiam apud Laicos , quæ rotunda forma aprior videbatur , quam plana , ut dicitur , ſive *per gradus* , ut ait Concilium Montis-Peſſulani anno 1214 Philo in Libro *De vita contemplativa* de iſta tonſuræ forma ait : *Æqualiter reciſi in circularis lineæ formam , quam exactam per circuitum capitis referunt* : hoc apud Auctores dicitur in circularem formam cædi , *Inſtar coronæ* , ſeu *In formam coronæ* , vel, ut ait Sidonius Apollinaris Ep. 13. lib. 4. *In rotæ ſpeciem* : corona iſta non erat quæ capiti poſtea fuit impoſita , ſed quæ formata erat ex inferiori capillorum parte , in coronæ ſpeciem reciſa . Atque ita intelligendi ſunt Arabici Canones Concilii Nicæni *Can.* 1. Monachi & Monniales in formam coronæ tondeantur; legiturque in Vita S. Gertrudis , quod ejus Mater , antequam filiam offerret Epiſcopo , ipſius capillos in coronæ formam totondit , *Ad inſtar coronæ* . In Vita Theodori , qui Græcus erat , & Monachorum Græcorum more detonſus, qui ſibi caput penitus abradebant , legitur , quod cum ordinatus fuiſſet Subdiaconus ſeptimo ſæculo a Vitaliano Papa , quatuor menſium ſpatium abraſis capillis conceſſit , ut creſcerent , utque ipſe Romanorum more , quemadmodum Orientales , in coronæ ſpeciem tonderetur : *Quo in coronam tonderi poſſet* , inquit Beda *Hiſt Angl lib. 4. c. 1.*

Antiqua tonſura conſervata eſt inter Regularium Fratres , qui dicuntur converſi , ac præcipue converſos Ordinis Prædicatorum , qui neque tonſuram , neque coronam ſuperiorem habent , ſed tantum inferiorem , capillos nempe in circularem formam præciſos , in inferiori parte ſuper auriculas ; quemadmodum loquitur Clementina 3. Tit. *De Sent. eſto c. contingit . . . . circumciſis erinibus*. Manuale Rotomagenſe anno 1650 exaratum inquit etiam , quod pars inferior capillorum in formam coronæ præcidenda eſt : *Capillorum pars inferior in coronæ ſpeciem præcidatur , ita ut oculi & aures pateant* .

S. Hieronymus *Ep. ad Sabin.* munditiæ refert , nitori , & elegantiæ , morem illum in Ægypti ac Syriæ Monaſteriis inſtitutum , comas viduarum tondendi & virginum , quæ neque balneo neque oleo uterentur ad detergendum caput : *Vel quia lavacrum non adeunt , vel quia oleum nec capite , nec ære norunt, ne a parvis animalibus quæ inter cutem & crinem gigni ſolent , & concretis ſordibus opprimantur* :

Non

Non aſſueverant mulieres tondere crines, ut homines, quinimmo S. Paulus *1. Cor. 11. v. 15.* ait : *Mulier & comam nutriat, gloria eſt illi : quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*.

Barba etiam munditiæ cauſſa abradi cœpta eſt, ut inquit Æneas Pariſienſis Epiſcopus adverſus Græcos, Latinorum Preſbyterorum morem improbantes : *Ob munditiam utique hoc agunt*.

TONSURA. Aliquando ſibi ipſe capillos tondebat, qui Eccleſiam vel Religionem ingrediebatur ; dicitur enim de S. Claudio : *Sibi propria manu capillos incidens Clericus factus eſt*. Plerumque vero tondebantur ab aliis : exinde facta eſt Eccleſiaſtica cæremonia Epiſcopis & Abbatibus reſervata, & tonſura cœpta eſt haberi tamquam ſpecies adoptionis per eum factæ, qui capillos tondebat, quod quidem erat Epiſcoporum proprium, qui communes Fidelium parentes ſunt. Refert Paulus Diaconus, Pippinum Caroli Martelli filium, cum ſibi a Luitprando Longobardorum Rege capilli eſſent detonſi, hoc modo filium ejus adoptivum evaſiſſe.

Epiſcopus Tonſuram confers. Primum exemplum, quod afferri poſſit, eſt S. Germani Autiſſiodorenſis, cui S. Amator ejus præceſſor ſolemniter capillos præcidit in Eccleſia, coram Clero & nobilibus viris, eum ſimul induens Religionis habitu, hoc eſt, ſæculi indumenta tollens, & Diaconum ordinans. S. Cæſarius Arelatenſis, duodeviginti annos natus, S. Sylveſtrum Cabilonenſem Epiſcopum rogavit, ut præciſis ſibi crinibus, mutatoque habitu clericali militiæ adſcriberetur.

Tonſura ſeu corona in vertice capitis fit quidem clericis & Monachis, Monialibus non item ; ipſe enim licet breviores deferant comas elegantiæ cauſſa, cum tamen velatæ ſemper appareant, neque capitis verticem detegere ſoleant, ita neque rotundari neque radi conſueverunt. Neque Pœnitentes, neque Patres converſi, neque Laici, iſtam coronam deferunt.

Ultra ſextum ſæculum nullum exſtat coronæ veſtigium ; uſque ad id tempus capilli tantum tondebantur & rotundabantur, ut breviores fierent. Concilium IV. Carthaginenſe *Can. 44. Nec comam nutriant* : ac propterea pro tondendis crinibus forfices tantum adhibebantur, unde ait S. Clemens Alexandrinus : *Pili tondendi ſunt non novacula, ſed forficibus*. S. Hieronymus in Ezechielem 44. dicentem, *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient ; ſed tondentes attondent capita ſua*, ait : *Juxta quod diſcimus nec calvitium novacula eſſe faciendum, neque ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos demittendos ut operta ſit cutis*. S. Gregorius hæc verba referens inquit etiam, non abſque conſilio factum eſſe, ut Presbyteri æque prohibeantur caput radere, & comam nutrire, nam ſi comam nutrirent, coma oculos tegeret, ſi caput raderent, cutis detegeretur. Si radendi caput invaluiſſet uſus, Optatus *Lib. 2.* non contumelioſe actum fuiſſe dixiſſet a Donatiſtis, cum Catholicis Presbyteris caput abraſere. Concilium Agathenſe ſexto ſæculo de tondendo ſolummodo loquitur. *Ne tondeantur*, *Can. 20.* Bracarenſe, *Neque granos* (capillos longos) *Gentilium ritu dimittant*.

Tonſura Monachorum. S. Benedictus de Monachis Sarabaitis ait : *Monſtri Deo per tonſuram noſcuntur* ; quod non intelligitur niſi de tonſura capillorum in inferiori parte, non vero de corona in vertice capitis. Neque S. Aurelianus, neque S. Iſidorus, ſeptimo ſæculo, ullam in Regulis ſuis mentionem faciunt.

CORONA : nullum coronæ apparet veſtigium ante concilium IV. Toletanum ſeptimo ſæculo ; præcipitur clericis geſtare coronam, ideſt capillorum circulum circa caput ſuperius detonſum : *Omnes Clerici vel Lectores ſive Levitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant*. Concilium hoc non diſtinguit coronas per diverſos Ordinum gradus, ut hodie fit ; ſed eadem tonſura ab omnibus ferebatur : *Pro emendando Eccleſiæ ſcandalo una ſit tonſura*, inquit Concilium : de radendo non loquitur, ſed de tondendo, *Detonſo ſuperius capite* : & præ ceteris

téris coronam appellat, *Circuli coronam*. Concilium Cadurcenſe in Diœceſi Sueſſionenſi habitum octavo ſæculo, *Can.* 18. non loquitur niſi de recisione capillorum: *Nullus Clericus vel Monachus comam laxare præſumat*. Concilium Moguntinum 9. ſæculo habitum, *Can.* 24. idipſum præſcribit, *Sive in Canonico, ſive in Monachico ordine nullus tondeatur ſine legitima ætate*. Pontificale Romanum neque coronæ, neque abraſionis mentionem facit; Epiſcopus præcidit tantum capillos circa dimidium capitis, quemadmodum fecit circa extremitates.

Corona iſta, ſeu capillorum circulus ferebatur, non in occipite, in poſteriori parte capitis, ut deinceps factum eſt, ſed in vertice, in ſuperiori parte, in ſummitate, ut a Capuccinis etiamnum defertur. Joannes Abrincenſis ait, *Caput noſtrum in ſuperiori parte radimus*; & Stephanus Poncherius ſexto ſæculo, *In ſummitate capitis ut moris eſt*. Concilium Remenſe anni 1583. ait, *In capitis vertice*. Rituale Alethenſe inquit: Tonſura non debet eſſet in poſteriori parte capitis, ſed in ſummitate, tamquam corona.

Gloſſa in Clementinam 2. Tit. *De vit. & honeſt. Cleric.* diſtinguit tonſuram a raſura & corona, *Raſura reſpicit partem ſuperiorem quam dicimus Clericam. Corona circulum capillorum. Tonſura abſciſionem ipſorum*. Quando cædebantur capilli in inferiori tantum parte, appellabatur tonſura, & corona eſt capillorum circulus, qui in capitis vertice inſidet, tamquam corona, quæ abraſa eſt in medio, ſive detonſa; raſura vero eſt tota pars ſuperior capitis, quæ abraſa eſt.

INTERSTITIUM. Temporis intervallum, quod ab Eccleſia jubetur interiici inter duorum Ordinum ſuſceptionem, nempe ſpatium unius anni, ex eo procedit, quod Romæ antiquitus ſemel tantum in anno fiebant Ordinationes, videlicet menſe Decembri, juxta inſtitutum in vita veterum Pontificum memoratum: *Fecit Ordinationes menſe Decembri*; & Amalarius *Lib.* 2. *c.* 1 *Primi Apoſtolici ſemper in Decembrio menſe, in quo nativitas D. N. J. C. celebratur, confeſſationes miniſtrabant uſque ad Simplicium: ipſe primus ſacravit in Februario*. Micrologus idipſum aſſerit. Cum igitur Ordines nonniſi altero quoque anno ſuſcipi poſſent, integer volvebatur annus antequam quis ad novum Ordinem promoveretur; vel etiam Ordinatio certæ ætati deſtinata erat, puta unius & viginti annorum pro Subdiaconis, duorum & viginti pro Diaconis, & vigintiquatuor pro Presbyteris; quod ſpatium integrum unius vel duorum annorum conſtitutum pro Ordinibus ſuſcipiendis toti ſubinde Ordinationi aſſignatum eſt, quicunque ætate fuiſſet Ordo ſuſceptus.

Impoſitio manuum, quæ fit in Epiſcoporum & Presbyterorum ordinatione, a Veteri Teſtamento ducit originem, ut ait S. Iſidorus Hiſpalenſis, *Lib.* 2. *c.* 5. *De Eccleſ. Offic. Quod per manus impoſitionem a prædeceſſoribus Dei Sacerdotibus, Epiſcopi ordinantur, antiqua inſtitutio eſt, Iſaac ponens manum ſuam ſuper caput Jacob, benedixit ei, ſimiliter Jacob filiis ſuis, ſed & Moyſes ſuper caput Joſue manum ſuam imponens*. Joſue Spiritum ſapientiæ recepit per impoſitionem manuum Moyſis; ita in Eccleſia Spiritus S. in Ordinatione per impoſitionem manuum Epiſcopi communicatur; ſic ordinati fuere Diaconi; ita S. Paulus præſcribit Timotheo: & hic Epiſcopus Epheſi per impoſitionem manus S. Pauli deſignatus fuit.

Extra tempora; diſpenſationes ordinandi extra Quatuor Tempora inde profectæ ſunt, quod quibuſdam ſæculis Ordinatio fiebat ſingulis Dominicis, quod quidem ſervatur etiam hodie reſpectu Epiſcoporum, qui in Dominicis conſecrantur.

Unctio in Ordinatione Epiſcoporum & Presbyterorum recentior eſt; de ea nihil meminit Concilium IV. Carthaginenſe, neque S. Iſidorus Hiſpalenſis, neque Ordo Romanus, neque Acta diurna formam continentia Ordinationis Pontificum & Epiſcoporum, quibus octavi & noni ſæculi Pontifices utebantur, hoc eſt *Diurnum Romanorum Pontificum* Unctionem hinc videtur aliquis S. Leonis textus indicare; ſed intelligendus eſt vel de Gratia, quæ omnes Chriſtianos conſecrat, redditque quo-

dam-

Digitized by Google

dammodo Presbyteros, quemadmodum in Sermone 3. de Ordinatione Pontificis; vel de excellentia, & præstantia Ministrorum Evangelii supra Ministros Synagogæ, ut in Sermone 8. de Passione: *Nunc & Ordo Levitarum & dignitas amplior Sacerdotum, & sacratior est unctio Sacerdotum.* Citantur loci aliqui S. Gregorii Nazianzeni, sed quia in Ritualibus Græcorum numquam legitur unctio fuisse facta in Ordinatione Episcoporum seu Presbyterorum, interpretandi sunt de interiori Spiritus S. unctione, quam Episcopus vel Presbyter per manus impositionem acceperat. Deinceps vero apud Latinos invecta est, & Innocentius III. *Lib cum venissent. Tit. de Sacr. unct.* suppleri jussit unctionem Presbyteri, qui a Græcis ordinatus fuerat. Locus extat desumtus a Commentario in Librum I. Regum, S. Gregorii, ubi de unctione Saul ita disserit Auctor; *Hac unctione expleri mur, quod in hac Sancta Ecclesia, nunc etiam materialiter adhibetur, quia qui in culmine ponitur, Sacramenta suscepit unctionis, quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene sortis ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur*: sed ignoratur Commentarii Auctor, qui IX. fortasse est sæculi, quando unctio cœpit institui in Ecclesia Latina: instituta est autem fortasse ex unctione Presbyterorum antiqui temporis, & ex Ecclesiæ Latinæ precibus, quæ reperiuntur in Sacramentario Gelasiano, ubi legitur: *Comple in Sacerdote tuo Ministerii sui summam . . . . Cœlestis unguenti rore sanctifica, hoc Domine copiosè in caput eius influat.* Quod ab initio de unctione tantum spirituali intelligebatur, materiali unctioni locum dedit, unde in nonnullis precibus, *Oleo Gratiæ Spiritus sancti perunge*, legitur *Hic ungatur oleo*; & subinde reperitur unctio manuum & capitis in Ritualibus: *Consecratio capitis cum oleo*: in aliis *Consecratio manuum Diaconi de oleo & chrismate*. Amalarius *Lib. 1. Offic. Eccl. c* 3. & Theodulphus Aurelianensis in capitularibus, unctionem Presbyteroram in Galliis ætate sua receptam esse designant.

In restitutione Episcopi de gradu depositi, redditur illi quidem solemniter *Parium*, Anulus, & baculus Pastoralis; sed nova unctio non additur ejus consecrationi: vide Concilium IV. Toletanum, Fulbertum Carnutensem, & Pontificale Romanum.

Auctor *de Gemma animæ c.* 181. 184. & 189 ait, xvo suo Presbyterorum manus chrismate, & manus Episcoporum oleo ungi consueviſſe.

CAPVT LXXX.

De Officio Festi SS. Trinitatis.

OFficium Trinitatis sero Romæ fieri cœptum est, cum de Dominica Officium antea fieret, quia Pentecostes semper caruit Octava; atque ejus Officium terminatur etiamnum Sabbato ad Nonam, neque amplius de hoc Mysterio agitur ad Vesperas. Trinitatis Festum ab undecimo sæculo celebratur in quibusdam Ecclesiis, teste Micrologo *cap. 6.* qui Festum hoc celebrantes coarguit, loquiturque de Missa Trinitatis ab Alcuino composita, deque Officio a Stephano Episcopo Leodiensi confecto, & de Præfatione Missæ a Gelasio II. approbata; loquitur etiam de iis, qui Trinitatis faciebant Officium in die Octava Pentecostes, & continuabant per octo dies sine *Alleluja*; quod minime approbat: inquit præterea, Stephanum Leodiensem Officium istud, & Inventionis S. Stephani composuisse; Romanam Ecclesiam utrumque rejecisse, & Alexandrum II. declarasse, nullum Festum peculiare de Trinitate & Unitate divina esse faciendum, propterea quod in Dominicis omnibus & Festis divinæ psalmodiæ sunt Trinitati consecratæ: *Unde Alexander Papa de hac re inquisitus, respondit juxta Romanum ordinem nullum diem specialiter adscribi solemnitati S Trinitatis, sicut nec S. Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, immo quotidie ustrinsque memoria celebretur.* Alexander Papa III. duodecimo sæculo ait, Festum Trinitatis in diversis Ecclesiis

ſiis diverſimode obſervatum, aliis in die Octava Pentecoſtes illud celebrantibus, aliis in Dominica Adventum præcedente; in Eccleſia vero Romana nullum eſſe ſpeciale Feſtum Trinitatis, quia ſingulis diebus Trinitatem in Officiis ſuis laudabat, & gloriſicabat Eccleſia: *Præterea Feſtivitas S. Trinitatis, ſecundum conſuetudinem diverſarum regionum in quibuſdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis in Dominica prima ante Adventum celebrari, Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter Feſtivitatem, cum ſingulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui S. & cetera, ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Extra de Feriis cap. Quoniam.* Ferunt, Alcuinum hortatu S. Bonifacii Moguntini Miſſam votivam de Trinitate compoſuiſſe pro Dominica; & Concilium Saleguniadenſe anno 1022. devotionem quarumdam mulierum memorat, quæ per ſingulos dies Miſſis de Trinitate vel de S. Michaele potiabantur, quod Concilium vetuit in diebus Feſtis: *Quidam, maxime matronæ, habent in conſuetudine, ut per ſingulos dies Miſſas peculiares, de S. Triſitate, aut de S. Michaele, ... & ideo ſanximus, ne hoc ulterius fiat, niſi ſuo tempore.* Videtur huic Feſto proprium tempus jam fuiſſe aſſignatum. De Octava Feſto Pentecoſtes aſſignanda ſcripſit Berno Augienſis, ut Trinitatis Feſtum impediret; de quo tamen Rupertus de divin. Offic. l. 11. c. 2. loquitur, tamquam de Feſto ætate ſua fere communiter recepto: *Celebrata ſolemnitate de Adventu Spiritus S. ſtatim e veſtigio gloriam S. Trinitatis Dominicæ ſequentis Officio recta diſpenſatione concinimus.* Radulfus Tungrenſis, qui ſub finem vixit decimi quarti ſæculi, inquit *cap. 60.* quod paulo ante neque Octava Pentecoſtes, neque Feſtum Trinitatis Romæ celebraretur, & legerentur Libri Regum; quod in quibuſdam Germaniæ Eccleſiis Octava Pentecoſtes fieret, & in Gallia ubique ferme Trinitatis Feſtum cum Octava celebraretur, & noviſſime etiam Romæ Feſtivitas Trinitatis admitteretur, quod plures Germaniæ Eccleſiæ ſequi cœperant: *Hodiernis temporibus Romæ, & in Curia Romana ſolemnis habetur Feſtivitas S. Trinitatis in Octava, quod plures Alemanni cœperant ſequi.* In Gallia igitur Feſtum hoc celebrari cœptum eſt; neque deſunt Eccleſiæ, in quibus bis celebretur, in prima ſcilicet & ultima Dominica poſt Pentecoſten, veluti in Eccleſia Senonenſi, & in nonnullis Eccleſiis Pariſienſibus, nempe in Eccleſia S. Benedicti, & in Hoſpitali Trinitatis; ſed Romæ non inſtituta Feſtivitas eſt, niſi tempore Joannis Papæ XXII. A Gerſone de Viſit. Prælat. tamquam Feſtum noviter inſtitutum memoratur: *De Feſto Trinitatis ſolemnizando, pro ut noviter Papa inſtituit.* Durandus, qui paulo ante Joannem XXII. vixit, l. 3. c. 14. Feſtum hoc ait a pluribus Eccleſiis nondum receptum, & diverſis temporibus celebratum. Primi omnium Feſtum hoc Monachi celebrarunt. Udalricus in conſuetudinibus cluniacenſium *cap. 24.* & 25. ait, quod in illa Abbatia celebraretur in Dominica poſt Pentecoſten: & quamvis careret Octava, ejus tamen Miſſa dicebatur quotidie per totam hebdomadam, cum Antiphona ad *Magnificat*. Capitulum generale ciſtercienſium anno 1230. toti præſcripſit Ordini, ut Feſtum ſolemne fieret: *Solemnitas S. Trinitatis cum tribus lampadibus in poſterum ſemper fiat, & Abbas celebret in Conventu, ſed Sermonem in Capitulo propter materiæ difficultatem fieri non oportet.* Prædicatio autem prohibebatur, propter argumenti difficultatem. Præſcripta Feſtivitas fuit ab Alexandro III. *Lib. de Feriis*, & a concilio Arelatenſi anno 1260. *Can. 6.* a quo affixa eſt Dominicæ poſt Pentecoſten, & ſtatuta tamquam Feſtivitas ſolemnis, & cum Octava & cum tribus Lectionibus & Reſponſoriis quotidie per Hebdomadam, niſi Feſtum occurreret novem Lectionum. Durandus l. 6. c. 114. conſuetudinem refert quarumdam Eccleſiarum; bis hoc Feſtum celebrantium, in prima nempe, & ultima Dominica poſt Pentecoſten. In vita S. Stephani, Fundatoris Grandimontenſium, qui obiit anno 1124. is quotidie dixiſſe perhibetur, præter Of-

Digitized by Google

ficium diei, peculiare Officium de Trinitate. Cujus Festum institutum est Romæ, ut diximus, a Joanne XXII. & Dominicæ post Pentecosten assignatum, ut novum Officium supprimeretur de Octava Pentecostes, implereturque Dominica diu multumque vacans, idest sine Officio; sed hoc Festum non communiter observatum est, nisi tempore Benedicti XIII. anno 1405. neque observatur adhuc in quibusdam Ecclesiis, veluti in Diœcesi claromontana in Arvernia.

Antequam Romæ institueretur Festum Trinitatis, nullum erat Officium in hac Dominica, quæ appellabatur Dominica vacans, propterea quod Officium factum fuerat nocte præcedenti, Ordinationis tempore, & protrahebatur hoc Officium usque ad primam lucem Dominicæ, ut in Dominica facta Ordinatio videretur: quod quidem officium duodecim Lectiones continens, longasque preces, ac præcipue copiosam Ordinationem in magnis urbibus, adeo diuturnum erat, ut nocturni, & matutini officii teneret locum, videlicet, Matutinum, Laudes, & Missam complecteretur.

Cum autem Officium anticipatum esset in Sabbatum, Dominica implenda fuit; & a Missa incipiendo, in quibusdam Ecclesiis dicebatur Missa Pentecostes, tamquam octava huic Festo assignata: subinde vero propria Missa instituta est, diversis aliarum Missarum partibus composita. Missa instituta, Officium quoque subsituendum curarunt; qui Missam Pentecostes huic Festo assignaverant, officium dixerunt, Lectionum de octava hujus festi: cujus octavæ ab aliis probatæ, ab aliis improbatæ disputationem suo tempore ortam Berno commemorat. Berno octavam probabat, sed Romæ numquam recepta fuit, & sane perperam hodiernæ Missæ, in Sacramentario S. Gregorii, inscriptus est titulus Dominicæ de octava Pentecostes, ni scil. octavæ nomine intelligatur simpliciter octavus dies post Pentecosten; Præfatio etiam, Collecta, Benedictio, & Postcommunio de Trinitate sunt, cujus Festum S. Gregorio posterius est: In Sacramentario Gelasiano hujus Dominicæ Missa ita inscribitur, *De Octava Pentecostes*. Hæ additiones demonstrant, quot nova deinceps iis Libris inserta fuerint, ut Scriptorum tempori accommodarentur. Hujus Missæ Præfatio Pelagio Papæ II. adscribitur, qui ante S. Gregorium vixit, sed non erat dicenda ad Missam, erat enim expositio Catholicæ Fidei contra Hæreticos, quam abjurantes hæresim, & Ecclesiam ingredientes profiteri jubebantur.

Missa Trinitatis ante officium instituta est: dicitur Alcuinus Missam super hoc mysterio composuisse: Officium, quod Romæ hac die dicitur, illud est, quod composuerat Stephanus Leodiensis, cujus meminit Durandus, & Tritthemius, exceptis Hymnis, & Lectionibus, quas Pius V. immutavit, atque etiam inseri jussit octavum Responsorium, *Duo Seraphim*. Hymnus ad Vesperas Trinitatis est Hymnus Sabbati, *O lux beata Trinitas*; Hymnus Matutini a Matutino Feriæ sextæ, & Sabbati: Hymnus Laudum ab Hymnis feriæ sextæ ad Matutinum, & ad Laudes petitus est. Lectiones S. Fulgentii, & S. Gregorii Nazianzeni Trinitatis mysterium optime exprimunt.

Crastina Trinitatis die legi incipiunt Libri Regum, & deinceps reliqui Libri Historici, & Prophetici, & Libri Sapientiales dicti, usque ad Adventum, juxta Decretum Gregorii Papæ VII.

In Officio Trinitatis repetuntur sæpe eædem Antiphonæ, *Gloria*, *Laus*, *Honor*; Hymnus *O lux beata* ad Mysterium nihil pertinet, nisi sola Trinitatis vox.

Vidimus, quoties Trinitatis Festo obstiterc Pontifices, propterea quod nulla per annum dies est, nulla per diem hora, quibus Ecclesia in omnibus precibus non laudet, & glorificet Trinitatem, & Unitatem Dei; in omnibus Officiis *Gloria Patri* infertum est, & in fine Hymnorum, nullumque Sacrificium est, quod Patri per Filium in unitate Spiritus S. non offeratur; itaque supervacaneum videbatur annuum, & peculiare Festum generali ac perpetuo SS. Trinitatis Festo destinare; Festa omnia, Templa, & preces Trinita-

ti

ri devoventur; nonnisi privati quidam voluere pietatis suæ peculiare specimen præseferre. Alcuino adscribitur specialis Missa de Trinitate; verum Caroli Magni tempore, quo vixit Alcuinus, hujusmodi Missas posteriores esse jam diximus. De iis primus omnium meminit Micrologus ad 11. seculum. Oratio autem, & Præfatio de Trinitate, quæ sunt in Sacramentariis Gelasii, & S. Gregorii, aliquanto post adjectæ fuere. De Trinitatis Missa, quam aliqui celebrari sibi quotidie postulabant, agit Concilium Salegunstadiense an. 1022. atque hujusmodi devotionem condemnat. Stephanus, Leodiensis Episcopus an. 920. Officium de Trinitate jussit institui devotionis causa, ejusque Successor Richerius Decretum edidit, ut diceretur officium, & festum celebraretur. Quæ autem eo tempore dicebatur, Missa tantum votiva erat, quemadmodum & votivum apud plures Monachos extat officium. Cum preces omnes, & Sacrificia ad Trinitatem referantur, tum Missa Trinitatis devotionis ergo dicebatur in feriis, & pro temporis opportunitate; non multo abhinc tempore in Missalibus, etiam Parisiensibus, cum Matrimonium celebraretur, nulla alia dicebatur Missa, quam Trinitatis: & nos jam superius retulimus, cum de Dominica loqueremur, quod in Officio dicebatur una Lectio, & commemoratio de Trinitate, cujus a nobis servatum est Responsorium *Duo Seraphim*, &. Symbolum *Quicumque*.

Quæri posset, postquam huic diei Officium proprium assignatum est, cur fiat commemoratio de Dominica, quæ precationum objectum est, & præcipue officii de Dominica; sed fortasse in hoc quoque, sicut in aliis festis, factum est, in quibus, si incidant in Dominicam, de ea Dominica fit commemoratio, nulla habita consideratione, quod Trinitatis Officium nihil aliud est, quam officium Dominicæ, quod sub trium Divinarum Personarum nomine celebratur.

CAPUT LXXXI.

De Festo SS. Sacramenti.

Licet multis retro sæculis SS. Sacramenti institutio in officio celebrata fuerit, & potissimum in Missa feriæ quintæ in Cœna Domini; cum tamen Ecclesia ea die occupata sit in Passione Domini, in reconciliatione Pœnitentium, Sanctorumque Oleorum benedictione, ut tam augusto Mysterio ulterior cultus tribueretur, Urbanus IV. diem illi proprium, ac peculiare festum consecrandum censuit an. 1264. decrevitque, ut eadem solemnitate, qua primæ classis festa, ubique terrarum celebraretur, feria nempe quinta post octavam Pentecostes, quæ prima erat feria quinta officiis Paschalis temporis vacua; cujus festi celebritate testatur voluisse se Hæreticorum perfidiam confundere. Iste Pontifex cum Leodii esset Archidiaconus, viderat in ea Urbe festum hoc celebrari, in qua tamquam festum publicum, & solemne cum Vigilia, & jejunio præscriptum fuerat in Synodo illius Urbis an. 1246. habita per Robertum, Leodiensem Episcopum: verum Urbani IV. Bulla sine effectu propemodum fuit. Durandus enim, qui plusquam 22. annis scripserat post ejus mortem, de hoc Festo non meminit: in Concilio autem Viennensi an. 1311. Clemens V. Urbani IV. Bullam promulgari jussit, & confirmavit, quæcum a Regibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ recepta esset, a Joanne XXII. Clementis successore, iterum promulgari jussa est an. 1316. & tunc in Ecclesiis omnibus confirmata. In Gallia ab anno 1318. observata fuit.

Reginaldus festum hoc institutum etiam refert ad an. 1262. sicut retulerat S. Antoninus in summa, per miracula, & visiones, quæ ad hujus institutionem excitarunt Urbanum IV. qui in Bulla mentionem de Festo faciens ait, non ignorare se, antequam ad Pontificatum

elevaretur, Festi hujus celebrationem quibusdam Catholicis revelatam fuisse. Glossa Juris in Canones Concilii Viennensis ait, Clementis V. Decreto Bullam Urbani IV. ab omnibus fuisse receptam: *Quia illa Constitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens Papa V. innovavit illam Constitutionem, & illam praecepit ab omnibus observari.*

Frimum hujusce festi officium Leodii compositum fuerat a Religioso Hospitalis, Mont-Cornillonis ad portas Urbis Leodiensis; alii dicunt a Joanne, Clerico Leodiensi, quod probant illius Auctoris testimonio, qui vitam scripsit S. Julianæ, testaturque, Clericum illum Leodiensem officium scripsisse de SS. Sacramento cum Hymnis, Antiphonis, Responsoriis, Lectionibus, Capitulis, & Collectis, & testimonio veterum Librorum Ecclesiæ S. Martini Leodiensis, ubi Officii SS. Sacramenti pars, qualis a nobis dicitur, reperitur. Robertus illius Urbis Episcopus, qui officium approbaverat, ab omnibus commendatus est. Quoniam vero secundum Gallie ritum compositum fuerat, Urbanus IV. aliud componi jussit juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ per S. Thomam Aquinatem, dum Romæ, vel Urbeveteri, quo Pontifex se contulerat, Theologiam edoceret; quod opus in ejus Opusculo 57. reperitur, & quia parum differt officium S. Thomæ ab officio Leodiensi, credidere non, pauci S. Thomam Leodiense officium ad ritum Romanum accommodasse, demtis quibusdam, quibusdam additis; atque etiam in Historia translationis S. Thomæ dicitur solummodo, quod ipse in ordinem redegit, *Ordinavit*, officium SS. Sacramenti. Tota Ecclesia officium istud recepit ita a S. Thoma ordinatum, paucis postea immutatis tempore Pii V. quo aliud Capitulum in primis Vesperis positum est, Lectiones primi Nocturni de Veteri erant Testamento, & quartum Responsorium demtum est, eique substitutum, quod hodie est sextum: per octavam etiam insertæ sunt Lectiones seu Homiliæ in Evangelium, in tertio Nocturno. Officium istud maximis S. Thomam laudibus cumulavit. A Breviatio Parisiensi an. 1680. appellatur *Admirandum Officium*. Ex Ordine Prædicatorum quidam in sua Historia Ecclesiastica elogium istud in cœlum extollit, quod ut ei pondus adstruat, Doctoribus Sorbonicis in Breviarii emendatione occupatis adscribit; verum inter Emendatores unus tantum Societatis Sorbonicæ Doctor erat, videlicet Dominus Gabillonius, reliqui autem, ceu Dominus Lametius, S. Eustachii Parochus, e Societate erat Navarræ, & Domini Chatalanius, & Amelinus ne Doctores quidem erat.

Putarunt Continuatores Bollandi, S. Thomam officium hoc non composuisse, sed tantum ad Romani ritus normam accommodasse, quod emendatum fuerat a Juliana Mont-Cornillonis, scriptumque ab illius Hospitalis adolescente, cui nomen Joannes, & a Roberto Leodiensi Episcopo approbatum; videri sibi dicentes hoc officium divinitus inspiratum, utpote opus a puella virgine, & ab adolescente fine studio, & doctrina confectum, & reliquis Ecclesiæ officiis juxta communem sententiam præstantius. Videri potest apud citatos Continuatores inter duo hæc officia relatio, nempe inter primum Leodii elaboratum, & alterum S. Thomæ. Pius V. nonnulla jussit immutari; sed lectionum delectus ab antiquis Patribus petitarum, quæ per totam octavam in Parisiensi Breviario distributæ sunt, novum officio splendorem addiderunt. Festum hoc Ecclesiæ Latinæ peculiare neque apud Græcos reperitur, neque apud Orientales, neque etiam apud Maronitas.

In quibusdam Ecclesiis Missæ a nostris differunt; Introitus, *Ego sum Panis vivus*, R. *Panis*; Graduale, *Nisi manducaveritis*; Offertorium, *Panis Cœli*; Communio, *Qui manducat*. S. Thomas e diversis per annum Missis compositis suam; Introitus *Cibavit* est in feria secunda Pentecostes; Graduale *Oculi* est in Missa vigesimæ secundæ Dominicæ post Pentecostem. Leo X. in Epistola ad Guillelmum Cantorienſem A. 1519. præcipit, ut si festum Corporis Christi inciderit in vigilium S. Joan-

Joannis, jejunium anticipari debeat: *Statuimus quod vigilia Nativitatis B. Joannis in Festo Corporis . . . . propter tanti Festi solemnitatem feria quarta jejunari debeat, & jejunanda vigilia ipsa*: anticipabitur Officium, & jejunium vigiliæ.

Urbanus IV. jejunandam vigiliam Corporis Christi præceperat, atque hoc jejunium præscriptum cernitur in Concilio Senonensi *Can.* 1. Parisiis habito A. 1319. *Statuimus, atque ordinamus, ut quarta feria præcedente feriam quintam post Octavas Pentecostes, qua Summi, & magnifici Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretiosi Corporis se ab esu carnium abstineant, & jejunent; omnibusque jejunantibus quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia duximus concedendos.*

Quoad Processionem, quæ præcipua hujusce festi cæremonia est, de ea fit mentio in eodem Concilio Senonensi Parisiis primum habito A. 1320. in statutis Tornacensibus A. 1325. Carnutensibus An. 1330. in Gallia itaque, & Parisiis incepta est; neque in Italiam, Papiam scilicet, transiit ante A. 1404. De ea meminere Concilia Constantiense, & Basileense, in quibus Martinus V. & Eugenius IV. Processioni adstantibus concedunt Indulgentias; Concilii demum Tridentini auctoritate sess. 13. c. 5. firmata est, adversus Hæreticorum calumnias, appellaturque Jesu Christi triumphus, quo confundendi sunt, qui augustum Altaris Sacramentum audent impugnare. Jejunabatur etiam Leodii hujusce Festi vigilia, quando cœpit institui. Martinus V. Indulgentias concessit jejunantibus, verumtamen jejunium hoc de præcepto universali numquam fuit.

Festum hoc Latinæ Ecclesiæ proprium est; neque huic simile quidquam Græci habent in suis Officiis. Urbanus IV. nihil meminit Processionis in Bulla, neque S. Thomas in suis de hoc Festo Opusculis; Concilium Senonense divina inspiratione ait institutum fuisse: *Cum quodam modo videatur divina inspiratione introducta*. Hæc sola Processio in Ordinario Carthusiensium signata cernitur, non illa quidem in veteribus eorum statutis, neque in Guinensibus præscripta, sed tantum in recentioribus, postquam Processio ista per totam Ecclesiam observata fuit; atque in eorum Ordinario A. 1582. exarato dicitur, quod post Processionem exponi debeat super Altare SS. Sacramentum cum cereis accensis per totam octavam; quod cum in eo tantum Ordinario Monastico reperiatur, emendatum est in recentioribus, statutumque deletum.

SS. Sacramenti expositio in ostensoriis apertis, & translucidis non reperitur ante Concilium Colonense A. 1452. quod vetat hoc modo exponi, præterquam in Festo SS Sacramenti, & in octava. Antiquitus expositio palam, & in propatulo non fiebat, nisi in Missa Hostiam elevando: *Ad majorem honorem SS. Sacramenti statuimus, quod deinceps ipsum SS. Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuslam monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in SS. Festo Corporis Christi cum suis octavis semel in anno in qualibet Civitate, aut oppido, aut Parochia*, ait Concilium Colonense; quod utinam observaretur, nec tam frequens hujusmodi expositio fieret. In Cathedrali Parisiensi exponitur tantum in die Festi, & ad Missam in die octavæ. Habetur autem in secundo Liturgiarum mearum tomo quidquid ad expositionem SS. Sacramenti, atque etiam ad Processionem pertinet; ea hic solummodo indicabo. Utrum scilicet antehac SS. Sacramentum exponeretur, an celaretur; quod celabatur Infidelibus, Catechumenis, & Pœnitentibus: quod exponebatur Fidelibus, in quorum manibus longo tempore positum est, ut se communicarent: quod deinceps celabatur oculis ipsius Sacerdotis post elevationem; quod subinde in ostensoriis vitreis monstrabatur; id quod Nicolaus Cusanus, Nicolai V. Legatus in Coloniensi Concilio A. 1452. emendavit quoad ostensoria, permittque tantummodo in Festo SS. Sacramenti, & in octava; quomodo referat Albertus Krantzius, ex frequentiori Ss. Sacramenti expositione reverentiam, & cul-

tum imminui conſueviſſe ; quomodo Caſſander , & Joannes Gropperius de expoſitione iſta diſſeruerint ; itemque Concilium Mechlinienſe A. 1570. Dominus de Sanctis Epiſcopus Ebroicenſis , Concilium III. Mediolanenſe , & Concilium Trevirenſe A. 1452. an Miſſa dicenda ſit ad Altare , ubi SS. Sacramentum ſit expoſitum , & quomodo Paris de Graſſis incongruum eſſe contendebat , Euchariſtiam denuo conſecrari in eodem Altari , in quo ad adorandum expoſita eſt : *Ut in eodem Oratorio , in quo eſt iam Sacramentum quod adoratur , aliud Sacramentum de novo conficiatur* .

Pariſiis in Proceſſione Cathedralis Eccleſiæ per viam quietci , aut ſiſti non ſolet , quia Proceſſio Urbe non egreditur : *Per viam nulla fit ſtatio* .

CAPUT LXXXII.

De Tempore a Pentecoſte uſque ad Adventum .

ADvertit Amalarius de Ordin. Antiph. quod prima hebdomada poſt Pentecoſtem legerentur Libri Regum cum Reſponſoriis a Pſalmis petitis ; reliquis hebdomadis uſque ad menſem Auguſtum Reſponſoria erant hiſtorica a Libris qui legerentur deſumta ; menſe Auguſto legebantur Libri Salomonis, & Reſponſoria totius menſis a Pſalmis excerpta erant ; menſe Septembri legebatur Job per tres hebdomadas , primæ hebdomadæ Reſponſoria e Pſalmis , duarum reliquarum e Libro Jobjin quarta hebdomada legebatur Tobias; menſe Octobri duabus primis hebdomadis legebatur Judith , Eſther , & Eſdras , & poſtremis duabus hebdomadis Macchabæorum Liber ; menſe Novembri legebantur Prophetæ , & primæ hebdomadæ Reſponſoria ſumta erant a Pſalmis .

Inquit Amalarius l. 3. c. 39. quod poſt S. Joannis feſtum dicebatur in Dominicis ad Offertorium Miſſæ , *Vir erat in terra Hus* , dici incipiebat poſt S. Joannis Feſtum , & repetebatur per plures Dominicas .

Dominicæ a Pentecoſte ad Adventum diverſis vocantur nominibus in antiquis Sacramentariis . A Pentecoſte uſque ad Feſtum S. Petri dicitur *Dominica I. II. III. IV. poſt Octavam Pentecoſtes* . A S. Petri Feſto uſque ad Feſtum S. Laurentii , dicuntur *Dominicæ poſt Octavam Apoſtolorum* . A Feſto S. Laurentii uſque ad Æquinoctium Septembris , *Dominicæ poſt Laurentii Feſtivitatem* . Ab Æquinoctio Septembris uſque ad Feſtum S. Andreæ , *Dominicæ poſt Michael Feſtum* . Deinceps Dominicæ Adventus .

Dominicæ iſtæ aliis etiam appellantur nominibus . Prima dicitur *Dominica vacans* , ſeu *Dominica poſt Octavam Pentecoſtes* . Secunda , *Dominica prima poſt Octavas Pentecoſtes* , vel propter Introitum , *Dominica Pſallus eſt* . Tertia , *Dominica de Publicanis & Peccatoribus* , propterea quod tunc legebatur Evangelium de ove, quæ perierat. Quarta , *Dominica de Miſericordia* , quia legebatur Evangelium de Miſericordia , *Eſtote miſericordes* , quod nunc eſt in prima Dominica , quæ antehac vacans erat . Quinta , *Dominica de Piſcatione* , propter Evangelium , Piſcationem memorans , quod nunc in Quarta eſt . In Sexta legebatur Evangelium de Perfectione , quod nunc eſt in Quarta ; & a ſæculo tantum 16. legitur panis multiplicatio . Septima dicitur ; *Dominica de cavendis falſis fratribus* . Octava , *De Villico iniquitatis* . In Nona , ad 6. & 7. ſæculum legebatur Evangelium Samaritani *Luc.* 10. a 6. ſæculo uſque ad 14. legebatur Adminiſtrator infidelis ; deinceps legi cœptus eſt J. Chriſtus flens ſuper Jeruſalem . Decima dicitur , *De Phariſæo & Publicano* . Undecima , *De Surdo & Muto* . Duodecima , *De pio Samaritano* . Decima tertia , *De decem Leproſis* . Decima quarta , *De duobus Dominis ſerviendis* . Decima quinta , *De Vidua Naim* . Decima ſexta , *De Hydropico* . Decima ſeptima , *De Dilectione Dei* . Decima octava , *De Paralytico* . Decima nona , *De invitatis ad*

Nu-

Nuptias. Vigeſima, *De Regulo*. Vigeſima prima, *De duobus Debitoribus*. Vigeſima ſecunda, *De tributo Cæſaris*. Vigeſima tertia, *De Hæmorrhoiſſa*. Vigeſima quarta Officium proprium non habebat, quare in ea repetebatur Officium Dominicæ præcedentis, vel etiam erat Dominica quinta Adventus, videlicet ante Natalem. Ab hac Dominica incipiebat Adventus, qui poſtea ad octo dierum numerum retroceſſit.

In Officio nocturno, a Trinitatis Feſto uſque ad menſem Auguſtum leguntur Libri Regum; Proverbia vero, Eccleſiaſtes, Eccleſiaſticus & Liber Sapientiæ leguntur menſe Auguſto. Cantica Canticorum in nullis leguntur Eccleſiis; ex iis aliquæ tantum deſumuntur Lectiones pro Officiis B. Mariæ V. aliorumque Sanctorum, veluti S. M. Magdalenæ. Parifiis ſolummodo ex iis petitæ leguntur primæ Lectiones in die Aſſumtionis, & per Octavam; fortaſſe quia cum hujuſmodi tempus circa tertiam occurrat menſis Auguſti hebdomadam, Liber iſte inter Proverbia reperitur & Eccleſiaſten; qui tamen Liber non in ordine Lectionum ponitur, quæ per annum occurſunt.

CAPVT LXXXIII.

De Lectionibus a Trinitatis Feſto uſque ad Adventum.

PAriſiis feria ſecunda poſt Trinitatis Feſtum legi incipit Liber Joſue; hujuſce Libri ignoratur Auctor; Theodoretus & Auctor Synopſis ſeu Epitomes, quæ S. Athanaſio tribuitur, Librum hunc a Joſue ſcriptum non putant, ajunteque ejus nomine propterea inſcribi, quia de rebus a Joſue duce geſtis agit, quemadmodum Liber Judicum, vel Tobiæ, appellantur Volumina illa, in quibus geſta narrantur eorum, quorum nomina præferunt. Legitur etiam hac hebdomada Liber Judicum & Liber Ruth. Judicum Liber nihil aliud videtur eſſe, quam Actorum cujuſque Judicis congeries, ab Eſdra in unum Librum digeſta poſt reditum a captivitate, cujus fit mentio in cap. 18. verſ. 3. *Uſque in diem captivitatis ſuæ*. Cum autem Hiſtoria Ruth in Judicum tempora inciderit, creditur ille ipſe, qui Judicum Acta collegit, Librum quoque Ruth congeſſiſſe.

Romæ incipiunt Libri Regum legi feria ſecunda poſt Dominicam Trinitatis. Legimus in Libro primo Paralipomenon cap. 29. quod primæ & poſtremæ actiones David ſcriptæ ſunt in Libro Prophetæ Samuel, in Libro Prophetæ Nathan, & in Libro Prophetæ Gad: Libri iſti deſiderantur, eorumque Epitome creduntur eſſe Libri Regum; quod ſi ita eſſet, crederetur etiam Propheta quiſque res ſuo tempore geſtas conſcripſiſſe; ac propterea Liber primus Regum appellatur ab Hebræis Liber Samuel; ſecundus, a Gad & Nathan ſcriptus, eſt primi continuatio; tertius & quartus ſunt Collectanea quædam aliorum Prophetarum.

In Octava S. Sacramenti leguntur ad ſecundum Nocturnum Patrum Sermones de Euchariſtia; ſed in Breviario Pariſienſi videntur ſelectiores. Ad tertium Nocturnum continuatur expoſitio S. Auguſtini in Evangelium de Feſto; Sanctus autem Pater de ſpirituali potius cibo differit, quam de Sacramentali.

In 2. Dominica Homilia S. Gregorii præſtantiſſima eſt. In tertia Dominica legitur ad 2. Nocturnum S. Gregorius in Libros Regum; Pariſiis vero legitur ſæpiſſime ad 2. Nocturnum S. Auguſtinus de Civitate Dei, ubi Veteris Teſtamenti conſenſionem exhibet cum J. Chriſti Hiſtoria & Eccleſiæ.

In 4. Dominica legitur S. Auguſtinus, de David & Goliath differens: oſtenditque in perſona Goliath Dæmonis artes, quibus inducimur ad malum, & proponit in triumpho David,

Digitized by Google

vid, qua ratione poſſimus de Satanæ inſidiis triumphare. In 5. Dominica legitur S. Gregorius de morte Saul; cujus expoſitio videtur valde allegorica. In ſexta legitur S. Ambroſius in ſua de David Apologia. In ſeptima legitur S. Hieronymus, qui Sunamitidem David allegorice interpretatur. In octava S. Auguſtinus explicat, quo pacto Salomon regni J. Chriſti fuerit figura. In nona S. Auguſtinus docet, quomodo Elias fuerit J. Chriſti typus. In decima S. Joannes Chryſoſtomus explicat in pœnitente Achab, quomodo Deus peccatores ſuſcipiat qui ad eum convertuntur, & quomodo ulciſcatur eos qui Deum non metuunt ultorem. In undecima S. Hieronymus eamdem ſententiam perſequitur in Ezechia Rege ſanato.

Menſe Auguſto legi incipiunt Proverbia ſeu Parabolæ Salomonis, quæ Axiomata ſeu Sententiæ appellari poſſent; & primo quidem capite Salomoni adſcribuntur, *Parabolæ Salomonis filii David*; capite vero 25. adnotatur, quod a viris ab Ezechia Rege ſelectis collectæ fuerant: *Hæ ſunt Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ*. Duo poſtrema capita diverſum ab aliis ſtylum videntur præſeferre. Ad 2. Nocturnum elogium Sapientiæ legitur, a Sermone S. Ambroſii petitum. In ſecunda Dominica legitur Eccleſiaſtes, qui Prædicator dici poteſt, eſtque Salomonis Opus ſeſe ita inſcribentis: *Verba Eccleſiaſtæ filii David Regis*. Ezechiæ tribuunt Rabbini. Ad 2. Nocturnum legitur S. Joannes Chryſoſtomus, qui in opere hoc videtur oſtendere fructum pœnitentiæ Salomonis. In 3. Dominica legitur Liber Sapientiæ; quem Origenes, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Clemens Alexandrinus Salomoni adſcribunt. S. Hieronymus autem a Judæo quodam conſcriptum cenſet, qui Salomonem imitari voluit; ſtylus etiam a ſtylo Salomonis differt, & Liber iſte in Catalogo Hebræorum inſertus non reperitur; ideoque primitus Sacrorum Librorum Catalogo adſcriptus non fuit. Ad 2. Nocturnum S. Ambroſius deſcribit Sapientiæ fructum, hoc eſt bene vivere. In 4. Dominica legitur Eccleſiaſticus: qui a S. Cypriano & S. Ambroſio ſub Salomonis nomine citatus eſt, quia Prophetarum imitator Librum: ſed Libri Præfatio & caput 50. nos docent, Auctorem fuiſſe Judæum quemdam, nomine Jeſum, filium Sirach, a quo fuerat Hebraice compoſitus, & Græce deinde a nepote ſuo redditus; quoniam vero capite 50. loquitur de Simone Oniæ filio Magno Sacerdote, creditur illius Pontificis tempore fuiſſe compoſitus. Liber iſte in Hebræorum Catalogo non erat, neque in illo veterum Eccleſiæ Patrum. Inquit Sanctus Hieronymus, Librum hunc in ædificationem Fidelium legi, & cum Libro Sapientiæ conjungi conſueviſſe. Ad 2. Nocturnum Sermo S. Gregorii ſæcularium rerum vanitatem perſequitur. In 5. Dominica continuatur idem Liber: quod Pariſiis quoque ſervatum eſt, ubi legitur etiam idem Sermo S. Joannis Chryſoſtomi ad 2. Nocturnum, quo promte ad Dominum converſionis neceſſitas inculcatur.

Menſe Septembri legi incipit Liber Job, cujus Hiſtoria vera eſt, de qua Ezechiel, Tobias, & S. Jacobus Apoſtolus meminerunt: ejus Hiſtoria nomen indicat, Patriam, uxorem, liberos, & propinquos; quæ omnia veræ Hiſtoriæ ſunt argumenta. Moyſi Librum hunc Rabbinorum plerique tribuunt, alii tantum vertiſſe ajunt. Liber iſte ad normam Prophetis conſcriptus eſt. Ad 2. Nocturnum legitur expoſitio S. Gregorii in Job, ſicut etiam in 2. Dominica. In 3. Dominica legitur Tobias; e cujus lectione pater & filius videntur ipſimet Hiſtoriam ſuam conſcripſiſſe. Liber hic neque in Judæorum Canone, neque in veterum Patrum Catalogo reperitur. In Librum hunc Commentarium edidit S. Ambroſius. Ad 2. Nocturnum legitur S. Leo de Quatuor Temporum jejunio, oſtenditurque nocte Sabbati ad Dominicam uſque vigilari, & Ordina-

Digitized by Google

nationem fieri consueviſſe. In 4. Dominica legitur Judith; qui Liber neque exſtat in Hebræorum Canone, neque in Catalogo antiquiorum Patrum. S. Hieronymus in Præfatione in hunc Librum ait, a Concilio Niczno in Sanctarum Scripturarum numerum fuiſſe adſcitum; quinam vero ſit iſte Nicænus Canon, ignoratur. Hujus Libri Auctor vulgo creditur Mardochæus. Illum Origenes, Concilium Laodicenum, S. Cyrillus Jeroſolymitanus, S. Hilarius in Sacrorum Librorum ordinem referunt. Illum S. Ambroſius explicat in 2. Nocturno. In 5. Dominica legitur Eſther, cujus Auctor Mardochæus habetur; citaturque ab Origene, a Concilio Laodiceno, & aliis, atque in 2. Nocturno a S. Ambroſio explanatur Hiſtoria. Pariſiis leguntur Libri Eſdræ in quinta hebdomada.

In prima Dominica Octobris leguntur Libri Macchabæorum, qui per totum menſem continuantur; iſti ſunt poſtremi Libri Veteris Teſtamenti, ita denominati a Juda, Matthiæ filio, qui ob virtutem & fortitudinem ſuam Macchabæus cognomine dictus fuerat. Libri iſti per omne tempus lecti ſunt in Eccleſia, ſed tamquam canonici non habebantur, ut ait S. Hieronymus, quia in Judæorum non erant Canone. Ad 2. Nocturnum leguntur Sermones Patrum in Libros Macchabæorum. Duo Macchabæorum libri diverſorum Auctorum ſunt; primus eſt ab Hebræo Auctore conſcriptus, ſecundus a Græco.

In prima Dominica Novembris legitur Liber Ezechielis Prophetæ; ad 2. Nocturnum legitur S. Gregorius in Ezechielem, & S. Hieronymus in ſecunda Dominica. In 3. Dominica legitur Daniel, & S. Athanaſius de jejunio hujus Prophetæ in ſecundo Nocturno. Pariſiis legitur Daniel in ſecunda Dominica cum expoſitione S. Hieronymi. Continuatur etiam in tertia hebdomada, legiturque S. Hieronymus in 70. hebdomadarum Prophetiam. In reliquis menſis diebus leguntur Romæ & Pariſiis duodecim Prophetæ, qui reſpectu quatuor majorum minores appellantur, quod ſcilicet iſtorum ſcripta breviora ſint, ut ait S. Auguſtinus Lib. 8. de Civit. c. 29.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

I. *Definitio, atque appellatio Breviarii, ſive Horarum Canonicarum, pag.* 1

II. *Quis fuerit primum Horarum Canonicarum numerus, an ubique ea ſervaverint, deque hujus diviſionis ratione* 3

III. *De nominibus Breviario, ſive Officio Divino tributis.* 4

IV. *De Breviarii Romani præſtantia, ſicum ceteris aliarum Eccleſiarum Breviariis conferatur, quantamque commendationem jure promereatur.* 5

V. *De additamentis, contractionibus, & correctionibus Romani Breviarii,* 8

VI. *Quæ Romæ fuerit vetus Divini Officii recitandi ratio.* 11

VII. *Diſtributio Officii apud Hebræos.* 15

VIII. *De Breviario Eccleſiarum Orientis.* 17

IX. *Diſtributio Officii apud Græcos.* 18

X. *De Breviario veterum Occidentis Eccleſiarum, præcipue vero Mediolanenſis.* 20

XI. *De Breviario Eccleſiarum Hiſpaniæ.* 23

XII. *Veteris Eccleſiæ Anglicanæ, & Germanicæ Breviarium.* 25

XIII. *De veteri Galliæ Eccleſiarum Breviario, præcipue vero Pariſienſis.* 26

XIV. *De Breviario Monaſtico, ſive de veteri Officii recitandi apud Monachos ratione.* 36

XV. *De eſſentiali Divini Officii uniformitate, quæ vel in tanta Breviariorum diverſitate ſpectabilis eſt.* 46

XVI. *De iis, qui juxta veteres Canones Breviarii lege tenentur.* 48.

XVII. *De canonis uſu in Eccleſia.* 51

XVIII. *Utrum canitus in Monaſteriis, atque in Religioſarum Mulierum domibus receptus fuerit: atque an Mulieribus in Eccleſia canere liceat?* 58

XIX. *Quis eſſet corporis habitus Officii tempore: ſtantes ne, vel ſedentes id recitarent.* 59

XX. *De nocturnis Vigiliis.* 62

XXI. *De divini Officii horis; an primis ſæculis quotidie iiſdem horis contentus haberetur, quove demum ævo id fieri cœperit ſit.* 64

XXII. *De ſigno olim adhibito ad convocandos Clericos, Monachos, atque fideles ad officia.* 66

XXIII. *De Officio, quod Nocturnum appellabatur, hodie vero Matutinum dicitur, & quæ hora id incipere ſolerent.* 68.

XXIV. *De tribus Nocturnis Officii Nocturni.* 70.

XXV. *De peculiaribus precibus, quæ Divinum Officium præcedunt, qualia ſunt: Crucis ſignum, Pater, Ave, & Credo.* 72.

XXVI. *De Origine Precum Dominelabia, Deus in adjutorium, Gloria Patri ad Pſalmorum finem, Amen, & Alleluja,* 75.

XXVII. *De Invitatorio, atque Pſalmo Venite.* 81

XXVIII. *De Hymnis.* 83.

XIX. *De Pſalmis, ſive de Pſalmodia in Divino Officio.* 85.

XXX. *De Antiphonis, & Reſponſoriis.* 89

XXXI. *De Verſiculo, Pater, Benedictione, & Abſolutione, quæ Lectiones præcedunt.* 94.

XXXII. *De Lectionibus.* 95.

XXXIII. *De Hymno Te Deum, & de Verſiculo Sacerdotali.* 101

XXXIV. *De Laudibus.* 202

XXXIV. *De Collectis.* 104.

XXXV. *De Prima, atque de Symbolo S. Athanaſii.* 106

XXXVI. *De Officio Capituli, quod dicitur poſt Primam.* 109

XXXVII. *De Tertia, Sexta, & Nona.* 114.

XXXVIII. *De Veſperis.* 115

XXXIX. *De Completorio.* 117

XL. *De Antiphonis, ſive precibus ad B. Virginem, quæ poſt Completorium recitantur.* 120

XLI. *De Officio Dominicæ.* 122

XLII. *De Officio Feriarum.* 128

XLIII. *De Officio Feſtorum dierum.* 131

De

Digitized by Google

XLIV. De Feſtis duplicibus, ſemiduplicibus, & ſimplicibus. 133
XLV. De Vigiliis, atque Octavis. 136
XLVI. De variis moribus, qui in pleriſque Eccleſiis circa Divinum Officium ſervantur. 138
XLVII. De Veſtibus Eccleſiaſticis ad Divini Officii Celebrationem. 151
XLVIII. De affinitate, & convenientia inter Romanum Breviarium, & Breviaria Eccleſiarum Gallicanarum. 158
XLIX. Quantum interſit Populos hortari ad Divinum Officium recitandum, atque illud omnibus aliis precibus præferendum. 159
L. Reſolutio plurium caſuum circa Breviarii recitationem. 161
LI. Excurſus in Libros Horarum, ſive precum, quæ in manibus populi verſantur. 166
LII. Excurſus in veterem diſciplinam, quam olim Canonici Eccleſiæ Pariſienſis, & cæterarum Galliæ Cathedralium obſervabant. 168

INDEX CAPITUM
LIBRI SECUNDI.

I. De Dominica ad Matutinum. 182
II. De Dominica ad Laudes aliaſque Horas diurnas. 185
III. De Salutatione Angelica. 187
IV. Proprium de Tempore. De Tempore Adventus. ibid.
V. De Officio primæ Dominicæ Adventus. 190
VI. De Feriis Adventus. 196
VII. De Dominica II. Adventus. 197
VIII. De Dominica III. Adventus. 198
IX. De Quatuor Temporibus menſis Decembris. 199
X. De Sabbato Quatuor Temporum, deque Ordinatione huic diei aſſignata. 202
XI. De Antiphonis majoribus Adventus, quæ inchoantur per O. 205
XII. De Dominica IV. Adventus, deque hebdomada eam ſubſequente. 207
XIII. De Vigilia Natalis. 209
XIV. De Feſto Natalis, de tempore quo Feſtum hoc inſtitutum fuit. 212
XV. De hebdomada Natalis. 223
XVI. De abſtinentia a carnibus remiſſa in Sabbatis a Natali uſque ad Purificationem. ibid.
XVII. De Feſto S. Stephani Protomartyris. 224
XVIII. De Feſto S. Joannis Evangeliſtæ. 227
XIX. De Feſto quod vocatur Feſtum Fatuorum. 230
XX. De Feſto S. Innocentium. 230
XXI. De Feſto S. Thomæ Cantuarienſis. 233
XXII. De Dominica infra Octavam Nativitatis. 234
XXIII. De Feſto S. Silveſtri Papæ. ib.
XXIV. De Feſto Circumciſionis, ſeu de Octava Nativitatis. 236
XXV. De diebus infra Circumciſionem, & Epiphaniam occurrentibus. 239
XXVI. De Octava S. Stephani. ibid.
XXVII. De Octava S. Joannis Evangeliſtæ. 241
XXVIII. De Octava Innocentium. ib.
XXIX. De Vigilia Epiphaniæ. 242
XXX. De Feſto Epiphaniæ. 244
XXXI. De diebus infra Octavam Epiphaniæ. 248
XXXII. De Dominicis poſt Epiphaniam. 250
XXXIII. De Dominica Septuageſimæ 252
XXXIV. De Dominica Sexageſimæ. 255
XXXV. De Dominica Quinquageſimæ ſeu ſeptimæ hebdomada ante Paſcha. 256
XXXVI. De Feria quarta Cinerum, & de quatuor diebus ante Quadrageſimam; quando inceperit jejunari. 258
XXXVII. De origine jejunii Quadrageſimalis, deque variis jejunandi modis. 259
XXXVIII. Quod jejunium conſiſteret in abſtinentia carnis, & vini, & in unica com-

comeſtione ad Veſperas. 261
XXXIX. *De Collatione in diebus jejunii, deque uſu mane dicendi Veſperas in Quadrageſima.* 263
XL. *De pietatis operibus quæ jejuniuum Quadrageſimæ comitabantur, de Confeſſione, & continentia: An Miſſa diceretur quotidie, & de Miſſa Præſanctificatorum.* 265
XLI. *De Feſtis, & Officio Sanctorum in Quadrageſima.* 267
XLII. *De uſu cooperiendi Imagines in Quadrageſima.* 268
XLIII. *De Benedictione Cinerum, de Officio initii Quadrageſimæ, & de Feriis.* 269
XLIV. *De Stationibus ſeu Proceſſionibus in Feriis Quadrageſimæ.* 273
XLV. *Obſervationes in Evangelia Quadrageſimæ.* 275
XLVI. *De Dominica I. Quadrageſimæ.* 278
XLVII. *Obſervationes variæ in Quadrageſimam.* 279
XLVIII. *De prima hebdomada Quadrageſimæ.* 280
XLIX. *De Dominica II. Quadrageſimæ.* 282
L. *De Dominica III. Quadrageſimæ. ibid.*
LI. *De Dominica IV. Quadrageſimæ.* 283
LII. *De Dominica Paſſionis.* 285
LIII. *De Dominica Palmarum.* 289
LIV. *De Hebdomada Sancta.* 293
LV. *De Officio Feriæ quintæ in Cœna Domini.* 294
LVI. *De Cæremoniis peculiaribus Feriæ quintæ in Cœna Domini.* 298
LVII. *Reconciliatio Pœnitentium, & Captivorum liberatio.* 299
LVIII. *De Benedictione Sanctorum Oleorum.* 301
LIX. *De Miſſa ſolemni Feriæ quintæ in Cœna Domini.* 302
LX. *Quomodo Euchariſtia ſervaretur in craſtinum.* 305
LXI. *De Cæremonia denudandi, & lavandi Altaria.* 306
LXII. *De pedum Lotione, & de Mandato.* 307
LXIII. *De Officio Feriæ ſextæ in Paraſceve.* 308
LXIV. *De Officio Sabbati S.* 314
LXV. *De Igne novo.* 316
LXVI. *De Benedictione Cerei Paſchalis.* 317
LXVII. *De Lectionibus quæ præcedunt Benedictionem Fontium.* 319
LXVIII. *De Benedictione Fontium.* 320
LXIX. *De adminiſtratione Baptiſmi.* 321
LXX. *De Confirmatione.* 326
LXXI. *De Miſſa, & Veſperis Sabbati Sancti.* 328
LXXII. *De Officio Paſchatis.* 331
LXXIII. *De Officio hebdomadæ Paſchalis, & Temporis Paſchalis.* 335
LXXIV. *De Rogationibus, Proceſſionibus, & Stationibus.* 343
LXXV. *De Officio diei Aſcenſionis.* 348
LXXVI. *De Vigilia Penteceſtes.* 350
LXXVII. *De Officio diei Penteceſtes.* 352
LXXVIII. *De Officio infra hebdomadam Penteceſtes.* 354
LXXIX. *De Ordinatione.* 356
LXXX. *De Officio Sanctiſſ. Trinitatis.* 360
LXXXI. *De Feſto Sanctiſſ. Sacramenti.* 363
LXXXII. *De Tempore a Penteceſte uſque ad Adventum.* 366
LXXXIII. *De Lectionibus a Trinitate uſque ad Adventum.* 367

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

13153
l.cd

Digitized by Google